


P. J. Sawyer



Collège des Irlandais

Rue des Irlandais

Paris



SUMMA
THEOLOGIAE MORALIS.

SCHOLARUM USUI

ACCOMMODAVIT

H. NOLDIN, S. J.

S. Theologiae professor in Universitate Oenipontana.

I.

DE PRINCIPIIS THEOLOGIAE MORALIS.

CUM APPROBATIONE EPISCOPI BRIXINENSIS
ET SUPERIORUM ORDINIS.



DE
P R I N C I P I I S
THEOLOGIAE MORALIS.

SCHOLARUM USUI

ACCOMMODAVIT

H. NOLDIN, S. J.

S. Theologiae professor in Universitate Oenipontana.

Editio tertia et quarta.

CUM APPROBATIONE EPISCOPI BRIXINENSIS ET SUPERIORUM
ORDINIS.

OENIPONTE.

TYPIS ET SUMTIBUS FEL. RAUCH (C. PUSTET).

RATISBONAE, ROMAE ET NEO EBORACI
APUD FRIDERICUM PUSTET.

1904.

Digitized by the Internet Archive
in 2010

Introductio

in theologiam moralem¹⁾.

Quaestio prima.

De natura theologiae moralis.

1. Definitio. 1. *Theologia moralis* definiri potest: scientia actionum hominis moralium, prout ad finem ultimum supernaturalem diriguntur.

a. Obiectum materiale theologiae moralis sunt hominis *actiones morales*: has enim ipsa in finem dirigendas suscipit. Propria ratio, quam in eis considerat, seu *obiectum formale* est earum moralitas, i. e. earum relatio ad finem ultimum; eas nempe considerat, prout fini ultimo conveniunt aut non conveniunt et proinde ad illum obtinendum aptae vel ineptae sunt.

b. Actiones morales dicuntur actiones a deliberata hominis voluntate procedentes, quatenus ad finem ultimum referuntur: morales enim dicuntur illae actiones, quae humanos mores efficiunt: atqui humanos mores illae tantum actiones efficiunt, quae a libera voluntate dirigente ratione procedunt. Humanos mores autem istae actiones non utnuncque consideratae constituunt, sed prout bonae vel malae sunt, seu prout ad finem ultimum referuntur: illae enim bonae vocantur, quae ad finem aptae sunt, quae vero ad finem ineptae sunt, malae dicuntur.

¹⁾ *Bouquillon*, *Theologia moralis fundamentalis*² (Brugis. Beyaert. 1890). *Lehmkuhl*, *Theologia moralis*¹⁰ (Friburgi. Herder 1902). *Müller*, *Theologia Moralis*⁷ (Vindobonae. Mayer. 1894). *Schwane*, *Allgemeine Moraltheologie* (Freiburg. Herder. 1885). *Simar*, *Lehrbuch der Moraltheologie* (Freiburg. Herder. 1893). *Praner*, *Moraltheologie* (Kirchenlexikon²). *Göpfert*, *Moraltheologie*³ (Paderborn. Schöningh. 1901). *Krawutzky*, *Moraltheologische Einleitung*² (Breslau. Aderholz. 1898).

c. Theologiae moralis est docere, quo modo actiones humanae comparatae esse debeant, ut homo per eas *finem suum ultimum* assequatur: sed duplex finis hominis ultimus considerari potest: *naturalis*, qualis fuisset, si Deus hominem in ordine naturae reliquisset; et *supernaturalis*, prout in hoc ordine supernaturali nobis assequendus proponitur. Quae nam actiones hominem ad finem *naturalem* perducant, naturali lumine rationis cognosci potest, idque docet *philosophia moralis*; quae nam actiones fini *supernaturali* conveniant, solum ex revelatione divina cognosci potest, idque docet *theologia moralis*.

2 Definitio proposita probanda est: cuiusvis enim scientiae definitio exhibere debet proprium eius obiectum, ita ut a quavis alia scientia distinguatur; sed proposita definitio exhibet theologiae moralis proprium obiectum et quidem ita, ut theologia moralis ab ethica, quae circa idem obiectum versatur, facile distinguatur: ethica enim actiones humanas ordinat ad finem ultimum *naturalem*, theologia moralis vero eosdem ordinat ad finem ultimum *supernaturalem*.

2. Alia definitio. Theologia moralis duplici alio modo definiiri potest:

a. Scientia *legum et mediorum*, quibus actiones humanae ad finem ultimum supernaturalem ordinantur.

Ut homo ad finem supernaturalem vitae aeternae perveniat, Deus praecepta dedit, quae servari, et media instituit, quae adhiberi debent. Hinc ad actiones humanas in finem suum ultimum dirigendas, normae ex voluntate Dei servandae et media ex eadem voluntate adhibenda proponi debent. Cum ergo theologiae moralis munus in eo sit, quod humanas actiones dirigat in finem ultimum, ipsa leges et media a Deo instituta doceat oportet.

b. Scientia *virtutum*, quas homo exercere debet, ut ad finem ultimum supernaturalem perveniat.

Omnis actio hominis moralis est in genere alicuius virtutis: quilibet enim actione humana, qua servatur norma vel adhibetur medium, quibus homo in finem ultimum dirigitur, exercetur aliqua virtus; quare proprium munus theologiae moralis etiam in hunc modum exhiberi potest, quod ipsa doceat virtutes, quas homo ex voluntate Dei exercere debeat, ad consequendum finem suum ultimum. Hinc theologia moralis vere dici potest *doctrina de virtutibus christianis*; et quoniam complexus omnium virtutum significatur nomine *iustitiae*, theologia moralis recte dicitur *doctrina de iustitia christiana* — die Lehre von der christlichen Gerechtigkeit.

Nota. Quæri potest, utrum theologia moralis proprie sit *doctrina de virtutibus*, an potius *doctrina de officiis*. — Utrumque cum veritate affirmari potest: proprium enim munus theologiae moralis est hominem ita dirigere, ut finem vitae aeternae obtineat; iam vero in hunc finem homo dupliciter dirigi potest, vel eo quod ex revelatione christiana deducantur et declarentur virtutes, quae ad finem ultimum obtinendum exerceri debent, vel eo quod colligantur et explicentur normae seu praecepta, quae ex voluntate Dei ad finem ultimum obtinendum servari debent. Illud praestitit *s. Thomas* in parte secunda secundae summae theologiae, hoc effecit *s. Alphonsus* in theologia morali; illud theoriae et speculationi, hoc praxi confessionalis et institutioni populari magis convenit. Attamen doctrinam virtutum theologia moralis non absolutam atque perfectam exhibet, sed ipsa virtutes eatenus tantum docet, quatenus praeceptae sunt earumque exercitium ad obtinendam vitam aeternam vel ad peccatum vitandum necessarium est. Doctrina virtutum omnibus numeris usque ad summam perfectionem absoluta ad *Asceticam* spectat.

3. Theologia practica. Theologia moralis est *scientia theologica* et quidem *practica*.

a. De ratione *scientiae moralis* est, ut veritates ad mores spectantes non utcumque sed ita exponat, ut ex principiis seu fontibus eas demonstret, nexum, quo invicem cohaerent, ostendat, alteram ex altera confirmet atque ex eis ratiocinando novas veritates deducat, id quod theologia moralis, quae hoc nomine insigniri mereatur, praestare debet.

b. Ut scientia stricto sensu *theologica* dici possit, non solum de Deo agat, sed etiam ex divina revelatione cognita sit oportet; atqui theologia moralis de Deo agit prout est finis ultimus ab homine assequendus et prout legislator et mediorum salutis institutor est, id quod praecipue ex revelatione divina cognoscitur.

c. Scientia *practica* ea dicitur, quae non meram veritatis cognitionem sed potius operationem intendit; sed theologia moralis tota est in dirigendis humanis actionibus, cum ipsa ex munere suo doceat, quae praecepta servanda quaeque virtutes exercendae sint ad obtinendum finem vitae aeternae.

4. Relatio theologiae moralis ad scientias affines. *a. Ad ethicam.* Ethica in multis cum theologia morali convenit: cum enim finis supernaturalis finem naturalem non excludat sed potius supponat et contineat, quod prae fine naturali malum est, necessario etiam prae fine supernaturali malum erit, quamvis id, quod prae fine naturali bonum est, nondum prae fine supernaturali bonum esse possit, nisi ad ordinem supernaturalem elevetur.

In compluribus tamen ethica et theologia moralis differunt:

α. Ratione *medii cognitionis*: ethicae enim medium cognoscendi est ratio naturalis, theologiae moralis autem medium cognoscendi primum quidem est revelatio divina, secundarium vero est ratio fide illustrata.

β. Ratione *obiecti*: ad veritates enim ethicas theologia moralis complures addit veritates ex revelatione divina depromtas, eas praesertim, quae ad vitam supernaturalem virtutesque theologicas referuntur.

γ. Ratione *finis*: ethica enim hominem dirigit ad perfectionem et finem naturalem; theologia moralis autem ad perfectionem et finem supernaturalem.

δ. Ratione *mediorum*: theologia enim moralis docet hominem media supernaturalia, praesertim vero sacramenta a Deo instituta, ut homo eorum auxilio ad finem vitae aeternae pervenire possit.

b. Ad *dogmaticam*.

α. Veteres theologi theologiam dogmaticam a theologia morali non distinxerunt sed omnes veritates revelatas nomine theologiae speculativae ad unum doctrinae corpus redegerunt.

β. Postea vero theologiam moralem a dogmatica separarunt et separatam pertractarunt, ita ut veritates, quae ad dirigendos mores spectant, theologiae morali, eas vero, quae proxime ad mores non referuntur, dogmaticae tribuerent. Hanc theologiam theoreticam, illam practicam appellarunt.

Ex his patet multas veritates morales a divina revelatione depromtas esse et tamquam dogmata ad obiectum fidei pertinere. Immo complures sunt veritates, de quibus aequali iure tum in theologia dogmatica tum in morali sermo institui potest, ut veritates de sacramentis, de iustificatione, de merito, de fine hominis, de virtutibus, de peccatis etc.

γ. Theologia dogmatica quoad veritates, quae ad solam fidem, non ad mores pertinent, theologiae moralis fundamentum est, adeo ut altera alteram fulcire atque illustrare debeat. Et sane ipsae hominis actiones morales ex veritatibus dogmaticis de iustitia et peccato originali, de redemptione et gratia redemptoris accuratius et perfectius intelliguntur; et complures aliae sunt veritates dogmaticae, quae multum lucis affundunt veritatibus moralibus.

5. Methodus. Methodus theologiae moralis est modus et forma, quae in tractanda theologia morali servatur. Triplex distinguitur methodus: positiva, scholastica et casuistica.

a. Positiva ea est, qua veritates morales e propriis huius scientiae fontibus erutae atque ex illis comprobatae ordine systematico proponuntur; methodus positiva ergo simplicem cognitionem veritatum moralium ex earum fontibus suppeditat.

b. Scholastica seu speculativa ea est, qua veritates morales e propriis fontibus desumtae accuratius expli- cantur, ex principiis theologicis et philosophicis confir- mantur, ab impugnationibus vindicantur, nexus, quo in- vicem cohaerent, investigatur ac tandem conclusiones ex iis deducuntur; methodus scholastica ergo profundiorum et magis scientificam cognitionem earundem veritatum suppeditat.

c. Casuistica ea est, qua neglecto ordine systematico veritates morales ad casus particulares eosque rariores vitae humanae applicantur et quaestiones practicae prae- sertim difficiliore ex principiis moralibus resolvuntur, ut in singulis casibus cognoscatur, quid licitum, quidve illi- citum, quid grave, quid leve peccatum sit.

a. Alii positivam methodum utpote cum scholastica inseparabili nexu coniunctam praetermittentes triplicem hunc modum tractandi theologiam moralem distinguunt: *scholasticum*, *casuisticum* et *mysticum*. Methodus *mystica* illa est, qua veritates morales ita pertractantur, ut ad virtutem eamque perfectam sectandam excitent et dirigant; me- thodus *mystica* ergo singulas virtutes earumque diversos perfectionis gradus exponit atque ex veritatibus moralibus rationes et motiva de- ducit, quibus homo ad sectandam perfectionem christianam moveatur ac determinetur. Cum peculiaris extet disciplina theologica, nimirum *ascetica*, quae de virtutibus hoc modo agat, methodus *mystica* non est modus tractandi theologiam *moralem*.

b. Theologi morales, qui methodum casuisticam potissimum se- quuntur, *casuistae* vocantur. Eorum alii principiorum expositione fere prorsus neglecta in solvendis casibus praesertim difficilioribus et in- tricatis vix non unice incumbunt; alii vero praemissa principiorum expositione plus minusve accurata et scientifica casibus discutiendis operam dant.

6. Methodus recentiorum. Recentiores theologiae mo- ralis auctores non unam tantum prae reliquis sectantur methodum sed eorum plerique omnes tres apte coniun-

gunt; quamvis ergo in diversis theologiae moralis partibus, prout res ipsa postulat, alia methodus prae aliis praevaleat, universim tamen cernitur methodus ex his tribus composita atque permixta.

Et recte quidem cum methodo positiva-scholastica etiam casuistica coniungitur.

Ubi enim theologia moralis futuris confessariis proponitur, sola expositio principiorum moralium non sufficit, sed resolutio diversorum casuum et quaestionum ex vita practica desumptorum prorsus necessaria est. Applicatio enim principiorum ad quaestiones practicas praesertim diversis circumstantiis intricatas pro tyronibus difficultate non caret, quae difficultas superari non potest nisi diuturnis ac variatis exercitationibus.

Insuper multarum quaestionum practicarum solutio non tam a certis principiis quam a prudenti peritorum iudicio atque aestimatione desumitur; sed prudens eiusmodi aestimatio non acquiritur nisi multiplici casuum, quos auctores discutiunt et resolvunt, consideratione ac studio.

Inde fit, ut in theologia morali, praesertim in quaestionibus, quarum solutio a prudenti aestimatione dependet, non solum multum deferatur auctoritati illorum theologorum, qui prudenti iudicio prae reliquis excellunt, sed etiam complurium auctorum sententia citari soleat, quia plurium in eiusmodi quaestionibus conforme iudicium luculentum veritatis testimonium exhibet.

7. Divisio. Ut theologia moralis fini, quem potissimum intendimus, practico conveniat, in *tres partes* apte dividi potest, quarum prima est de fundamentis theologiae moralis seu de primis et generalibus huius scientiae *principiis*; altera est *de praeceptis*, quae exponit normas ex revelatione christiana desumptas, quas homo ex voluntate Dei servare debet, ut finem ultimum vitae aeternae assequatur; tertia est *de sacramentis*, quae sunt totidem media seu adiumenta salutis a Deo instituta, ut homo eorum usu ad vitam aeternam perveniat. Horum autem mediorum usum Deus lege positiva praecipit et ecclesia suis decretis determinat.

Ab hac divisione non differt ea, qua theologia moralis communiter dividitur in *duas partes*, quarum altera *generalis* seu fundamentalis, altera *specialis* vocatur. Illa exponit generalia morum principia, haec proprium huius scientiae obiectum pertractat, tum obli-

gationes, quas homo ex voluntate Dei implere, tum media, quae adhibere debet, ut vitam aeternam consequatur. Quam ob rem theologia moralis specialis duas illas partes complectitur, quas supra diximus: *de praeceptis et de sacramentis*.

Quaestio secunda.

De fontibus theologiae moralis¹⁾.

S. Fontes. Supremi fontes theologiae moralis, ex quibus veritates morales hauriuntur, sunt *revelatio divina* et *ratio humana* tum naturalis tum theologica, per fidem nempe illustrata.

a. Theologia moralis complectitur veritates *supernaturales* per revelationem divinam nobis manifestatas: cum enim finis, ad quem haec scientia hominem dirigere debeat, supernaturalis sit, veritates ordinis supernaturalis in se contineat oportet, quas quidem veritates ex *divina revelatione* cognoscere debemus.

b. Ad finem vitae humanae obtinendum necesse est, ut homo etiam leges *ordinis naturalis* observet: finis enim supernaturalis naturalem finem non excludit sed supponit et perficit; quocirca leges iuris naturae per *rationem* nobis manifestatae pariter ad obiectum theologiae moralis pertinent. Insuper ratio veritates morales divinitus revelatas declarat et illustrat atque ex eis novas veritates ratiocinando deducit.

¹⁾ *Melchior Canus*, De locis theolog. VIII. 4. Ex quo tempore theologia moralis inter scientias theologicas disciplinam exhibet per se consistentem a dogmatica distinctam, etiam de fontibus seu de locis theologiae moralis tractari coepit. Etsi enim fontes theologiae moralis et dogmaticae iidem fere sint, nonnullos tamen moralis theologiae proprios habet. *Franciscus Zacharia S. I.* primus de locis theologiae moralis peculiarem tractatum edidit, quem deinde alii in hac re secuti sunt. Cf. *Dissertatio ad Alphonsi de Ligorio moralem theologiam prolegomena de casuisticae theologiae originibus, locis atque praestantia*, quam quidem dissertationem ipso petente s. Alphonso Zacharia exaravit et sanctus doctor tertiae sui operis editioni praefigendam curavit.

c. Quatenam sint veritates morales sive per revelationem sive per rationem nobis manifestatae ab infallibili *ecclesiae magisterio* discimus. Hoc namque magisterium a Deo institutum et praerogativa infallibilitatis donatum est, ut veritates tum supernaturales tum naturales ad ordinem moralem pertinentes suprema et infallibili auctoritate nobis proponat atque declaret. Ideo a nonnullis auctoribus ecclesiae magisterium theologiae moralis aequae ac dogmaticae *principium formale* seu directivum dicitur.

9. *Loci theologiae moralis.* Iam illa documenta ordine exhiberi debent, in quibus veritates morales tum supernaturales tum naturales repositae inveniuntur.

1. *Sacra scriptura* tum veteris tum novi testamenti.

a. *Sacra scriptura novi testamenti* est primarius locus theologiae moralis, quatenus non solum praecepta et consilia moralia ex ipso divini salvatoris ore prolata continet, sed etiam perfectissimum exemplar vitae christianae in sanctissima Christi domini vita nobis exhibet.

b. *Sacra scriptura veteris testamenti* praecepta tum moralia tum ceremonialia tum iudicialia comprehendit. Praecepta ceremonialia et iudicialia vi obligandi destituta cessarunt, praecepta vero moralia a Christo confirmata et ad maiorem perfectionem evecta vim obligandi in novo testamento retinent.

2. *Concilia tum generalia tum particularia* (sive nationalia sive provincialia sive dioecesana sunt) canonibus, qui ad mores spectant, partim praecepta moralia divinitus data declarant ac definiunt, partim nova praecepta ad fidelium salutem condunt.

Advertendum est plerasque leges ab ecclesia latas *leges esse disciplinares*, quae mores fidelium externos dirigunt, ideoque variabiles sunt. Mores nempe externi aequae ac rerum adiuncta in dies mutantur, unde fit, ut etiam leges disciplinares pro temporum et locorum ratione variae sint: quod enim hoc tempore et loco utile est, id alio tempore et loco inutile immo quandoque perniciosum evadit¹⁾.

3. *Decreta summorum pontificum*, quibus diversis modis sive per *constitutiones* (encyclicas) sive per *responsa congregationum* aut doctrinae morales falsae condemnantur, aut praecepta moralia iuris divini vel ecclesiastici declarantur,

¹⁾ Cf. *Benedictus XIV.* De synodo l. 5. c. 3. n. 7.

aut expresse statuitur, quid in determinatis rebus tenendum, quid agendum sit¹⁾).

Ex *propositionibus damnatis* directe et immediate quidem error proscriptus, indirecte et mediate autem simul etiam veritas ab ecclesia definita cognoscitur: hoc ipso enim quod reiicitur error, propositio contradictorie opposita statuitur vera; et quoniam propositiones damnatae infallibiliter falsae sunt, recte inferitur propositiones oppositas *infallibiliter veras esse*²⁾. Propositionum damnatarum, quae ad rem moralem pertinent, hae praecipuae sunt:

a. Propositiones 28 ab *Alexandro VII.* 24. sept. 1665 damnatae ut scandalosae et perniciosae in praxi.

b. Propositiones 17 ab eodem *Alexandro VII.* 18. mart. 1666 damnatae ut scandalosae.

c. Propositiones 66 ab *Innocentio XI.* 2. mart. 1679 damnatae ad minus ut scandalosae et in praxi perniciosae.

d. Propositiones 31 ab *Alexandro VIII.* 7. dec. 1690 damnatae ut temerariae, iniuriosae, male sonantes, haeresim sapientes etc.

e. Propositiones 5 (circa duellum) a *Benedicto XIV.* 10. nov. 1752 constitutione *Detestabilem* damnatae tamquam falsae, scandalosae ac perniciosae³⁾.

4. *Opera ss. Patrum.* Sancti ecclesiae patres non solum ut testes traditionis sed etiam ut doctores veritatum ad mores pertinentium considerandi sunt; quare distinguendum est, utrum doctrinam ecclesiasticam an propriam proponant. Si in proponenda doctrina ecclesiastica consentiunt, eorum sententia ut absolute certa habenda est: ecclesia enim a veritate deficere non potest; quodsi veritatem proponunt, circa quam ab ecclesia nihil definitum est, sive ipsi consentiunt sive non consentiunt, consideranda et expendenda sunt argumenta, quibus eam confirmant:

¹⁾ Aptam horum decretorum collectionem instituit *Ian. Bucceroni, Enchiridion morale* complectens selectas decisiones sanctae sedis et sacrarum romanarum congregationum²⁾. (Romae. Cuggiani. 1900.)

²⁾ Cf. *Dominicus Viva*, Theses damnatae etc. Quaestio prodroma.

³⁾ In propositiones damnatas commentarios potissimum exarantur: *Dominicus Viva*, Damnatae theses ad theologiam trutinam revocatae; *Ioannes de Cardenas*, Crisis theologica (in propositiones ab Innocentio XI. damnatas); *Ioannes Reuter*, Theologia moralis. Pars I. Analysis theologiae moralis reprobatae. *Didacus Duarte*, Brevis expositio propositionum damnatarum a sede apostolica.

de eorum auctoritate vero valent regulae de auctoritate theologorum statuendae.

5. *Opera theologorum*, praesertim vero illorum, quos magni facit ecclesia, quae quidem singularem auctoritatem tribuit *s. Thomae et s. Alphonso*. Unde ipsa ecclesia decisiones petentibus in rebus moralibus quandoque respondet: *Consulantur probati auctores*.

De *auctoritate theologorum* ex *P. Zacharia* haec tenenda sunt:

a. „Si qua in quaestione universi casuistae eadem inter se concinunt, aientes aliquid licitum esse, haeresi proximum est ab eorum opinione discedere.

b. Ex auctorum fere omnium casuistarum communi sententia usque adeo probabilia sumuntur argumenta, ut (nisi plane gravis et nemini observata ratio aut auctoritas, sed clara atque perspicua obstat) illis refragari temerarium sit.

c. Theologorum casuistarum etiam multorum testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem quam vel ratio ipsorum vel gravior etiam auctoritas comprobabit.

d. Unicus auctor, si sit omni exceptione maior afferatque rationem, quam alii non considerarint aut non satis solverint, ipse autem aliorum rationes commode solvat, quamvis doceat contra communem, poterit reddere opinionem probabilem⁽¹⁾.

6. *Ius ecclesiasticum et civile* complura continent, quibus statuitur, quid in certis adiunctis agendum, quid vero vitandum sit.

a. Cum ecclesiae a Deo concessa sit vera potestas legifera, leges ab ecclesia conditae, sive sunt universales sive particulares, ex voluntate Dei observari debent, ut finem vitae aeternae obtineamus; harum legum collectio ius ecclesiasticum vocari potest.

b. Immo etiam auctoritas civilis instructa est potestate ferendi leges in conscientia obligantes. Harum legum ad theologiam moralem illae potissimum pertinent, quibus iura statuuntur aut determinantur: tutela enim iurium potestati politicae imprimis commissa est. Et haec quidem est ratio, ob quam praesertim in tractatu de iure et iustitia ad codicem civilem attendendum sit.

7. *Usus et praxis ecclesiae*: quas enim doctrinas et leges morales ecclesia proponit, eae in fidelium moribus et exemplis expressae reperiuntur; quare usus ecclesiae

¹⁾ Cf. *Zacharia*, Dissert. proleg. pr. 2. c. 5.

ad comprobandas confirmandasque veritates morales, eas praesertim, quae ad sacramenta referuntur, apte inservit. Ideo monumenta, quae antiquum ecclesiae usum testantur, inter fontes theologiae moralis merito censentur.

8. *Philosophia moralis.* Eo quod homo ad finem supernaturalem destinatus est, veritates et leges morales ordinis naturalis non abrogatae sed ad maiorem perfectionem evectae sunt, ideo in theologiam moralem assumuntur et una cum veritatibus ordinis supernaturalis *scientiam theologiae moralis* constituunt.



Quaestio tertia.

De principiis theologiae moralis¹⁾.

10. Quid sint. 1. De principiis theologiae moralis triplici sensu sermo esse potest, siquidem principia theologiae moralis dicuntur:

a. *Revelatio divina et ratio humana* tum naturalis tum potissimum supernaturalis per fidem illustrata: media enim cognitionis, quibus aliquam scientiam nobis comparamus, eius principia dicuntur.

b. *Loci theologiae moralis:* fontes enim, ex quibus alicuius scientiae veritates hauriuntur, pari modo eius principia vocantur.

c. *Certae veritates morales:* veritates enim, ex quibus aliae ratiocinatione deducuntur, principia vocari solent.

2. Si nomine principii certae *veritates morales* intelliguntur, duplicis generis principia distinguere debent, gene-

¹⁾ Cf. *Klentgen*, Institutiones theologiae (Ratisbonae. Pustet. 1881) p. 27 ss.

ralia et particularia. *Generalia* dicuntur illae veritates fundamentales ex supremo theologiae moralis obiecto desumptae, quae integram scientiam moralem ita pervadunt, regunt atque determinant, ut particulares veritates morales earum ope deducantur, explicentur et intelligantur; *particularia* dicuntur singulae veritates morales ex propriis earum fontibus desumptae, ex quibus *veritatibus* veluti ex radice aliae veritates ratiocinatione deducuntur. Sicut enim veritates revelatae, quae theologiae dogmaticae obiectum constituunt, huius principia appellantur, ita particulares veritates morales theologiae moralis principia dicenda sunt. De principiis generalibus hic sermo est; principia particularia constituunt praecipuum obiectum theologiae moralis specialis.

11. Quae sint haec principia generalia, ex obiecto theologiae moralis colligitur: cuiusvis enim scientiae suprema principia ex eius obiecto desumuntur. Ideo declarato undequaque theologiae moralis obiecto, *actione scilicet morali ad finem ultimum dirigenda*, suprema principia stabilita sunt. Iam vero actio moralis omni ex parte declaratur propositis causis, quae ad constituendam actionem moralem ad finem ultimum dirigendam aliquo modo concurrunt. Agendum igitur erit:

a. de fine hominis ultimo, qui est causa finalis, in quam actus morales dirigendi sunt;

b. de ipsis actibus humanis, qui sunt subiectum et causa materialis actuum moralium;

c. de cognitione et libera voluntate, quae sunt eorum causa efficiens;

d. de moralitate, quae est causa eorum formalis;

e. de conscientia et de legibus, quae duo causam eorum exemplarem et duplicem regulam actionum moralium constituunt;

f. de virtutibus ac vitiis, quae proprietatem essentialem cuiuslibet actus moralis et duo suprema genera

actionum moralium constituunt: ex cognitione enim utriusque regulae actionum moralium immediate sequitur divisio omnium actionum moralium in virtutes et peccata, prout regula morum observatur aut laeditur.

Ex his iam duo sine negotio intelliguntur: *a.* principia actus moralis simul esse suprema principia ipsius theologiae moralis; *b.* expositis hisce principiis simul exponi: *α. condiciones* praerequisitas actus moralis (finis, conscientia, lex); *β. essentiam* actus moralis; *γ. differentiam* supremam et universalem, qua actiones morales discriminantur.

Liber primus.

De fine hominis ultimo.

Quaestio prima.

De ipso fine ultimo¹⁾.

12. Quis sit. Homo destinatus est ad participandam in aeternitate *vitam divinam*, cognitionem scilicet et amorem, quibus Deus ipse se cognoscit et diligit. Tum enim ex sacra scriptura tum ex definitionibus ecclesiae constat hominem destinatum esse ad intuitivam Dei visionem, ex qua summa Dei dilectio necessario resultat.

*a. Carissimi, nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit, quid erimus; scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est*²⁾. His verbis apostolus docet statum nostrum in aeternitate longe diversum fore ab eo, quem nunc habemus: Deo enim ex gloria et beatitudine tunc similes erimus; causam vero admirabilis huius immutationis esse *intuitivam Dei visionem*.

b. Ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus. Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.

¹⁾ Cf. *Klentgen*, Theologie der Vorzeit² (Münster. Theissing. 1872) 2. Bd. 4. Hauptst.: Von der übernatürlichen Gemeinschaft mit Gott; 5. Hauptst.: Vom natürlichen und übernatürlichen Ziel und Ende des Menschen. 5. Bd. 3. Hauptst.: Von der praktischen Theologie. *Bouquillon*, Theologia moralis fundamentalis² l. 1. De ultimo fine; l. 2. De mediis ad finem. *Schwane*, Allgemeine Moralthologie (Freiburg. Herder. 1885) § 13.

²⁾ 1. Ioan. 3, 2.

*Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum*¹⁾. Ex his discimus cognitionem Dei, qua in hac vita fruimur, longe inferiorem esse cognitione, qua fruituri sumus in aeternitate: cognitio enim huius vitae sive naturalis per rationem sive supernaturalis per fidem est cognitio Dei mediata; cognitio autem vitae futurae est *immediata Dei visio atque intuitio*.

c. *Benedictus XII.* declarat: „Auctoritate apostolica definimus, quod beati divina essentia perfruantur, nec non quod ex tali visione et fruitione eorum animae, qui iam decesserunt, sunt vere beatae et habent vitam et requiem aeternam“²⁾.

d. Ex intuitiva visione, qua intellectus humanus intime cum divina essentia coniungitur, naturali necessitate oritur in voluntate amor summi boni immediate cogniti. Summam hanc caritatem, qua homo in Deum fertur, significat apostolus his verbis: *nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec; maior autem horum est caritas*³⁾: ideo enim caritatem fide et spe maiorem dicit, quia etiam in aeternitate mansura est.

13. In cognitione et amore Dei, ad quem homo destinatus est, hinc quidem *gloria Dei*, inde vero *hominis beatitudo* consistit.

a. Gloria Dei externa formalis consistit in cognitione, laude et amore, quem creaturae intellectuales Deo exhibent; maiorem vero laudem et amorem Deo summo bono exhibere non potest homo praeter eum, qui in visione cum consequente amore consistit.

α. *Gloria* duplex est, interna et externa. *Interna* est perfectio et excellentia, propter quam aliquis dignus est, qui cognoscatur et laudetur; *externa* est opus externum, propter quod aliquis admirationem et laudem meretur.

Gloria interna vel est *obiectiva*, ipsa scilicet perfectio et excellentia, quae constituit obiectum cognitionis et motivum laudis, vel *formalis*, quae est cognitio ipsius excellentiae et laus, amor et gaudium, quae ex hac cognitione sequuntur. *Gloria externa* pariter vel est *obiectiva*, ipsum scilicet opus externum, quod constituit obiectum cognitionis et rationem laudis atque admirationis, vel *formalis*, quae est cognitio operis et laus, amor et admiratio, quae inde sequuntur.

β. Definitio igitur, qua gloria definiri solet: *clara cum laude notitia* i. e. cognitio de alicuius excellentia cum eiusdem agnitione et

1) 1. Cor. 13, 9—12.

2) Constitutio *Benedictus Deus* 29. ian. 1336.

3) 1. Cor. 13, 13.

laude, haec inquam definitio exhibet *gloriam externam formalem*, quae sensu proprio gloria appellatur.

b. Perfecta hominis beatitudo in illis actibus consistit, quibus ipse summum bonum perfecte possidet eoque fruitur; atqui visione Dei intuitiva atque amore, qui exinde necessario consequitur, homo perfectissimo modo possidet summum bonum eoque fruitur. Ideo *Benedictus XII.* ait: Beati „divina essentia perfruuntur, necnon ex tali visione et fruitione animae eorum, qui iam decesserunt, sunt vere beatae“.

Homo ergo ad aeternam beatitudinem et ad Deum in aeternum glorificandum destinatus est. Gloria Dei est hominis *finis ultimus primarius*, aeterna beatitudo est eius *finis secundarius*.

14. Supernaturalis est. Finis ultimus, ad quem homo a Deo destinatus est, plane *supernaturalis* est, qui scilicet omnes vires omnesque exigentias naturae creatae excedit atque ipsius vitae divinae participatio est:

a. Beatitudinem, quae nobis promittitur in coelo, ille tantum cognoscere potest, qui scrutatur profunda divinitatis; atqui eiusmodi beatitudo tum vires tum exigentias naturae creatae superat ideoque stricto sensu supernaturalis est¹⁾.

b. Naturae creatae prorsus supernaturalis est beatitudo filii Dei; atqui beatitudo, quae nos manet in aeternitate, est participatio beatitudinis ipsius filii Dei: etenim *dabit nobis sedere secum in throno suo, sicut ipse sedet in throno patris sui*²⁾; *disponet nobis regnum, sicut disposuit sibimetipsi pater; dabit, ut edamus et bibamus super mensam suam in regno suo*³⁾.

c. Beatitudo, quae in aeternitate nos manet, in intuitiva visione Dei consistit una cum amore, qui ex ea necessario resultat; atqui haec est ipsius Dei beatitudo et consequenter prorsus supernaturalis.

d. Plane supernaturalis est filiatio, qua homo constituitur filius Dei adoptivus; ergo supernaturalis est etiam beatitudo, quae filiationi

¹⁾ *Oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum; nobis autem revelavit Deus per spiritum suum: spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* 1. Cor. 2, 9. 10.

²⁾ *Qui rixerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut et ego rici et sedi cum patre meo in throno eius.* Apoc. 3, 21.

³⁾ *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Luc. 22, 29. s.

adoptivae debita proportione respondet; atqui beatitudo, quam expectamus in aeternitate, est beatitudo filiorum Dei¹⁾.

15. Ad maiorem huius rei declarationem iuvabit distinguere **ordinem naturalem et supernaturalem.**

a. Ordinem naturalem constituit complexus relationum, quibus homo a Deo conditus refertur ad Deum auctorem naturae. Complectitur ergo hic ordo finem ultimum naturalem seu bona, in quorum assecutione homo perfectam felicitatem naturalem consequitur, leges et media, quae ad hunc finem obtinendum inserviunt.

Ordo naturalis ipso *facto creationis* instituitur. Sed placuit Deo summe bono hominem supra naturam suam ad altiorem ordinem elevare atque ad ipsum aliam relationem induere, quam natura humana neque exigit nec suis viribus assequi unquam potest, relationem scilicet plane supernaturalem.

b. Ordinem supernaturalem constituunt relationes, quibus homo in filium a Deo adoptatus ad Deum patrem suum adoptantem refertur. Complectitur ergo hic ordo finem supernaturalem seu bona, in quorum possessione homo beatitudinem supernaturalem consequitur, leges et media, quibus ad hanc obtinendam dirigitur et iuvatur.

Ordo supernaturalis instituitur ipso *facto adoptionis*, seu elevationis naturae humanae in statum filiationis adoptivae.

¹⁾ *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii et heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Rom. 8, 14—17. Cf. Gal. 4, 1 ss.



Quaestio secunda.

De mediis ad finem ultimum.

16. **Quae sint.** Hoc loco considerata non sunt *media externa*, quae Christus Dominus in hunc finem instituit, ut sunt ecclesia, sacramenta et eiusmodi, sed solum *media interna*, quibus anima instruitur, ut ad finem supernaturalem tendere possit. Ad haec media pertinent gratia sanctificans, habitus infusi et gratia actualis.

Per *gratiam sanctificantem*, quae animae substantiae inhaeret, homo elevatur ad naturam et vitam supernaturalem fini supernaturali, ad quem destinatus est, proportionatam. Per eandem constituitur filius Dei adoptivus et fit particeps naturae divinae et hereditatis filiorum Dei.

Per *habitus infusos*, qui animae potentiis, intellectui scilicet et appetitui, inhaerent, homo instruitur viribus et potentiis, quibus opera fini supernaturali proportionata atque ad illum consequendum apta exercere possit.

Per *gratias actuales* Deus ad singulas hominis actiones supernaturaliter concurrat, eo quod eas auxilio suo praevent, comitatur et perficit.

De gratia sive habituali sive actuali tractat theologia dogmatica; quae vero de habitibus infusis scitu necessaria sunt, hoc loco exponenda veniunt. Porro habitus infusi sunt duplicis generis, virtutes supernaturales et dona Spiritus sancti, de quibus iam agendum est.

Articulus primus.

De virtutibus supernaturalibus¹⁾.

17. **Num sint.** *Virtutes supernaturales* sunt habitus a Deo *infusi*, quibus homo actus supernaturales connaturaliter exercere possit.

¹⁾ *Suarez*, De gratia l. 6. c. 4. *Mazzella*, De virtutibus infusis⁴ (Romae. Forzani. 1894). *Pesch*, Praelectiones dogmaticae (Friburgi. Herder. 1898) VIII. I. *Tepe*, Institutiones theol. mor. generalis (Parisiis. Lethielleux. 1898). De virtutibus. II. p. 147 ss.

a. Non potest affirmari virtutes infusas ad consequendum finem supernaturalem esse necessarias: nam ut actus virtutum fini ultimo consequendo sint proportionati, supernaturales esse debent; sed ut supernaturales sint, sufficit, ut per gratiam fiant. Attamen summe conveniens est, ut homo ad finem supernaturalem destinatus ornetur habitibus virtutum supernaturalium: nam conveniens est, ut natura ad statum supernaturalem elevata actus, quibus in finem supernaturalem tendit, *connaturaliter* efficere possit; atqui ad hoc requiritur, ut non solum principium externum et transiens (gratia actualis), sed etiam principium internum et permanens sit supernaturale, id quod suppeditant habitus infusi.

Quod ergo in ordine naturae sunt animae potentiae, intellectus et voluntas, id in ordine supernaturali sunt habitus infusi, nempe *principium proximum* vitae supernaturalis, sicut gratia sanctificans, ex qua habitus infusi promanant, dicenda est vitae supernaturalis *principium remotum*.

b. Si solum in genere quaeritur, *num sint virtutes infusae*, responderi debet ex revelatione certum esse, animae infundi virtutes supernaturales: ex concilio enim tridentino novimus *hominem in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec (dona) omnia simul infusa accipere per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem*¹⁾. Virtutes infusae aliae sunt virtutes *theologicae*, aliae virtutes *morales*.

18. De virtutibus theologicis. 1. Virtutes theologicae illae dicuntur, quarum motivum (obiectum formale) est Deus seu aliqua perfectio divina.

Theologicae (divinae) hae virtutes dicuntur ratione *originis* divinae, quia non cognoscuntur nisi revelatione divina, nec acquiruntur nisi a Deo nobis infundantur; ratione *essentiae*, quia in se supernaturales sunt: potissimum vero ratione *obiecti formalis*, quod est aliqua perfectio divina; econtra aliarum virtutum obiectum formale est aliquid bonum creatum. Virtutum theologicarum tamen etiam *obiectum materiale* (verum, quod credimus, et bonum, quod speramus et diligimus), saltem principale et primum, est ipse Deus.

¹⁾ Sess. 6. c. 7.

2. Tres sunt virtutes theologicae, nempe *fides, spes et caritas*.

a. S. Paulus de virtutibus theologis scribens: *nunc autem manent fides, spes, caritas, tria haec; maior autem horum est caritas*¹⁾ loquitur de genere virtutum ab omnibus aliis virtutibus distincto. Ideo concilium tridentinum declarat: in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, *fidem, spem caritatem*²⁾.

b. Cum ad finem supernaturalem destinati simus, Deus nos capaces reddere voluit. qui ad eum actibus proportionatis, nempe intrinsicis supernaturalibus, connaturaliter tenderemus; ad hoc autem necesse fuit, ut habitus virtutum theologiarum nobis infunderentur. Nam ut in Deum finem supernaturalem tendere possimus, necesse est, ut eum supernaturaliter cognoscamus, ut supernaturali desiderio in eum feramur, tandem ut supernaturaliter ei conformemur; atqui primum habetur per fidem, alterum per spem, tertium per caritatem theologiam, per habitus igitur infusos virtutum theologiarum.

3. Virtutes theologicas a Deo nobis *infundi* complures de fide certum dicunt ex loco citato concilii tridentini. Infunduntur autem omnes simul una cum gratia sanctificante, at non omnes simul amittuntur.

4. Quoties gratia sanctificans *augetur*, simul cum ea etiam virtutes theologicae cum reliquis virtutibus augentur: tanta enim est connexio inter gratiam et virtutes, ut cum illa infundantur, conserventur et augeantur; sed gratia sanctificans susceptione sacramentorum et bonis operibus *augetur*³⁾.

5. Quamvis virtutes theologicae cum gratia sanctificante omnes simul infundantur atque ex ea dimanent, non tamen omnes cum ea *amittuntur*, sed pereunt per actus ipsis oppositos. ¹

Caritas cum gratia sanctificante per quodvis peccatum mortale amittitur, *fides* autem et *spes* solum per peccatum mortale his virtutibus directe oppositum amittuntur: *fides* enim et *spes* natura praecedunt *caritatem*, ad eam disponunt atque conducunt, quapropter amissa *caritate* non amittuntur eius praeviae dispositiones sed remanent in peccatore, ut eum in recuperanda *caritate* invent. Per

¹⁾ 1. Cor. 13, 13.

²⁾ Conc. trid. sess. 6. c. 7.

³⁾ Concil. trid. sess. 6. can. 24.

peccatum mortale desperationis amittitur *spes* cum caritate et gratia sanctificante, non autem fides, quae est praevia dispositio ad spem et fundamentum omnium virtutum supernaturalium. Tandem per peccatum mortale haeresis amittitur *fides* cum gratia sanctificante et omnibus virtutibus infusis.

19. De virtutibus moralibus. Virtutes morales illae dicuntur, quarum obiectum formale est actionum honestas.

a. Cum de fide certum non sit etiam virtutes *morales* a Deo nobis infundi, sunt theologi (scotistae), qui id negant; eorum tamen doctrina ab aliis ut erronea reiicitur. Et sane si constat virtutes theologicas infundi, id de moralibus negari non potest: eadem enim est necessitas virtutum moralium et theologicarum ad proprios actus eliciendos; si ergo Deus infundit virtutes theologicas, ut earum actus per interna principia connaturaliter exercentur, ex eadem ratione etiam virtutes morales infundere debet. Ideo catechismus romanus docet: „Huic (gratiae) additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quae in animam cum gratia divinitus infunduntur“¹⁾.

b. Quot sint virtutes morales infusae, non constat. Dicendum videtur quatuor virtutes cardinales infundi, sed non plures: cum enim reliquae virtutes morales ad virtutes cardinales revocentur tamquam earum partes integrales aut subiectivae, illarum habitus etiam ad harum actus eliciendos sufficiunt.

20. Quid operentur virtutes. Habitus infusi ex communiore et veriore theologorum sententia dant ipsam potestatem, non etiam facilitatem supernaturales actus eliciendi, quia inclinant quidem ad suos actus, eorum impedimenta autem non remonent.

a. Ex his iam patet potissimum *discrimen*, quod *inter virtutes infusas et acquisitas* intercedit: *a.* virtutes enim infusae dant ipsam facultatem, at non etiam facilitatem supernaturaliter operandi: cum enim infunduntur, non auferunt impedimenta operandi, quae proveniunt ex concupiscentia et ex malis habitibus. Facilitas operandi per exercitium

¹⁾ De baptismo n. 51.

habitus infusi comparatur. Virtutes autem acquisitae non tribuunt potestatem sed facilitatem operandi; potestas enim operandi iam a natura adest; cum vero repetitis actibus nec sine pugna comparentur, eo ipso minuunt vel etiam penitus auferunt difficultates operandi, quae ex concupiscentia vel ex prava consuetudine proveniunt. β. Virtutes infusae cum gratia sanctificante puncto temporis infunduntur, suis actibus non effective sed meritorie augentur et per quodvis peccatum mortale cum gratia sanctificante puncto temporis destruuntur. Virtutes autem acquisitae non uno actu sed repetitis actibus acquiruntur iisdemque effective augentur et non-usu vel actibus contrariis paulatim minuuntur ac tandem evanescent.

b. Hinc quandoque homines peccatores e. g. impudicos in aliqua virtute e. g. in iustitia excellere videmus: nam per peccatum mortale non destruuntur omnes virtutes acquisitae. Econtrario homines iustos videmus contra diversas easque vehementes in malum propensiones pugnare debere: virtutes enim infusae non auferunt naturales habitus pravae, qui actibus contrariis paulatim debilitantur.

Articulus secundus.

De donis Spiritus sancti¹⁾.

21. Num sint dona et quot. Praeter virtutes theologicas et morales a Deo infusas homini iusto conferuntur *septem dona Spiritus sancti*.

a. Hanc doctrinam sancti patres et theologo unanimi consensu colligunt ex his sacrae scripturae verbis: *Et requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis et replebit eum spiritus timoris domini*²⁾. Quae verba de Messia quidem dicuntur, a sanctis ecclesiae patribus autem homini iusto applicantur, quippe quem Deus *praedestinaverit conformem fieri imagini filii sui*³⁾.

¹⁾ S. Thomas I. II. q. 68. Suarez, De gratia l. 2. c. 17 s., l. 6. c. 10. Weiss, De septem donis Spiritus sancti. (Viennae. 1895). Bodewig, Die Gaben des hl. Geistes (Zeitschrift f. kath. Theol. 1882. 1883). Göpfert, Moraltheologie³ I. n. 262 f. Meschler, Die Gabe des hl. Pfingstfestes² (Freiburg. Herder. 1892) Kap. 27—34. Tepe, l. c. p. 275 ss.

²⁾ Isai. 11, 2. 3. — ³⁾ Rom. 8, 29.

b. Solet Spiritus sanctus hominem iustum illustrationibus et inspirationibus supernaturalibus non solum ad ordinarias vitae christianae virtutes movere, sed quandoque etiam ad opera perfectiora et sublimiora divino instinctu inspirare atque excitare. Atqui per virtutes infusas homo iustus instructus est quidem viribus supernaturalibus, quibus virtutes ordinarias vitae christianae exercere possit, at per eas non redditur aptus ad omnia etiam extraordinaria et difficilia opera perficienda. Ideo conceduntur ei dona Spiritus sancti, quae per modum habitus eius potentiis inhaerent eumque aptum reddunt, qui extraordinariis motionibus Spiritus sancti prompte obediat. Sunt ergo dona Spiritus sancti *principium supernaturale internum, quo etiam opera sublimiora et extraordinaria vitae christianae connaturaliter fiant.*

c. Septem numerantur dona Spiritus sancti: donum sapientiae, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiae, pietatis et timoris Domini: cum enim haec dona conferantur ad virtutes perficiendas et septem sint praecipuae virtutes, orportuit ut etiam septem dona infunderentur. Unde Spiritus sanctus, cui haec dona tamquam auctori per appropriationem tribuuntur, ab ecclesia *septiformis munere* appellatur, idemque rogatur, ut suis fidelibus det *sacrum septenarium.*

Dona ergo omnibus infunduntur iustis atque ex eorum nominibus apparet quatuor pertinere ad potentiam cognoscitivam: *intellectum, scientiam, sapientiam, consilium*; tria vero ad voluntatem: *timorem, pietatem, fortitudinem.*

22. Natura donorum. De natura singulorum donorum theologi non consentiunt, haec tamen ex probabiliore eorum doctrina dicenda videntur.

1. *Donum intellectus* hominem disponit ad veritates revelatas sive practicas sive theoreticas ex inspiratione divina clarius et profundius percipiendas tum quoad sensum earum tum quoad earum nexum. Cum hac cognitione nectitur aptitudo et facilitas intelligendi sensum s. scripturarum.

2. *Donum scientiae* supposita fide veritatum revelationum hominem disponit ad recte iudicandum de religione christiana, quatenus sub influxu spiritus s. ex rationibus tamen naturalibus intelligit eas esse manifesto credibiles, sanae rationi apprime consentaneas christianamque virtutem tantae esse excellentiae, ut bonis terrenis omnibus sit anteponenda.

3. *Donum sapientiae* item supposita fide hominem disponit ad recte iudicandum de veritatibus religionis christianae, quatenus non ex rationibus naturalibus sed supernaturalibus et divinis, prout nempe ex Deo sunt, supremo principio et fine, earum pulchritudinem contempletur atque in iis delectatur.

4. *Donum consilii* hominem disponit, ut ex motione Spiritus sancti eligat media, quae apta sunt ad progrediendum in via perfectionis. Quoniam vero Spiritus s. altiora eligit quam prudentia humana, accidit, ut iustum ad ea impellat, quae hominibus stulta apparent, et magis admiranda quam indiscriminatim imitanda sunt¹⁾.

5. *Donum fortitudinis* hominem disponit ad superandas difficultates, quae obstant exercitio virtutum. Donum fortitudinis a virtute fortitudinis, quae ad superandas easdem difficultates inclinatur, dupliciter differt: *a.* virtutis motivum est naturalis honestas, quae in superandis difficultatibus cernitur; motivum doni est fiducia in motionem et assistentiam Spiritus sancti. *b.* Virtus respicit mensuram virium naturae; donum vires naturae excedit et audet ea, quae rationi naturali temeraria apparent²⁾.

6. *Donum timoris* hominem disponit, ut sequatur motionem Spiritus s. ad reverentiam Deo exhibendam: timor enim intelligitur reverentialis erga divinam maiestatem, cui etiam Christus Dominus reverentiam exhibuit, et coram qua teste s. scriptura procidunt angeli in facies suas³⁾.

¹⁾ Cf. Iud. 11, 30; 16, 29; 1. Mach. 6, 46.

²⁾ Cf. 1. Reg. 17, 32 ss.; 2 Mach. 6. 18 ss.

³⁾ Cf. Apoc. 7, 11.

7. *Donum pietatis* hominem disponit, ut sequatur Spiritum sanctum moventem ad honorandum Deum ut patrem nostrum¹⁾. Sicut pietas in ordine naturali refertur ad parentes, ita in ordine supernaturali refertur ad Deum, patrem nostrum altiore sensu; ideo pietas ad quoscunque actus disponit, quibus ex speciali motione Spiritus s. reverentiam exhibemus Deo, ut patri nostro omnibusque aliis (ut sanctis, ecclesiae, proximis). quatenus ad Deum, ut patrem referuntur.

23. Supremum principium. *Finis ultimus supernaturalis* seu destinatio hominis ad beatitudinem, quae in visione et amore Dei consistit, *supremum est principium theologiae moralis*. Ex hac namque veritate omnia determinantur et intelliguntur, quae ad hominum sanctificationem a Deo instituta et ab hominibus praestanda sunt. Et sane ut vita christiana fini beatitudinis aeternae proportionata sit, infunditur *gratia sanctificans*, qua homo elevatur ad ordinem supernaturalem, constituitur iustus, sanctus, filius Dei adoptivus et qua sortitur principium vitae supernaturalis, quae filio Dei et herede beatitudinis aeternae digna sit. Cum gratia sanctificante infunduntur *virtutes theologicae*, quibus potentiae animae, intellectus et voluntas, supernaturaliter perficiantur et aptae redduntur ad exercendas virtutes quoad obiectum prorsus supernaturales et vitae aeternae proportionatas. *Virtutes morales* quoad obiectum quidem a virtutibus naturalibus non differunt, attamen per habitus infusos et per influxum, quem supernaturalis caritas in earum actus exercet, elevantur ad perfectionem supernaturalem, quae dignitati filii Dei ad visionem beatificam destinati conveniens sit. Ad hanc vitam supernaturalem gignendam, alendam, perficiendam, conservandam et, si amissa fuerit, denuo reparandam Christus dominus instituit *sacramenta*, ceu totidem fontes et adminicula vitae supernaturalis. Ad eundem

¹⁾ Rom. 8, 15.

denique finem his omnibus adiecit *praecepta* virtutum theologicarum et *praecepta*, quae referuntur ad sacramenta, quae quidem sunt *praecepta* ordinis supernaturalis.

Quaestio tertia.

De obligatione tendendi in finem ultimum.

24. De ipsa obligatione. Primarium et principale officium morale, quod homini in hac vita degenti incumbit, est obligatio tendendi in finem ultimum eumque mediis a Deo ordinatis assequendi.

1. Omnes res creatae necessario tendunt in finem ab auctore naturae sibi praestitutum, creaturae quidem irrationales necessitate physica, creaturae autem rationales necessitate morali: agens enim liberum propria electione pervenire debet ad finem, libere eligendo finem et ea, quae ad finem consequendum a Deo ordinata sunt; sed necessitas haec moralis est obligatio tendendi in finem ultimum.

Hoc argumentum etiam in hunc modum exhiberi potest: Homo naturali pondere finem bonumque suum quaerit; sed in ente rationali libero tendentiae naturae lege ac obligatione morali reguntur; tenetur ergo lege morali in finem ultimum tendere.

2. Homo ad finem vitae aeternae a Deo destinatus est; sed in hac destinatione manifesto continetur voluntas Dei, qua homo obligatur ad finem per media ab ipso ordinata assequendum. Confirmatur haec obligatio addita sanctione amittendi vitam et incurrendi mortem aeternam: *Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii*¹⁾. *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur*²⁾.

¹⁾ Ioan. 5, 29.

²⁾ Matth. 7, 19.

Hoc argumentum ita exhiberi potest: Deus finem ultimum hominis se constituit; sed eo ipse, quod finem ultimum se constituit, homini imposuit obligationem in finem ultimum tendendi.

3. Eadem obligatio expressis verbis s. scripturae homini iniungitur: *cum metu et tremore vestram salutem operamini*¹⁾.

25. Quid involvat. 1. Imprimis tenetur homo finem ultimum cognoscere et fide apprehendere eumque constituere finem vitae suae moralis.

2. Tenetur servare praecepta. Si enim prosecutio finis praecipitur, simul praecipitur omne id, quod ad finem obtinendum necessarium est; sed ad finem obtinendum necessaria est observatio praeceptorum et usus mediorum salutis. quatenus haec sub gravi praecepta sunt; *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*²⁾. *Qui facit voluntatem patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum*³⁾.

3. Tenetur per poenitentiam instaurare statum gratiae, si per peccatum mortale amissus fuerit. Existenti enim in statu peccati mortalis, quippe cuius voluntas a Deo aversa adhaeret rebus terrenis, propter defectum virium nimis arduum est superare difficultates, quae in observandis per longum tempus praeceptis occurrentibus reperiuntur, nisi voluntatem a peccatis retractet Deumque rebus creatis efficaciter anteponat⁴⁾.

De difficultate, quae reperitur in assignando tempore, intra quod haec obligatio implenda sit, alibi sermo recurrit⁵⁾.

¹⁾ Phil. 2, 12.

²⁾ Matth. 19, 17.

³⁾ Matth. 7, 21.

⁴⁾ Cf. *S. Thomas* I. II. q. 109. a. 8. II. II. q. 14. a. 2. *Lugo*, De poenitentia disp. 7. n. 234 ss.

⁵⁾ Cf. *De sacramentis* n. 215.

Liber secundus.

De actibus ad finem aptis.

In finem ultimum supernaturalem homo suis actibus tendere debet: beatitudo enim aeterna tamquam merces et praemium laboris nobis rependitur. Iam vero ut actus nostri ad finem supernaturalem ultimum promerendum apti sint, humani, moraliter boni, supernaturales et meritorii esse debent: finis enim obtineri nequit nisi actibus, qui fini sunt proportionati; sed hi soli actus fini ultimo supernaturali sunt proportionati; quare ordine agendum est de actibus humanis, de actibus moralibus, supernaturalibus et meritoriis.

Quaestio prima.

De actibus humanis¹⁾.

Articulus primus.

De natura actuum humanorum.

26. Definitio. Actus humani latissimo sensu omnes dicuntur, qui ab homine fiunt, sive hominis proprii sive

¹⁾ *S. Thomas* I. II. q. 6—21. *S. Alphonsus* l. 5. n. 1—44. *Sporer-Bierbaum*, *Theologia moralis decalog.* (Paderbornae. Typographia bonifac. 1897) tr. 1. c. 2. *Ballerini-Palmieri*, *Opus theologicum morale*³

ipsi cum brutis communes sunt. Actus, qui homini cum brutis communes sunt, dicuntur actus *hominis*; qui vero ipsius proprii sunt actus *humani*.

Actus, qui ab homine fiunt, alii sunt ipsi cum brutis communes ut videre, audire, ambulare: homo enim est *animal* rationale; alii sunt eius proprii ut intelligere et velle: etenim homo est animal *rationale*. Actus, qui hominis proprii sunt, duplici ratione considerari possunt, quoad naturam eorum spiritualem et quoad modum, quo fiunt, nempe necessario vel libere: ideo actuum, qui hominis proprii sunt, alii solum quoad naturam eius proprii sunt, scilicet actus spirituales, qui sicut actus brutorum necessario fiunt, alii ipsius proprii sunt quoad modum operandi, scilicet actiones liberae, cuiusmodi in brutis non occurrunt. Hi *stricte et proprie humani* dicuntur. Praemissa hac descriptione iam quaeritur, quomodo actus hominis et actus humani definiendi sint considerata eorum essentia.

1. Actus *hominis* illi dicuntur, qui ab homine fiunt, quin pendeant a libera voluntate, quales sunt actus sentiendi, actus cogitandi, actus volendi, qui indeliberate fiunt.

Ad actus hominis pertinent: α . actus, qui fiunt ab homine actu usum rationis non habente, ut sunt infantes, ebrii, dormientes, delirantes: β . actus, qui fiunt ab homine actu usum rationis quidem habente sed ratione non utente, quales sunt actus intellectus, voluntatis, imaginationis et motus appetitus sensitivi, qui advertentiam mentis praecedunt.

2. Actus *humani* dicuntur, qui a libera voluntate dependent, quorum proinde homo est dominus, et definiendi solent: actus, *qui a deliberata voluntate procedunt*, i. e. qui fiunt cum advertentia mentis et cum libero consensu voluntatis, ut sunt actus liberi tum intelligendi et volendi tum etiam sentiendi.

Hos solos *stricte et proprie humanos* esse patet: nam actus vere et proprie humani dicuntur, qui ab homine fiunt prout homo est et a creaturis irrationalibus differt seu illi, qui hominis proprii sunt quoad modum operandi; atqui solum actus, qui a deliberata voluntate procedunt, sunt eiusmodi: actus enim intellectus et voluntatis necessarij

(Prati. Giachetti. 1898) tr. 1. *Lehmkuhl* I. n. 1—40. *Bouquillon* n. 311—377. *G. Walsh*, Tractatus de actibus humanis² (Dublinii. Gill. 1891). *V. Frins*, De actibus humanis (Friburgi. Herder. 1897). *Tepe*, De actibus humanis n. 1—107. *Pesch*, Praelect. dogmat. III. n. 536 ss.

sunt quidem hominis vere proprii et dici possunt humani quoad substantiam actionis, at eius non sunt proprii nec possunt dici humani quoad modum actionis, quia illis non convenit proprius ille modus operandi, qui est: agere cum dominio actus.

27. Actuum humanorum divisio. 1. Actus humani alii sunt elicitii, alii imperati: *eliciti* dicuntur, qui a voluntate procedunt et in ipsa perficiuntur ut actus amoris, odii, desiderii; *imperati* dicuntur, qui ex imperio voluntatis procedunt, sed ab alia potentia sive interna ut actus cogitandi sive externa ut actus ambulandi exercentur.

a. Nihil impedit, quominus elicitii dicantur etiam actus, qui non a voluntate, sed ab alia potentia immediate procedunt, sic actus cogitandi quoad intellectum, actus videndi, audiendi quoad sensus elicitii vocari possunt; quoniam autem in re morali non attenduntur nisi actus liberi, *soli actus voluntatis solent vocari elicitii*.

b. Voluntas duplici modo egere potest, actum eliciendo et actum imperando. *Imperium voluntatis* dicitur actus voluntatis, quo haec potentias sibi subiectas ad actum movet vel ab actu cessare facit, sic voluntas efficere potest, ut intellectus de aliqua re cogitet vel de ea cogitare desinat, item ut membra corporis moveantur vel a motu cessent.

c. Voluntas *imperium exercet* in intellectum, in sensus externos, in appetitum sensitivum et in vim motricem prout haec ad vitam animalem pertinet. Harum potentiarum *operationes* sunt et dicuntur *liberae* (quoad exercitium), quatenus nempe earum exercitium a libera voluntate dependet.

d. Voluntas non solum aliarum potentiarum, sed etiam *propriis actus* imperare potest, sibi e. g. imperare potest, ut eliciat actus amoris Dei: sunt ergo *actus elicitii voluntatis, qui simul imperati sunt*.

e. Actus dicuntur etiam *eliciti* ratione motivi interni, et *imperati* ratione motivi externi, propter quod exercentur, sic oratio, quae est actus elicitus religionis, potest esse actus imperatus a poenitentia, si fiat ad redimenda peccata. Ex his intelligitur, quid significant theologii, ubi docent unam virtutem imperare actus aliarum virtutum, nempe si quis ex motivo e. g. caritatis pauperi dat eleemosynam, caritas imperare dicitur actum misericordiae

2. Alii sunt interni, alii externi, alii mixti: *interni* vocantur, qui ab animae potentiis mere internis perficiuntur ut actus cogitandi; *externi* vocantur, qui (a voluntate) per organa corporis externa perficiuntur ut actus

ambulandi, videndi; *mixti* dicuntur, qui a potentiis externis et internis simul exercentur ut attentata oratio vocalis, devota adoratio per genuflexionem.

Secundum alium considerandi modum actus *interni* vocantur actus elicitii a voluntate, et *externi* actus a voluntate imperati, quippe qui *voluntati* sint externi, sive dein a potentiis internis sive externis exercentur.

3. Actus boni, mali, indifferentes: *boni* dicuntur, qui rectae rationi sunt conformes; *mali*, qui rectae rationi repugnant; *indifferentes*, qui rectae rationi nec conformes sunt nec repugnant; hi boni vel mali evadunt potissimum ex fine, propter quem fiunt. — Actus bonus aut indifferens vocatur etiam *licitus*, quia nulla lege prohibetur: malus vero nuncupatur *illicitus*, quia legi vel divinae vel humanae opponitur.

4. Alii actus sunt naturales, alii supernaturales: *naturales* illi vocantur, qui solis naturae viribus producuntur; *supernaturales* illi, qui auxilio divinae gratiae perficiuntur. Actus tum naturales tum supernaturales dicuntur *meritorii*, prout digni sunt, quibus aliqua retributio rependatur.

Discrimen inter actus naturales et supernaturales non ab objecto actus sed a principio elicente desumitur: nam ut actus sit supernaturalis, principium supernaturale requiritur et sufficit, econtra obiectum supernaturale nec requiritur nec sufficit. Sane supernaturalis est actus intellectus auxilio gratiae positus circa veritatem naturalem; actus autem sine auxilio gratiae positus circa veritatem revelatam supernaturalis non est.

5. Alii sunt validi, alii invalidi: *validi* dicuntur, qui gaudent omnibus requisitis ad proprium suum effectum producendum: *invalidi* autem, quibus deest aliqua condicio ad id necessaria; sic votum dicitur validum, quod necessarias condiciones habet ad inducendam obligationem. Validi sunt aut *rescindibiles* aut *irrescindibiles* prout humana voluntate rescindi seu vi sua privari possunt ut vota, contractus, aut non possunt ut sacramenta.

Articulus secundus.

De principiis actuum humanorum.

Principia actuum humanorum ea dicuntur, quae ad illos efficiendos concurrunt. Tria sunt eiusmodi principia: a. cognitio seu *advertentia mentis*, quae actum voluntatis praecedere debet; b. ^{consensuale} *activitas voluntatis*, quae prosequitur obiectum, prout ab intellectu sibi proponitur; *exercitium libertatis*, quo voluntas se ipsa ad actum determinat. Agendum est ergo de cognitione ad actum humanum requisita; de libera voluntate, prout diversimode in obiectum tendit seu de actibus, prout diversimode a voluntate procedunt¹⁾. Porro actus, qui a voluntate procedit, *voluntarium* dici solet, quare de *voluntario et involuntario*, et quia voluntarium in causa specialem difficultatem habet, in specie *de voluntario in causa* agendum est.

§ 1. De cognitione requisita.

28. Condiciones ad eam necessariae. Duo ex parte cognitionis praecedere debent, ut actus habeatur vere humanus. 1. *Advertentia ad ipsum actum*: actus enim humanus cum sit liber, debet esse in potestate operantis, adeo ut illum ponere vel non ponere, continuari vel ab-rumpere pro lubitu possit; atqui id impossibile est, nisi ad ipsum advertat et sciat se actum elicere.

Quocirca cogitationes, imaginationes vel appetitiones, quae statim proposito obiecto sine ulla mentis advertentia in intellectu, in phantasia, in voluntate vel in appetitu sensitivo oriuntur, non possunt esse actus humani et proinde nec boni nec mali.

2. *Advertentia ad obiectum eiusque singula elementa*: cum enim nihil sit volitum, quod non sit praecognitum,

¹⁾ Libertas voluntatis in theologia morali non demonstrari et vindicari debet, sed ex ethica vel psychologia demonstrata et vindicata supponitur. Cf. *Cathrein*, Moralphilosophie³ (Freiburg. Herder. 1899) Von der Freiheit des Menschen S. 27 ff. *Gutberlet*, Die Willensfreiheit und ihre Gegner. (Fulda. Actiendruckerei. 1893)) *Tilm. Pesch*, Institutiones psycholog. (Friburgi. Herder. 1898) III. p. 321 ss.

2. *Advertentia ad obiectum eiusque elementa.* Cum actus humani obiectum debeat esse libere volitum ideoque praecognitum, actus eatenus est humanus, quatenus eius obiectum cognitum est.

Ut actus eius, qui occidens patrem comittit parricidium, sit actus humanus, scire debet se occidere patrem; esset homicidium, si putaret se occidere hominem; ne homicidium quidem esset, si putaret se occidere feram.

a. *Advertentia* definitur actus, quo mens ad aliquid attendit. *Dividitur:*

α. Ratione ipsius actus in *plenam*, si mentem nihil impedit, quominus actus advertendi sit perfectus, ut quando aliquis perfecte vigilans, sui compos, non distractus ad rem advertit, et in *semiplenam*, si mentem aliquid impedit, quominus actus advertendi sit perfectus, ut quando aliquis de re cogitat nondum plene vigilans, vel sui non plene compos, vel aliis rebus distractus.

β. Ratione rei, ad quam mens advertit, in *distinctam*, si res clare vel certe apprehenditur, et in *confusam*, si res obscure vel dubie apprehenditur. Sic qui rem sacram furatur, cogitans rei sacrae furtum esse sacrilegium, ad sacrilegium *distincte* advertit; qui rem sacram furatur, solum sciens rei sacrae furtum gravius esse simpliciter furto, ad sacrilegium *confuse* advertit. Item qui tegulam e tecto in plateam proiicit eo consilio, ut praetereuntem inimicum occidat, ad mortem inimici *distincte* advertit, et qui idem facit suspicans quidem hominem forte praetereuntem posse occidi, nesciens autem, num reipsa praetereat et occidatur, ad mortem hominis *confuse* advertit.

b. Pro diversa mentis advertentia ad actum sive voluntatis sive aliarum potentiarum tripliciter diversi actus seu, ut vocari solent, *motus*, distinguuntur. Sunt α. actus seu *motus primo primi*, qui omnem advertentiam mentis praeveniunt e. g. motus aversionis, irae, vindictae in appetitu sensitivo vel in voluntate; β. actus seu *motus secundo primi*, qui plenam et perfectam mentis advertentiam praeveniunt; γ. actus seu *motus secundi*, qui eliciuntur cum plena et perfecta advertentia et cognitione.

3. *Deliberatio*, quae est inquisitio circa aptitudinem mediorum ad obtinendum finem. Ubi nempe actus voluntatis versatur circa media ad finem, electionem voluntatis praecedere debet deliberatio, ne voluntas temerarie eligat. Hanc deliberationem sequitur *iudicium practicum*, quo mens determinat medium esse aptum atque eligendum.

§ 2. De voluntario et involuntario.

29. Quid sit. *Voluntarium* dicitur, quod a voluntate (tamquam effectus a sua causa) procedit cum praevia cognitione intellectus. Duo ergo de ratione voluntarii sunt:

- a. ut actus a voluntate tamquam a causa sua procedat;
b. ut ponatur praelucente cognitione intellectus.

a. A voluntate aliquid procedere potest *positive* seu per influxum eius positivum, aut *negative* seu per omissionem influxus.

Positive a voluntate aliquid tripliciter procedere potest: immediate, mediate et effective. *Immediate* procedunt ipsi actus elicti voluntatis, *mediate* procedunt actus a voluntate imperati et ab aliis potentiis elicti, *effective* procedunt horum actuum effectus. Sic in iactu lapidis, quo vulneratur homo, intentio iaciendi immediate, iactus mediate, vulnus a lapide inflictum effective a voluntate procedit.

Negative a voluntate procedere dicuntur *omissiones* earumque effectus. Si quis ignem domui appositum non extinguit, ommissio extinctionis et effectus conflagrationis domus negative a voluntate procedere dicuntur.

b. Quare voluntarium differt: α. a *volito*: volitum enim dicitur obiectum voluntatis, etsi a voluntate non dependeat; voluntarium autem illud solum obiectum dicitur, quod a voluntate dependet; β. a *spontaneo*, quod a potentia procedit cum cognitione sensitiva; quare actus amentium, infantium, quin etiam brutorum possunt dici spontanei, at voluntarii dici nequeunt; γ. ab *actu humano*: voluntarium enim ab eo praescindit, utrum actus libere an necessario a voluntate procedat, actus vero humanus actus liber est.

Ei, qui inimicum suum occidit, tum propositum occidendi tum mors inimici voluntaria est, ei vero, qui occisi mortem desiderat, non infert, desiderium mortis voluntarium, mors autem volita est. Agriculae desiderium pluviae voluntarium, pluvia volita est; Deo autem pluvia volita et voluntaria est. — Omne ergo voluntarium volitum est, sed non vicissim omne volitum voluntarium est.

30. De partitionibus voluntarii.¹⁾ 1. Voluntarium *necessarium* et *liberum*, prout actus voluntatis ita fertur in obiectum, ut voluntas abstinere ab eo non possit, vel ita, ut voluntas pro lubitu actum ponere vel non ponere possit.

Voluntarium igitur et liberum proprie ita ab invicem differunt, ut liberum sit species voluntarii: voluntarium enim generice est actus,

¹⁾ Cf. *Ballerini-Palmieri* n. 15—32. *S. Thomas* I. II. q. 6. et *Suarez* in I. II. s. Thomae tr. 2. De voluntario et involuntario.

qui a voluntate procedit cum cognitione intellectus; atqui eiusmodi actus vel ita procedere potest, ut homo eius dominium habeat seu potestatem ab eodem etiam abstinendi (liberum), vel ita, ut eius dominium non habeat (necessarium). Nihilominus voluntarium et liberum in re morali promiscue usurpantur, quia in homine viatore non sunt actus deliberati voluntatis, qui plane necessarii sint.

2. *Voluntarium perfectum et imperfectum* ratione advertentiae: illud fit cum plena mentis advertentia atque ideo etiam cum pleno voluntatis consensu; hoc fit cum semiplena mentis advertentia ideoque etiam cum imperfecto voluntatis consensu. *Voluntarium imperfectum* habetur e. g. in actibus semidormientis, in actibus, quae in magna animi commotione fiunt.

Voluntarium non dicitur imperfectum, quia voluntas aegre et solum cum aliqua repugnantia obiectum amplectitur: hoc est voluntarium secundum quid, quod ad voluntarium perfectum pertinet; sed dicitur imperfectum, quia voluntas non plene se determinat ad volendum obiectum e. g. peccatum. Determinatio enim, qua voluntas se determinat ad volendum obiectum, quoad gradum perfectionis pendet a cognitione plus vel minus perfecta, adeo ut sine plena cognitione non possit haberi plena et perfecta voluntatis tendentia in obiectum, qualis ad actum perfecte humanum requiritur.

Ideo homo e. g., qui magna ira concitatus in rixa cum adversario suo in blasphemias prorumpit vel contumelias ei dicit, graviter non peccat, quia blasphemiae et contumeliae vel sunt motus primo primi propter defectum advertentiae vel sunt levia peccata, quia ob defectum plenae advertentiae non sunt perfecte voluntariae, nisi forte blasphemiae ob neglectam blasphemandi consuetudinem sint gravia peccata.

3. *Voluntarium simpliciter* et *voluntarium secundum quid*. Prius illud est, quod fit cum plena voluntatis inclinatione sine omni prorsus repugnantia; posterius illud, quod fit cum plena quidem voluntatis inclinatione, sed simul cum aliqua eius repugnantia, e. g. martyr, qui se offert ad necem, vult mortem simpliciter (nollet non mori); et martyr, qui raptatur ad mortem, vult mortem secundum quid (vellet non mori).

a. In hac divisione duo diversi actus considerantur et invicem comparantur, quorum alter fit sine repugnantia, alter vero cum repugnantia. *Simpliciter voluntarium* dicitur etiam *voluntarium purum*, et *voluntarium secundum quid* voluntarium *mixtum*, quia in eodem actu voluntatis propensio cum repugnantia coniuncta est.

b. *Voluntarium mixtum seu secundum quid* continet in eodem actu inclinationem seu consensum voluntatis coniunctum cum aliqua repugnantia erga illud ipsum, in quod fertur consensus e. g. migratio eius, qui in exilium mittitur, ideo voluntarium mixtum vocari solet *voluntarium simpliciter et involuntarium secundum quid*: voluntarium simpliciter, quia voluntas reipsa rem vult et in eam consentit, et involuntarium secundum quid, quia etsi voluntas absolute velit, vult tamen cum aliqua displicentia et in aliis rerum adiunctis nollet. Pari modo dissensus a re, cui voluntas assensum praebere vellet, dicitur *involuntarius simpliciter et voluntarius secundum quid* e. g. in eo, qui non vult lucrum, quia illud iniustum esse cognoscit.

c. Ea, quae *ex timore* fiunt, e. g. negatio fidei ex timore mortis, sunt voluntaria simpliciter et involuntaria secundum quid. Eiusmodi *voluntarium mixtum* est relative imperfectum ex parte consensus, si nempe comparatur cum voluntario puro, non autem per se ex parte cognitionis, ideo voluntarium mixtum per se constituit actum perfecte humanum.

4. *Voluntarium expressum et tacitum*: illud adest, quando consensus elicitur et verbis vel aliis signis exterius manifestatur, ut si superior conceptis verbis vel nutu aliquid concedat vel neget; hoc adest, quando consensus elicitur quidem, sed exterius non manifestatur et solum ex aliquo facto vel facti omissione adesse colligitur, ut si superior, sciens aliquid fieri contra legem, non prohibeat, tacite consentire vel licentiam dare censetur; unde axioma invaluit *qui tacet, consentire videtur*.

a. A voluntario tacito distinguendum est voluntarium *praesumptum*, quod habetur, quando reipsa nullus adest actus seu consensus voluntatis, sed ob convenientiam rei adesse supponitur: si enim res proponeretur, sine dubio consensus reipsa adesset, ut si quis adolescentulo ingredienti cauponam ex praesumpto consensu patris dicat; pater vult, ut domum redeas. Quandoque etiam voluntarium tacitum vocatur praesumptum, quia eius existentia ex signis et adiunctis externis colligi seu *praesumi* debet.

b. De axiomate: *qui tacet, consentire videtur*, haec notanda sunt. Taciturnitas per se neque consensum neque dissensum significat, quare in particulari casu ex adiunctis alterutrum colligi debet. Sequentes autem regulae statuuntur, ut tacentis consensus vel dissensus ex adiunctis secundum prudentum aestimationem praesumi possit:

a. Tacens consentire censetur *in favorabilibus*, ubi nempe agitur de eius favore et commodo, non autem in *odiosis*, ubi agitur de eius gravamine et praeiudicio; hinc qui alio sibi quidquam promittente,

tacet, consentire censetur; si quis autem ab alio sibi quidquam donari petat isque taceat, non censetur consentire.

β. Tacens etiam *in odiosis* consentire censetur, si nolens consentire, contradicere deberet et posset; non autem censetur consentire, si contradicere non tenetur aut non potest. Tunc autem *non posse* dicitur, quando sine damno vel magno incommodo non potest. Qui praesente et non contradicente domino rem aufert, non committit furtum, quia dominus consentire censetur, nisi ex metu vel ex alia ratione taceat. Et si princeps vel superior sciat aliquid fieri contra ordinem nec contradicat, consentire censetur, si facile contradicere vel impedire posset, non autem si facile impedire non posset.

5. Voluntarium *positivum* et *negativum*; positivum dicitur, quod ex aliqua actione sequitur et intenditur; negativum dicitur, quod ex omissione actionis, quae poni debet, secuturum praevидetur.

Sic furtum pueri est patri, qui filium ad furandum inducit, *positive* voluntarium, et furtum pueri, quod pater advertit et non impedit, est patri *negative* voluntarium. Ut malum, quod ex omissione actionis sequitur et proinde non vere causatur, vere voluntarium dici possit, requiritur, ut actio omissa debita sit. Haec obligatio ponendi actionem efficit, ut malum moraliter seu in morali aestimatione sit voluntarium, ut infra uberius dicitur.

6. Voluntarium *in se* et in alio seu *in causa* (quod ab aliis voluntarium *directum* et *indirectum* dicitur) ratione modi, quo aliquid intenditur: primum est, quod voluntas immediate in se ipso intendit; sic ei, qui inimicum deliberate occidit, mors inimici in se voluntaria est; alterum est, quod non intenditur, sed ex aliquo, quod in se et immediate intenditur, tamquam ex causa secuturum praevидetur, sic scribenti libros pravos peccata legentium, quae praevидet, voluntaria sunt in causa¹⁾.

a. Ut aliquid dicatur voluntarium in se, necesse non est, ut appetatur propter se seu ut finis, sed appeti etiam potest propter aliud seu ut medium. Sic navarcho proiectio mercium voluntaria est in se, quamvis eam non velit propter se, sed ut medium ad servandam vitam navigantium²⁾.

¹⁾ Alii, qui pressius modum loquendi s. *Thomae* sequuntur, voluntarium *directe* et *indirecte* a voluntario in se et in causa distinguunt, illudque ita definiunt, ut cum voluntario *positivo* et *negativo* conveniat. Cf. s. *Thomas* I. II. q. 6. a. 3. : q. 77. a. 7.

²⁾ *Lehmkuhl* I. n. 4.

b. Duplici modo potest aliquid esse voluntarium in causa: vel eo, quod positiva actione causa ponitur, ex qua praevidetur secuturus effectus, et hoc quidem dicitur voluntarium in causa *positiva*; vel eo, quod omittingo actionem causa non removetur vel non impeditur, licet impediri possit, hoc vero dicitur voluntarium in causa *negativa*. Exemplo sit conflagratio domus in eo, qui igniarium apposuit, et in eo, qui ab alio appositum non extinguit.

c. *Causa* hic latiore sensu significat omne id, in quo aliud continetur, sive ut effectus in causa sive ut pars in toto sive ut cum altero connexum, ita ut voluntas non possit unum appetere, quin censeatur appetere etiam alterum.

d. Ergo voluntarium in causa est effectus, qui non intenditur, sed ex causa, quae in se voluntaria est et intenditur, praeter intentionem consequitur.

7. Voluntarium actuale, virtuale, habituale, interpretativum ratione influxus, quem actus voluntatis in opus exercet.

a. *Voluntarium actuale* illud (opus) dicitur, quod procedit ab intentione voluntatis hic et nunc existenti, ad quam mens reflexe advertit; sic si quis baptismum confert, quem hic et nunc conferre intendit, baptismus est voluntarium actuale.

Duplex esse potest: *explicitum*, si voluntas aliquid intendit, quod distincte apprehenditur, ut si quis vult sacramentum extremae unctionis; vel *implicitum*, si voluntas in aliquid fertur, quod in eo, quod explicite cognoscitur et intenditur, aliquo modo continetur; sic qui explicite vult christiane mori, implicite vult sacramentum extremae unctionis.

b. *Voluntarium virtuale* illud dicitur, quod procedit ab intentione voluntatis hic et nunc existenti, ad quam mens reflexe non advertit; sic si quis baptismum confert, quem antea conferre proposuerat, nunc autem quando illum confert, de hoc proposito non amplius cogitat, baptismus est voluntarium virtuale. Tria igitur ad hoc voluntarium requiruntur: ut intentio voluntatis elicita, ut nunquam revocata fuerit et ut in opus influat eiusque causa existat, etsi reflexe non advertatur.

Voluntarium *virtuale* hoc nomine vocatur a vi seu virtute, qua actus seu intentio voluntatis in actionem influit. Quid sit illa vis, quae ex actu voluntatis prius elicito in actionem nunc ponendam influit

et efficit, ut actio virtualiter voluntaria sit, ab auctoribus diversimode explicatur¹⁾; omnes autem conveniunt in hac regula pro praxi assignanda, cuius ope diiudicari possit, quamdiu intentio prius elicitā perduret et in actionem influat: intentio nempe prius elicitā tamdiu in actionem influit, quamdiu agens, etsi de intentione non cogitet, interrogatus tamen, quid vel quare agat, sine novo actu voluntatis et sine reflexione ex sola recordatione prioris intentionis statim dicit: *hoc facio*, vel *hoc facio propter illud*²⁾.

c. *Voluntarium habituale* illud dicitur, quod procedit ab intentione voluntatis antea habita nec revocata, quae tamen hic et nunc non amplius existit. Intentio voluntatis cum non amplius perseveret, in opus ponendum non influit neque eius causa existit. Sic si quis intentionem elicitur baptizandi puerum et postea de hac intentione nihil cogitans neque ab ea motus (e. g. in statu hypnotico) puerum baptizat, baptismus est voluntarium habituale.

Ut actio dici possit humana, agenti actualiter vel saltem virtualiter voluntaria esse debet: cum enim actus humanus sit actus liber, a voluntate tamquam a sua causa procedere debet; sed voluntarium habituale non procedit a voluntate, cum actus voluntatis non amplius perseveret neque in actionem influat.

d. *Voluntarium interpretativum* illud dicitur, quod procedit ab intentione voluntatis nunquam habita, quae tamen haberetur, si de ea cogitatio incideret. Reipsa ergo nullus voluntatis consensus intercedit, sed considerata indole agentis voluntatis consensus intercederet, si res proponeretur; sic filius cum consensu interpretativo patris benefici dat eleemosynam, quae relate ad patrem est voluntarium interpretativum.

α. Ex voluntario actuali, virtuali et habituali facile intelligitur *intentio actualis, virtualis et habitualis*. Intentio est tendentia voluntatis in aliquem finem per apta media obtinendum. Dicitur *actualis*, quae hic et nunc existens in opus influit et reflexe advertitur, quando opus ponitur; *virtualis*, quae hic et nunc existens in opus influit, sed non advertitur, quando opus ponitur; *habitualis*, quae antea habita non amplius existit nec influit, quando opus ponitur.

¹⁾ De hac re conferri potest *Walsh* n. 70 ss. et praesertim *Frins* n. 51—56.

²⁾ Cf. *Sporer-Bierbaum* III. tract. 7 n. 107 s.

quod dicitur quod dicitur dicitur dicitur

β. Nihil impedit, quominus aliquis *plures simul intentiones* habeat seu plura obiecta simul intendant, sive haec ad invicem ordinata sunt, ut si quis vult medicinam et per eam sanitatem, sive ad invicem ordinata non sunt, ut si quis instituit piam peregrinationem ad colendum sanctum et ad invisendum amicum.

31. De involuntario. *Involuntarium* illud dicitur, quod non procedit a voluntate. Et quoniam ad voluntarium duo requiruntur, consensus voluntatis et cognitio intellectus, dupliciter fieri potest, ut aliqua actio agenti sit involuntaria, aut quia a vi externa contra inclinationem voluntatis cogitur actionem ponere, ut si quis violenter trahitur ad fanum idoli, aut quia actionem ignoranter ponit, ut si quis occidit hominem putans esse feram.

a. Involuntarium distinguitur in *negative* seu privative et *positive* involuntarium. Illud habetur, quando in voluntate erga aliquod obiectum nullus existit actus; hoc habetur, quando in voluntate erga aliquod obiectum existit actus aversionis seu nolitionis.

Involuntarium privative dicitur etiam *non-voluntarium*. Sunt, qui distinguant inter involuntarium et non-voluntarium: *Involuntarium* appellant, quod quis facit ignorans, non facturus, si scivisset, ergo contra propensionem voluntatis; *non-voluntarium* dicunt, quod quis ignorans quidem facit, sed quod sciens adhuc fecisset, ergo absque propensione voluntatis. Illud *ex errore* fit, hoc *cum errore*. Sic si quis volens occidere feram occidit capram inimici sui, cui iam diu nocere intendit, occisio caprae non est quidem involuntaria, sed tamen non-voluntaria.

b. Aliud est involuntarium *perfectum* et *imperfectum*; illud habetur, quando voluntas aliquid plene et, quantum in se est, efficaciter reiicit; hoc habetur, quando voluntas aliquid languide et remisse, solum cum aliqua haesitatione reiicit. Tentatio contra fidem, caritatem, castitatem, quae sine haesitatione prorsus reiicitur, perfecte involuntaria, quae vero cum aliqua haesitatione et negligentia reiicitur, imperfecte involuntaria est.

32. De omissione libera seu de voluntario pure negativo.

1. Quaerunt auctores, utrum possit esse voluntarium *pure nega-*

tivum, an ad voluntarium negativum positivus actus voluntatis requiratur.

Ad cuius rei declarationem indicare iuvat voluntatem quatuor diversis modis respectu omissionis se habere posse. Si quis e. g. die festo sacrum omittit, audito signo, quo sacri tempus indicatur, *a.* fieri potest, ut missam expresse audire nolit seu expresse omittere velit; *b.* fieri potest, ut non expresse eam omittere, sed tamen aliquid aliud agere velit, quod cum ea impossibile est e. g. domi ludere: *c.* fieri potest, ut positive se determinet ad nullum actum nec volendi nec nolendi eliciendum; *d.* fieri potest, ut voluntas, postquam mens ad obligationem advertit, omnino passive se habeat neque ullum actum eliciat, sed scienter ab omni actu absteineat.

2. Iam posse esse voluntarium pure negativum tuetur *Suarez*¹⁾ et ex recentibus *Bouquillon*²⁾, *Frins*³⁾, *Pesch*⁴⁾. Ceterum quaestio potius psychologica et theoretica quam moralis et practica esse videtur. Quaeritur enim, utrum fieri possit, ut voluntas omnino passive se habeat et ab omni actu absteineat, postquam mens ad rem advertit eamque voluntati proposuit, an vero naturali necessitate erga obiectum propositum convenientem actum eliciat. Reipsa vero, quoties accidit libera ommissio, vix non semper aderit rei omissae aut directa nolitio aut alterius rei, quae rem omissam impedit, directa volitio. Ceterum etiam illi, qui omissionem pure negativam tuentur, eam voluntariam atque imputabilem censent, dummodo res ommissa praecepta sit.

§ 3. De voluntario in causa.

33. Num vere voluntarium sit. Voluntarium in causa ex supradictis est effectus, qui non intenditur, sed ex causa, quae in se voluntaria est, praeter intentionem consequitur. Eiusmodi ergo effectus ideo solum voluntarius dicitur, quia eius causa in se voluntaria est. Iam quaeritur, num effectus, qui ex causa libere posita consequitur, vere voluntarius censi et tamquam voluntarius agenti imputari possit, etsi in se non appetatur. Ad quod respondendum est: *effectus bonus in causa tantum*

¹⁾ De voluntario disp. 1. sect. 5.

²⁾ L. c. n. 321.

³⁾ L. c. n. 204 ss.

⁴⁾ L. c. n. 544 ss.

volitus non est agenti voluntarius neque ut talis ei imputatur; malus autem ut voluntarius ei imputari potest¹⁾.

a. Ratio est haec: ut bonum tamquam voluntarium imputari possit, in se appeti et intendi debet, sed ut malum tamquam voluntarium imputari possit, sufficit, ut cum eo, quod in se appetitur, coniunctum sit: bonum enim velle, malum autem vitare debemus, ideo bonum non est voluntarium, nisi illud velimus, malum autem iam censetur voluntarium, si illud non vitemus vel non impediamus.

b. Scribenti bonum librum lucri faciendi causa boni effectus libri etsi praevisi non imputantur, nisi eos intendat; scribenti autem librum pravum lucri faciendi causa mali effectus praevisi imputantur, etsi eos non intendat. — Ei, qui temperanter vivit, ut sumtibus parcat, sed non curans virtutem temperantiae, virtus non imputatur, etsi sciat eam hoc modo exerceri; ei autem, qui immoderate bibit, intemperantia imputatur, etsi eam nollet, modo ad eam advertat.

34. Iam quaeritur, num omnis effectus malus censeatur voluntarius et tamquam voluntarius imputetur, quia eius causa voluntaria est. Ad hoc declarandum notari debet:

Sunt causae, quae ad unum effectum producendum natura sua determinatae sunt; sic ignis ad ligna applicatus ad haec comburenda determinatus est; et sunt causae, quae ad duos effectus producendos determinatae sunt. Qui vult causam prioris generis, necessario vult etiam effectum, qui recte ei tamquam voluntarius imputatur.

Si causa ad duos effectus producendos determinata est, hi vel sunt subordinati, ut alter sit causa alterius, ut si quis explodit in patrem familias, cuius morte sustentatione privantur filii; vel sunt coordinati, ut alter non sit causa alterius. Qui vult causam prioris generis, iterum necessario vult utrumque effectum, et uterque iure ac merito ei imputatur.

Si duo effectus sunt coordinati, fieri potest, ut aequae immediate ex causa procedant, quia causa ad utrumque producendum natura sua determinata est, ut si chirurgus amputando brachium infirmo sanitatem

¹⁾ *Imputatio* ex communi hominum acceptione et usu est iudicium, quo actus alicui tribuitur tamquam proprio illius auctori ac domino; *imputabilitas* est illa actus vel effectus proprietas, vi cuius hic alicui tamquam proprio suo auctori ac domino tribui possit et debeat. Prout actus sunt boni vel mali, imputantur vel ad laudem vel ad culpam. Fundamentum autem imputabilitatis est libera voluntas: per hanc enim agens constituitur auctor et dominus suorum actuum.

et dolorem causat; aut fieri potest, ut effectus non aequè immediate ex causa procedant, quia causa non est a natura ad utrumque producendum determinata, ut si quis imaginem pingit ad lucrum faciendum cuius aspectu alius ad peccandum incitatur. In priore casu effectus sequi dicitur per se, in posteriore per accidens; sed in utroque casu agens intendere potest unum, quin intendat alterum. Iam quaeritur, quae condiciones requirantur, ut eiusmodi effectus tamquam voluntarii imputentur.

35. Condiciones requisitae, ut malum in causa voluntarium imputetur.

a. *Ut agens effectum saltem in confuso praeviderit*: quod enim nullo modo praecognitum est, voluntarium non est; atqui quod nullo modo voluntarium est, id agenti imputari nequit.

a. In *confuso* effectum praevideisse dicitur tum ille, qui obscure et indistincte, tum ille, qui dubie et solum suspicando illum praevidit. Priore modo malum in confuso praevidet e. g. medicus, qui sine debita scientia officium medici suscipit: non enim distincte singula cognoscit, sed indistincte praevidet detrimentum infirmis eventurum; posteriore modo ille, qui absque debita circumspectione tegulas e tecto in viam proiicit cum periculo transeuntium (n. 28).

β. Ergo non est imputabilis ad peccatum ebrietas ex potu vini secuta, cuius vis inebrians erat ignota, quia non est praevisa. At tamen rixae, blasphemiae, sermones obsceni et eiusmodi, quae in ebrietate committuntur, ei imputari debent ad peccatum, qui haec in ebrietate committere solet, quia propter consuetudinem eiusmodi in hoc statu faciendi satis praevisa sunt; ei autem, qui in ebrietate haec committere non solebat, non imputantur, si forte accidunt, quia praevisa non sunt.

* b. *Ut effectum impedire potuerit*, i. e. ut agens potuerit causam aut non ponere aut positam auferre: quod enim ab eius voluntate non dependet, non potest agenti imputari, cum fundamentum imputationis, libertas, desit.

Hinc reus sacrilegii non est sacerdos, qui peccatori dat sacram communionem, quam ob sigillum sacramentale negare non potest; neque omissio sacri voluntaria est ei, qui curam infirmi agere debet.

* c. *Ut effectum impedire debuerit*, i. e. ut agens teneatur causam aut non ponere aut positam auferre, ne effectus malus sequatur.

a. Causa enim, ex qua sequitur effectus malus, aut est negativa aut positiva: Qui *negative* omittit agere, quod agere potest, manifesto

II ut dicitur in casu...

III ubi causa est... causa per se...

non est effectus mali causa physica, quippe qui aliena actione producat; causa moralis autem eatenus tantum esse potest, quatenus non impedit, quod impedire *debet*: nam effectus aliena actione productus ei tum solum tribui potest, cum eum impedire tenetur. Si est causa *positiva*, effectus malus physice quidem ei tribui debet, cum propria actione illum producat, moraliter autem ei tribui nequit, quia agens, qui non tenetur abstinere ab actione, quamvis ex ea malum effectum secuturum praevideat, hunc magis *permittere* quam efficere censetur.

β. Superiori, qui subditum iuste corripit, huius ira non imputatur, etsi praevideat correptum in iram concitatum iri, si correptionem omittere non tenetur, ne subditus irascatur. Ei, qui videt proximum in aquam submersum eumque non eripit, etsi posset, mors proximi imputatur, si eum eripere tenetur, non imputatur, si non tenetur.

36. Quando imputetur effectus malus in causa voluntarius. 1. Qui scienter ponit vel non aufert causam mali effectus (idem dicendum de omissione actionis praeceptae) non tum committit peccatum, quando sequitur malus effectus, sed quando culpabiliter ponit vel non tollit causam: peccatum enim non in existentia mali effectus, sed in actu interno voluntatis, quo causa mali effectus intenditur, consistit. Ideo quamvis reipsa malus effectus non sequatur, tamen peccatum iam commissum est, et res mala tamquam volita in confessione declarari debet. Effectu secuto peccatum internum exterius completur.

Hinc qui potitans advertit se ulteriore potu inebriandum et in super experientia novit se in ebrietate solitum esse rixari et blasphemare, eo ipso instanti, quo praevidens malos effectus bibere decernit, peccatum ebrietatis, rixae et blasphemiae in causa volitum committit. — Qui die festo mane se dat somno praevidens omnino sacrum inde omittendum, tunc peccat contra praeceptum ecclesiae, quando omissionem praevidens se dat somno. — Qui decrevit non audire missam, hoc proposito peccat, etsi postea mutata voluntate eam audiat. — Qui alteri porrigit venenum, non peccat, quando sequitur mors alterius, sed quando ponit causam mortis.

2. Ideo gravitas peccati in causa voluntarii non est desumenda ex gravitate effectus seu ex gravitate praecepti violati, sed ex malitia actus interni voluntatis; quodsi actus voluntatis, qui appetit causam cum praevisione mali

effectus veniale peccatum est, etiam laesio praecepti gravis solum venialis erit.

3. Licet peccatum exterius compleatur, quando sequitur effectus vel quando omissio reipsa accidit; effectus tamen vel omissio in se non est peccatum nec ei, qui causam posuit, imputatur, si prava voluntas interim retractata fuit; quodsi retractata non fuit, ei imputatur ut complementum externum peccati interni.

Ideo sacerdos, qui breviarium proicit in mare, ne debeat recitare officium, sed statim dolet, non tenetur confiteri omissiones officii diebus sequentibus praecepti. — Qui porrigit alteri venenum, sed antequam ille moriatur confessus est peccatum, postea morte secuta non tenetur iterum confiteri peccatum homicidii; sed tamen damnum homicidio illatum reparare debet.

37. Condiciones requisitae, ut causa mali licita sit. Etsi per se teneamur omittere causam mali effectus, quandoque tamen licet eam ponere, quamvis inde malus effectus secuturus praevideatur. Condiciones autem, sub quibus id licitum est, continet hoc principium:

Licitum est ponere causam, ex qua sequitur duplex effectus, alter bonus et alter malus, si ipsa causa sit in se bona vel saltem indifferens, si bonus effectus saltem aequae immediate sequatur ac malus, si adsit ratio proportionate gravis et finis agentis sit honestus. Quatuor ergo condiciones requiruntur, ut licitum sit causam ponere, ex qua secuturus cognoscitur effectus malus:

a. *Ut causa, quae ponitur, sit bona vel saltem indifferens:* si enim esset mala, iam ipsa positio causae in se, independenter ab omni effectu, imputanda esset ad peccatum e. g. in eo, qui se inebriat praevidens inde oriturum homicidium.

Si tamen causa mala esset non praecise ob secuturum illum effectum, imputaretur malitia causae, non autem malitia effectus; sic ei, qui valetudini suae nocet praevidens futurum esse, ut ieiunare non possit, non imputatur omissio ieiunii, quia non ideo valetudinem conservare tenetur, ut ieiunare possit.

b. *Ut effectus bonus saltem aequae immediate ex causa sequatur ac malus, et non mediante effectu malo:* si enim

ex causa immediate sequitur effectus malus et ex hoc demum bonus, fieret malum, ut sequatur bonum, id quod nunquam licet: etenim *non sunt facienda mala, ut eveniant bona*¹⁾).

Hinc graviter peccat puella ex delicto gravida, quae abortum procurat ad vitandam infamiam: adhibet enim medium malum ad obtinendum finem bonum. Medicus licite praebet medicinam ad sanandam mulierem gravidam, etsi praevideat fore, ut abortus sequatur; sed illicite agit, si remedium directe et immediate tendit ad expellendum foetum et huius demum expulsio ad sanandum morbum.

c. *Ut effectus malus*, qui praevidetur secuturus, non intendatur neque approbetur, sed *mere permittatur*: nam etiam actio in se honesta fit mala, si agens in ea perficienda pravum finem intendat.

Duo erga ex hac parte praecaveri debent, quando ponitur causa, ex qua secuturus praevidetur malus effectus: imprimis ne effectus intendatur, quando ponitur causa, et deinde ne approbetur seu ne placeat, quando reipsa sequitur; e. g. si quis iure suo utens foveam fodit, in quam praevidet lapsurum proximum suum, peccat, tum si malum proximi intendit, tum si de eo secuto gaudet.

d. *Ut adsit ratio proportionate gravis* ponendi causam et permittendi effectum malum: accedente enim causa sufficienti cessat lex, vi cuius effectus malus erat vitandus; cessante autem lege effectus malus licite permitti potest, ut si quis ad se ipsum conservandum occidit invadentem.

38. Ratio proportionate gravis. Ad obtinendum igitur bonum effectum quandoque licitum est permittere malum, *si adsit ratio excusans proportionate gravis*. Ut diiudicari possit, num adsit ratio excusans proportionate gravis, ad haec adiuncta attendendum est:

a. Eo maior debet esse ratio excusans, quo gravius est malum, quod ex causa posita secuturum praevidetur.

Sic non licet occidere invasorem ad conservanda bona minoris pretii, licet autem ad conservanda bona maioris momenti vel ad ipsam vitam conservandam.

¹⁾ Cf. Rom. 3, 8.

b. Maior ratio excusans requiritur, si agens omittendo actionem malum effectum impedire potest, quam si malum nihilominus aliunde secuturum est.

Sic maior ratio requiritur, ut tabernarius hospitibus die ieiunii praebere possit carnes, si nullus alius daturus reperiatur, quam si alius adsit daturus, ubi ipse neget.

c. Eo maior ratio requiritur, quo propius causa ad efficiendum malum concurrat.

Distinguitur causa *proxima*, quae ita effectum producit, ut eam inter et effectum alia causa media non interveniat, et causa *remota*, quae effectum non producit, nisi complures aliae causae mediae interveniant. Causa dicitur *propinquior* aut *remotior*, quo pauciores vel plures aliae causae interveniunt. Maior ergo ratio excusans requiritur in eo, qui prope, minor in eo, qui remote ad alterius peccatum e. g. ebrietatis concurrat. — Ex hac ratione fieri potest, ut bonum in se minus compenset malum maius, ubi nempe bonum proxime, malum autem solum remote ex eadem actione sequatur.

d. Eo maior ratio excusans requiritur, quo *certius* effectus malus secuturus praevidetur; sufficit ergo minor ratio, si malum plus minusve *probabiliter* tantum secuturum est.

e. Maior ratio requiritur in iis, qui malum *ex officio* impedire tenentur, quam in iis, qui nullo officio illud impedire tenentur.

Sic maior ratio requiritur, ut caupo die ieiunii filio suo carnes praebere possit, quam ut erga extraneos id licite faciat; quia ex officio *pietatis* peccata filii impedire tenetur. *Ex officio* ad peccatum impediendum illi potissimum teneri dicuntur, qui vi contractus ideoque *ex iustitia* illud impedire debent ut custodes, parochi.

Articulus tertius.

De impedimentis actuum humanorum.

39. Declarationes. 1. Quia actus humani omnes sunt voluntarii, quidquid voluntarium impedit illudque minuit aut omnino tollit, eo ipso actum humanum minuit aut tollit. Ad voluntarium autem requiritur tum cognitio intellectus tum consensus liber voluntatis; ideo quidquid alterutrum minuit vel tollit, minuit vel tollit voluntarium.

Porro sunt impedimenta, quae voluntarium habitualiter et permanenter minuunt vel auferunt, et sunt impedimenta, quae illud actu et transeunter minuunt vel auferunt.

2. Ea, quae voluntarium habitualmente minuunt vel auferunt, ad tria revocantur:

a. Ad defectum usus rationis ut in infantibus et amentibus.

b. Ad somnum sive naturalem ut in dormientibus sive artificialem ut in hypnotizatis.

Non conveniunt huius rei periti, num *hypnosis* usum deliberationis atque libertatis penitus auferat. Quae hypnotizati in ipso somno hypnotico iussu hypnotizantis exequuntur, ordinarie absque morali libertate fieri videntur; ea vero, quae post hypnosim vi suggestionis vigiles exequuntur, libertate prorsus quidem non carent; sed ex experimentis hypnoticis dictu difficile est, num libertas ex influxu suggestionis eatenus minuat, ut peccati mortalis non sint capaces.

c. Ad ebrietatem, sive a vino vel alio liquore sive ab opio vel aethere inducitur.

3. Quae voluntarium actu et transeunter impediunt, ad quatuor revocantur: ad *ignorantiam*, *concupiscentiam*, *vim* et *metum*; ignorantia impedit mentis advertentiam, concupiscentia deliberationem et consensum, metus et vis solum consensum, nisi quis dicere malit, vim impedire voluntatis imperium in alias potentias. De his iam accuratius agendum est, ut sciatur, quae impediunt actus perfecte humanos, et quando id accidat.

§ 1. De ignorantia.

40. Notio. *Ignorantia* est carentia cognitionis alicuius rei. Ignorantia ergo denotat mentis statum habitualem.

Ignorantia differt a. ab *errore*: error enim significat iudicium erroneum seu assensum veritati non conformem; ergo praeter carentiam cognitionis alicuius veritatis involvit iudicium veritati contrarium, ut si quis non solum ignoret Christum esse Deum et hominem, sed iudicet eum esse purum hominem; b. differt ab *inadvertentia*, quae in eo consistit, quod mens ad rem non attendit, etsi adsit illius rei cognitio habitualis. Attamen quae de ignorantia dicuntur, etiam de errore et de inadvertentia valent.

41. Ignorantiae divisio. 1. Ratione *obiecti* in ignorantiam *iuris* et *facti*: prima est ignorantia legis, ut si quis ignorat in vigilia pentecostes servandum esse ieiunium vel ignorat lectionem libri haeretici esse prohibitam; altera est ignorantia rei vel quoad substantiam vel quoad aliquam circumstantiam, ut si quis ignorat hodie esse vigiliam pentecostes vel librum, quem legit, esse haeticum.

Ignorantiam poenae alii revocant ad ignorantiam iuris scilicet legis decernentis poenam pro delicto, alii ad ignorantiam facti scilicet connexionis poenae cum tali delicto, alii tandem ut tertiam ignorantiae speciem recensent.

2. Ratione *subiecti* seu hominis ignorantis in *invincibilem* et *vincibilem*: prima est, quae deponi non potest, et dicitur *physice* invincibilis, si nullo modo deponi potest, ut si quis de re seu lege vel de obligatione investigandi plane non cogitat, et *moraliter* invincibilis, si adhibita morali diligentia deponi non potest; altera est, quae morali diligentia adhibita deponi potest, sed non deponitur.

a. Moralis diligentia ea censetur, quae a prudentibus in eiusmodi rebus adhiberi solet. Moralis diligentia pro rei, personae et circumstantiarum qualitate diversa esse debet: maior enim in re gravis, minor in re levis momenti adhiberi solet; item ceteris paribus maiorem adhibet persona, cui multa, et minorem persona, cui pauca tantum praesto sunt media inveniendae veritatis. Quanta adhiberi debeat diligentia, ut possit dici moralis, ex modo agendi prudentum in diversis hisce adiunctis dimetiendum est. *Moralis* igitur diligentia non est diligentia summa, quae adhiberi potest, sed est ea diligentia, quam quilibet ex prudenti iudicio hic et nunc (in hac re et in hisce adiunctis) ad depellendam ignorantiam adhibere potest et debet. Ad maiorem autem quam moralem diligentiam nemo tenetur, etsi maiorem adhibere posset.

b. Ignorantia invincibilis est *involuntaria* atque ideo inculpabilis; *vincibilis* est *voluntaria* saltem in causa et est *culpabilis*, si versatur circa ea, quae sciri debent, *inculpabilis* autem, si versatur circa ea, quae licite ignorari possunt.

c. Ut ignorantia sit vincibilis et culpabilis requiritur, tum ut mentem cogitatio vel saltem suspicio subeat ignorantiae et obligationis eam deponendi, tum ut occasio inquirendi voluntarie praetermittatur aut non sufficienter adhibeatur.

3. Ignorantia *vincibilis* pro diverso modo, quo volita est, dividitur in *affectatam* et *non affectatam*: prior habe-

tur, quando aliquis data opera vult ignorantiam e. g. ut liberior peccare possit, ut si quis dubitans, num hodie sit ieiunium, non interrogat, quamvis facile interrogare posset, ne forte ieiunare debeat; posterior habetur, quando aliquis omittit debitam inquisitionem, non quia rem ignorare vult, sed ob aliam rationem e. g. ob negligentiam, ob verecundiam etc.

Prior in se volita, posterior non in se sed in causa volita est i. e. in omissione debitae inquisitionis. Ignorantia affectata agentem a peccato contrahendo non excusat; et sane qui de industria omittit inquirere, num hodie sit ieiunium, manducando carnes peccat, sive ieiunium est sive non est, quia scienter se exponit periculo infringendi legem ecclesiasticam.

4. Ignorantia *non affectata* subdividitur in *crassam* vel *supinam*, quando nulla aut fere nulla adhibetur diligentia eam deponendi, et in *simpliciter vincibilem*, quando aliqua quidem adhibetur diligentia, sed non sufficiens.

5. Ignorantia invincibilis dividitur in antecedentem et concomitantem. *Antecedens* dicitur, si operans actu ita dispositus est, ut actionem non poneret, si sciret, quod ignorat, sic ignorantia venatoris, qui occidit amicum, quem putat esse feram, est antecedens, quia non fecisset, si scivisset esse amicum suum; *concomitans* dicitur, si operans actu ita dispositus est, ut actionem poneret, etsi sciret, quod hic et nunc ignorat, sic ignorantia venatoris, qui occidit inimicum ad necem quaesitum, quem putat esse feram, est concomitans, quia illum occidisset, etsi scivisset esse inimicum suum.

Illa consensum voluntatis praecedat et solet vocari *causa actionis*, quia actio non fieret, si abesset ignorantia; haec consensum voluntatis comitatur et nominari solet, *non-causa*, quia actio fieret, etsi abesset ignorantia. In priore casu actio fit *ex* ignorantia, in posteriore *cum* ignorantia.

6. In antecedentem et consequentem: *antecedens* ea est, quae omnem actum voluntatis, quo haec ignorare vult, praecedat, ut est ignorantia ieiunii in eo, qui de ieiunio ne cogitavit quidem; *consequens* ea est, quae actum voluntatis, quo haec ignorare vult, consequitur, ut

est ignorantia ieiunii in eo, qui de ieiunio cogitans ignorantiam non vult deponere. Illa prorsus involuntaria, haec vel in se vel in causa voluntaria est.

Nota. Ignorantia eorum, quae semper sciri debent, *ignorantia habitualis* dicitur. Ignorantia habituali laborat medicus, iudex, advocatus, confessarius, parochus, qui ignorat ea, quae ex munere suo scire debet. Qui eiusmodi ignorantia laborant, in *habituali statu peccati* esse dicuntur, quod non ita intelligendum est, quod quovis momento peccant, quamdiu hac ignorantia laborant, sed quod toties peccant, quoties se offert occasio discendi ea, quae scitu eis necessaria sunt, si ipsi advertenter opportunam occasionem negligunt.

42. Influxus ignorantiae in actus humanos. 1. Ignorantia *invincibilis* sive antecedens sive concomitans *tollit voluntarium*: quod enim ignoranter fit, non est voluntarium in se, quia ignotum, nec est voluntarium in causa, quia ignorantia supponitur invincibilis. Et quoniam tum ignorantia antecedens tum concomitans invincibilis est, haec pari ratione tollit voluntarium.

a. Ignorantia invincibilis sicut tollit voluntarium, tollit etiam *culpam*. Hinc qui die veneris manducat carnem invincibiliter ignorans esse diem veneris vel id, quod manducat, esse carnem, non committit peccatum. — Qui percutit hominem invincibiliter ignorans eum esse sacerdotem, reus est iniustitiae, non autem sacrilegii. — Pueri et rudes, qui inhonesta peragunt, quorum malitiam ignorant, non peccant¹⁾.

b. Illa animi dispositio, qua operans cum ignorantia concomitante actionem poneret, etsi rem cognosceret, nequit efficere, ut actio sit voluntaria, sed solum efficit, ut actio postea veritate cognita placeat. Quare in exemplo supra allato actualis voluntas occidendi inimicum efficit quidem, ut venator peccet interno affectu, non autem ut reus sit homicidii realis.

2. Ignorantia *vincibilis non tollit sed minuit voluntarium*, saltem *si non est affectata*.

a. Ratio *primi* est, quia ignorantia vincibilis est voluntaria; ergo voluntaria est etiam actio vel omissio, quae ex hac ignorantia procedit, et effectus, qui ex actione vel omissione sequitur.

¹⁾ Ideo damnata est haec propositio (2) ab *Alexandro VIII.*: *Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.*

Quia ignorantia vincibilis voluntarium non tollit, neque *culpam* tollit: qui explodit in feram suspicans posse esse hominem, reus est homicidii, si hominem reipsa occidat.

b. Ratio *secundi* est, quia eo minus aliquid voluntarium est, quo minor est illius cognitio; atqui manifesto minor est cognitio in eo, qui rem, etsi vincibiliter, ignorat, quam in eo, qui eam cognoscit.

α. Ergo ignorantia vincibilis minuit etiam *culpam*: eatenus enim aliquid imputatur in culpam, quatenus voluntarium est. Et quoniam haec ignorantia diversos gradus voluntarii habet, prout nempe simpliciter vincibilis, crassa vel affectata est, etiam actio, quae ex hac ignorantia sequitur, diversos gradus culpae habet.

β. *Quantitas culpae*, quae inest peccato ex ignorantia vincibili commisso, non desumitur ex actione vel omissione, quae propter ignorantiam secuta est, sed ex negligentia, quae in depellenda ignorantia commissa fuit: actio enim vel ommissio eatenus voluntaria est, quatenus voluntaria est ignorantiae illius causa. Hinc fieri potest, ut magni defectus a confessariis in absolvendis poenitentibus, a parochis in ordinandis matrimoniis, a medicis in curandis infirmis ex ignorantia commissi solum levia peccata sint, ubi negligentia in implenda obligatione seu in removenda ignorantia levis fuit.

γ. Ignorantia solet dici *crassa*, ubi negligentia inquirendi veritatem est valde magna, et solet dici simplex seu *simpliciter vincibilis*, ubi illa negligentia non est tanta; quare ignorantia crassa grave, simplex vero leve peccatum taxari solet. Sunt tamen auctores, qui non omnem ignorantiam simpliciter vincibilem leve peccatum, sed etiam simpliciter vincibilem pro maiore vel minore negligentia vel leve vel grave peccatum dicunt. Ignorantia *leviter culpabilis* in re morali ignorantiae invincibili aequiparari solet.

Nota. Quia *ignorantia affectata* ordinarie ex magna propensione ad peccatum oritur, voluntarium potius augere quam minuere videtur; verum actio, quae ex ignorantia affectata procedit, in causa tantum voluntaria est; atqui quod in causa voluntarium est, nunquam adeo perfecte voluntarium est, atque illud, quod in se et directe voluntarium est, quia cognitio illius non est adeo perfecta ac cognitio voluntarii in se.

§ 2. De concupiscentia.

43. *Notio.* *Concupiscentia* latiore sensu, prout hic accipitur, alias etiam *passio* vocatur et designat quemlibet actum seu motum appetitus sensitivi erga bonum vel malum sensibile per imaginationem apprehensum.

a. Concupiscentia strictiore sensu accepta est una ex passionibus, quarum sex numerantur in *appetitu concupiscibili*: amor, desiderium (concupiscentia), gaudium, odium, horror et tristitia; quinque vero in *appetitu irascibili*: spes, audacia, desperatio, timor et ira. Concupiscentia ergo latiore sensu accepta omnium passionum actus, strictiore autem sensu accepta unius tantum passionis actus, nempe *desiderii* significat.

b. Quandoque *concupiscentia* alio prorsus sensu significat pravam inclinationem appetitus (inferioris et superioris) ex peccato originali ortam, qua homo fertur in ea, quae rectae rationi adversantur¹⁾. Dupliciter ergo haec concupiscentia ab ea differt, de qua hoc loco agitur; α. haec enim motum seu actum, illa vero solum inclinationem seu dispositionem significat; β. haec circa bonum vel malum sensibile, illa autem solum circa malum, sed utrumque, sensibile et rationale, versatur.

44. Dividitur in antecedentem et consequentem. *Antecedens* ea est, quae omnem voluntatis consensum antecedit, voluntatem tamen ad consensum trahit et allicit. *Consequens* ea est, quae consensum voluntatis subsequitur.

a. Tripliciter fieri potest, ut concupiscentia consensum voluntatis consequatur: vel enim sponte iam excitata admittitur, ut si in eo, qui obrium habet inimicum, odium sponte excitatum deliberato voluntatis consensu foretur: vel studio excitatur, ut si quis iniurias ab inimico sibi illatas mente recogitat, ut ad vindictam excitetur; vel ex vehementi actu libero voluntatis redundat, ut si affectus odii vel amoris libere admissi in appetitum sensitivum redundant.

b. Actus igitur appetitus sensitivi antecedentes non sunt voluntarii ideoque in se neque boni neque mali. Actus vero appetitus sensitivi consequentes voluntarii sunt ideoque vel boni vel mali; et ii quidem, qui de industria excitantur vel excitati admittuntur, sunt voluntarii in se, qui autem ex voluntate in appetitum sensitivum redundant, voluntarii sunt in causa.

45. Influxus concupiscentiae in actus humanos.

1. Concupiscentia antecedens minuit voluntarium et quandoque penitus tollit. *In non ob...* *ad m...*

a. Ratio *primi*: voluntarium enim eo minus est, quo magis ratio in deliberatione sua impeditur et quo magis voluntas ab influxu externo in unam partem inclinatur;

¹⁾ Cf. Gal. 5, 17. Rom. 7, 23.

atqui motus appetitus sensitivi rationis deliberationem impediunt: eam enim avertunt ab iis considerandis, quae sunt propria motiva rationis eorumque vim et efficaciam extenuant. Iidem insuper voluntatem ad consensum alliciunt.

b. Ratio secundi: quandoque passio est adeo vehemens, ut mentem omnino perturbet et usum rationis penitus auferat, adeo ut malitia moralis obiecti non amplius percipiatur; iam vero si nulla adest rationis deliberatio, nullum pariter est voluntarium, ut patet in iis, qui propter amorem vel iram plane insaniunt. Si tamen passio usum rationis non penitus aufert, libertatem non tollit omnino.

Passio, quae minuit voluntarium, minuit etiam *peccatum*, et quae aufert voluntarium, omnino a peccato excusat; quae tamen usum rationis non penitus aufert, voluntarium non tollit, et proinde neque a peccato excusat.

2. Concupiscentia *consequens*, quae ex actu voluntatis redundat, voluntarium *nec auget nec minuit*, sed *signum est intensitatis eius*.

a. Ratio primi est, quia actus voluntatis iam perfectus est, quando motus appetitus sensitivi exurgit.

b. Ratio secundi est, quia solum ex actu intenso voluntatis redundat motus in appetitum sensitivum.

Concupiscentia consequens, quae deliberate a voluntate excitatur, eo inservit, ut operationes humanae maiore alacritate maioreque vigore ac fervore peragantur, et cum ipsa sit voluntaria, actionibus bonis meritum, peccatis autem demeritum addere potest.

46. De propensionibus naturalibus. *a.* Ex iis, quae de passionibus dicta sunt, facile intelligitur propensiones naturales (atque idem de habitibus pravis valet) *minuere peccatum*: propensiones enim naturales, quae homini sive ratione complexionis sive ratione dispositionis hereditariae insunt, libertatem minuunt, cum voluntatem in unam partem inclinent mentemque obnubilant; sed quod libertatem minuit, pari modo etiam gravitatem peccati minuit. Ordinarie tamen propensiones et habitus libertatem non adeo impediunt, ut agentem a peccato gravi excusent.

b. Nullatenus ergo concedi potest homines malefactores aut omnes aut multos naturali propemodum necessitate ad crimina committenda propelli, adeo ut propter defectum libertatis peccata

commissa eis imputari non possint. Hi enim aut sanae atque expeditae aut impeditae sunt mentis. Si hoc alterum, concedi debet crimina commissa in gravem culpam eis non imputari: ubi enim mentis activitas ex quacunq̄ue causa impeditur vel turbatur, liber voluntatis consensus nequit esse plenus atque perfectus, qualis ad gravem culpam requiritur. Si primum, omnino affirmari debet eos tanta frui libertate, quanta ad gravem culpam requiritur: ubi enim expedita est mentis activitas, ordinarie etiam perfectus est liber consensus voluntatis, quamvis multoties, praesertim in iis, qui pravum habitum contraxerunt, maior conatus requiratur ad malas propensiones superandas.

c. Qui ergo α. aliqua *mania* (cleptomania, pyromania etc.) laborant, eorum actiones ex ea procedentes saltem in gravem culpam eis non imputantur: eorum enim advertentia et deliberatio in hac re turbata deprehenditur, quamvis in ceteris expedita esse possit¹⁾.

β. Suicidium eorum, qui ex *melancholia* laborant, simili modo diiudicandum est, scilicet si mentis deliberatio expedita est, crimen eis imputari debet, minime vero, si mens obnubilata apparet. Iam vero melancholia perfecta aufert quidem mentis deliberationem, inferioris autem gradus melancholia mentem ordinarie non ita obnubilat, ut actionis libertatem atque imputabilitatem impediatur. Ceterum in particulari casu de mentis expedita vel impedita activitate in melancholicis vix alius secure decernere poterit nisi medicus psychiatriae peritus.

γ. Qui ex *imaginationibus coactis* (Zwangsideen) laborant, ab iis impulsus ad determinatam actionem (Zwangsantriebe) percipiunt, quibus impulsibus minuitur quidem libertas, at non penitus aufertur, nisi in amentiam (Wahnideen) degenerent atque iudicium intellectus perturbent: voluntas enim tum repraesentationibus tum impulsibus imperare potest, quamdiu iudicium intellectus non turbatur²⁾.

Nota. Concedi debet esse quandoque homines, qui propensione ineluctabili ad pravas actiones (furta, incendia, impudicitias) committendas adigantur et proinde in illis actionibus a peccato immunes sint. Si confessario occurrant eiusmodi homines, a. ne eis aperte significet eos in illis actibus a peccato plane immunes esse, tum quia de hac re in casu particulari certo constare nequit, tum ne pravae inclinationi sine omni prorsus resistentia obsecundent eamque sic augeant: b. potius

¹⁾ Cf. *Gutberlet*, Die Willensfreiheit und ihre Gegner. (Fulda. Actiendruckerei. 1893) S. 125 ff.

²⁾ Cf. *S. Weber*, Zwangsgedanken u. Zwangszustände in pastoral-psychiatrischer Beurteilung (Paderborn. Schöningh. 1903).

ad resistendum pravis inclinationibus suaviter eos hortetur: seria enim resistentia naturalem propensionem saltem imminuere potest¹⁾.

47. De resistentia motibus pravis concupiscentiae opponenda²⁾.

a. Motus primo primi, qui non solum in appetitu sensitivo, sed etiam in voluntate (e. g. motus odii, superbiae, contra fidem etc.) oriuntur, si in malum tendunt, totidem sunt *tentationes peccandi*: tentatio enim definitur conatus voluntatem pertrahendi ad peccatum; motus autem isti alliciunt voluntatem ad consensum peccaminosum. Porro qua ratione voluntas circa illos motus post plenam eorum advertentiam se habere debeat, ex sequentibus patebit.

b. Si a consensu praescinditur, triplici modo se habere potest voluntas erga hos motus: *α. negative* seu permissive vel indifferenter se habere dicitur, si non consentit, sed neque ullum medium adhibet ad illos reprimendos; *β. positive resistere* dicitur, si media adhibet ad illos suppressendos, sed actum contrarium non elicit; *γ. directe resistere* dicitur, si actus contrarios elicit. Iam quaeritur, num adsit obligatio pravis motibus positive resistendi, num ergo non solum per consensum in pravum motum, sed etiam per omissionem positivae resistentiae committatur peccatum.

1. Non licet erga hos motus mere *passive se habere*, nisi adsit iusta causa, sed *positiva resistentia* eis opponenda est. *a.* Eiusmodi enim motus coniciunt in periculum eis consentiendi, quod periculum eo magis augetur, quo diutius deliberate admittuntur; hinc quo maius est periculum consentiendi in pravos motus, eo gravior est obligatio eos reprimendi. *b.* Si adest rationabilis causa omittendi resistentiam, merito sperari potest auxilium gratiae, quo praecaveatur consensus.

a. Iusta causa mere passive se habendi adest: *a.* ubi motus ex actione honesta et utili oriuntur; *b.* ubi merito timetur, ne ex positiva resistentia vehementiores fiant, et e contrario experientia constat eos facilius removeri, eo quod contemnantur; *c.* ubi diuturna positiva resistentia nimis molesta esset; ideo in tentationibus, quae diu durant, certe sufficit hinc inde eisdem resistere. In his casibus ergo motus concupiscentiae potius contemnendi, quam positive impugnandi sunt.

¹⁾ *Génicot*, Casus conscientiae I. p. 6 s.

²⁾ Cf. *Ballerini-Palmieri* I. n. 595 ss. De hac quaestione sermo redibit, ubi in specie de obligatione resistendi motibus carnis agendum erit. *Hense*. Die Versuchungen² (Freiburg. Herder. 1890).

Praestat tamen praesertim in primo casu eis opponere actum displicentiae vel propositum non peccandi.

β. Complures auctores ostendunt obligationem hos motus reprimendi non iam ex eo oriri, quod inordinati sunt, sed ex periculo consensus: obligatio enim voluntatis regendi potentias sibi subiectas exigit quidem, ut ipsa caveat consensum in malum, at non exigit, ut impediat vel reprimat motus indeliberatos a natura ortos¹⁾.

2. Resistentiam omittere et mere *passive se habere*, ubi motus concupiscentiae magni sunt et vehementes, *grave peccatum est*; eam omittere, ubi motus concupiscentiae leves sunt, *veniale peccatum* non excedit, etsi verentur circa obiectum sub gravi prohibitum. Motus enim vehementes inducunt magnum seu proximum periculum consentiendi, motus autem leves non inducunt nisi periculum leve; sed proximum consensus periculum sub gravi, leve periculum solum sub levi remove tenemur.

a. Hinc poenitentes pii, qui in tentationibus raro solent consentire, non sunt facile arguendi de peccato gravi, si mere negative se habuerunt; e contrario qui in tentationibus saepe labuntur, facilius rei esse possunt peccati mortalis, licet in casu particulari difficillimum sit de hac re certum iudicium ferre.

b. Notandum est, si motus primo primi iique mali in voluntate existunt, hi post plenam eorum advertentiam incipiunt fieri deliberate mali; quare semper per positivam resistentiam vel dissensum abigendi sunt: qui enim erga eiusmodi motus graviter malos mere negative se habet, graviter peccat.

3. Per se nulla est obligatio *directe resistendi* pravis motibus, sed per se sufficit positive eis resistere, quia hoc ad obtinendum finem per se sufficit. Per accidens autem adesse potest obligatio directe resistendi, si positiva resistentia periculum consensus non sufficienter excludit.

a. Sunt tentationes e. g. contra fidem, contra castitatem, quae facilius et efficacius indirecta resistentia vincuntur, eo praesertim, quod mens aliis rebus serio occupetur.

b. Modi positive resistendi ex s. *Alphonso* sunt sequentes: α. elicere actum dissensus seu displicentiae, qui, etsi motum praesertim cum carnali delectatione coniunctum non reprimat, cavet tamen consensum

¹⁾ *Castropalaus*, Opus morale tr. 2. disp. 2. p. 10. § 5. *Tamburini*. Explic. decal. l. 10. c. 2. *Lacroix*, Theologia moralis l. 5. n. 111. s.

voluntatis; β. cogitare de passione Domini vel de novissimis; γ. orando recurrere ad Deum, b. Virginem vel Sanctos; δ. elicere actum amoris Dei et propositi potius moriendi quam peccandi; ε. mentem ad alia divertere.

§ 3. De metu.

48. Notio. *Metus* est mentis trepidatio ob malum futurum.

a. *Metus* ex repraesentatione mali ab intellectu apprehensi oritur *in voluntate*; et licet metuens omnino sui compos maneat, saepe tamen metus eum movet ad aliquid volendum, quod alias nolisset. Et sic metus hoc loco considerandus est, quatenus nempe voluntatem movet, ut aliquid eligat ad maius malum vitandum, quod alias non elegisset, ut si quis ad vitandam mortem eligit amputationem cruris.

b. Malum, quod metum causat, imminere potest vel illi ipsi, qui metuit, vel eius coniunctis: quod enim sive sanguine sive amicitia coniunctis evenit malum, id proprium censetur.

c. *Ex metu* operari dicitur, cui metus est causa operationis; *cum metu* operari dicitur, cui non metus sed alia est causa operationis. Nauta *ex metu* proicit merces in mare; martyr *cum metu* subit mortem, quam naturaliter timet. In priore casu metus ad operationem se habet *antecedenter*, in posteriore solum *concomitanter*. De operationibus, quae ex metu fiunt, hic sermo est.

49. Metus dividitur: a. *Ratione quantitatis* in *gravem* et *levem*, prout malum, ex quo metus oritur, grave vel leve est.

Ut metus dicatur gravis, duo requiruntur: α. ut grave malum immineat, quale est mors, mutilatio, diurnus carcer, gravis infamia, magna iactura bonorum etc.; β. ut malum difficile averti possit. Si leve malum imminet, aut grave quidem, sed quod facile averti potest, metus dicitur levis.

Metus gravis aliud est *absolute* gravis, si malum in se revera grave timetur, aliud *relative* gravis, si malum in se quidem leve sit, grave autem respectu determinatae personae, quae sit meticulosa, ut sunt pueri, senes et mulieres.

α. *Metus relative gravis* in re morali aequiparatur metui *absolute* gravi, quia eandem mentis trepidationem inducit et proinde eundem in actionem influxum exercet.

β. Metus, qui *cadit in virum constantem*, significat metum absolute gravem: oritur enim ex malo, quod merito formidat etiam persona constans, fortis et cordata.

b. *Ratione originis* in metum *ab extrinseco* et *ab intrinseco* incussum, prout a causa externa vel interna provenit, sic metus mortis ex naufragio est ab extrinseco, metus mortis ex morbo est ab intrinseco¹⁾.

Metus ab extrinseco iterum dividitur in metum incussum a *causa necessaria* ut a naufragio, incendio, incursu ferarum, vel a *causa libera* scilicet ab homine.

Metus a causa libera incussum iterum vel est *iuste* vel *iniuste* incussum, prout persona metum inferens ius habet metum incutiendi ut princeps vel pater, qui poenam intendat, aut *iniuste* metum incutit ut latro mortem intendans nisi detur pecunia.

c. Addendus est *metus reverentialis*, qui habetur, quando quis timet, ne offensos et indignatos habeat eos, quos revereri debet, ut sunt parentes et superiores quicumque (principes, praelati, episcopi etc.). Refertur ad metum iuste vel iniuste incussum, prout eius causa est iusta vel iniusta.

Num metus reverentialis possit esse gravis. — Metus oritur ex malo, quod aliquis sibi imminere existimat; si ergo ex offensione parentum vel superiorum imminere potest grave malum, metus reverentialis potest esse gravis. Atqui metus reverentialis dupliciter accipitur: α. secundum se prout significat confusionem et molestiam, quam patitur inferior ob solam offensionem et indignationem superioris; β. prout significat alia insuper mala ut diurnam increpationem, duriorum tractationem, privationem bonorum etc. Iam vero si metus reverentialis hoc altero sensu accipitur, sine dubio gravis esse potest; quodsi priore sensu accipitur, censetur esse levis. Hac distinctione facta conciliari possunt auctores, quorum alii metum reverentialem habent gravem, alii vero levem.

¹⁾ Alii e. g. *D'Annibale* (I. n. 138) metum *ab extrinseco* dicunt, si ab alio incutitur ad extorquendum consensum, et *ab intrinseco*, si ipsum malum imminens infert metum, sive id provenit a causa interna ut est infirmitas, sive a causa externa ut est morbus contagiosus, tempestas, naufragium, poenae inferni etc. Secundum hanc distinctionem metus ab alio quidem incussum, sed non ad extorquendum consensum, referri debet ad metum ab intrinseco.

50. Influxus metus in actus humanos. 1. *Metus, qui adeo vehemens est, ut usum rationis turbet, penitus tollit voluntarium*: ubi enim deficit rationis deliberatio, habetur involuntarium perfectum. Id tamen in metu raro et per accidens tantum contingit: ordinarie enim et per se metus etiam gravis non aufert deliberationem rationis, quae ad actum perfecte humanum requiritur, ideo quoad metum attendendum est potissimum sequens principium.

2. *Actus positus ex metu quantumvis gravi per se simpliciter voluntarius et secundum quid involuntarius est.* Metus enim per se efficit, ut voluntas deliberate eligat actionem tamquam medium ad vitandum malum, sed cum aliqua repugnantia, ut si quis ex metu naufragii proiciat merces; atqui eiusmodi actus est simpliciter voluntarius cum admixtione involuntarii.

a. Metus, cum ordinarie non auferat voluntarium, *non excusat a peccato, nec aufert meritum bonae actionis*, ut si quis ex metu poenae assistat sacro. Quia tamen voluntario, quod ex metu procedit, admixtum est involuntarium, metus minuit culpam et meritum, et eo quidem magis, quo maior est repugnantia in ponenda actione. In specie vero α. si agitur *de re intrinsecus mala* nullus metus a peccato excusat nec culpam adeo minuit, ut peccatum mortale propter metum fiat veniale; β. si agitur *de re sola lege positiva prohibita*, gravis metus a peccato plane excusare potest, nisi metus incutiatur in odium ecclesiae vel religionis.

b. Quia actus, qui ex metu fit, simpliciter voluntarius est et ideo simpliciter humanus, per se metus *non excusat ab obligationibus* propter ipsum contractis, nisi obstet lex vel ratio specialis: voluntarium enim, quod sufficit ad committendum peccatum grave, sufficit etiam ad contrahendas obligationes. Ideo per se valet votum ex metu mortis in medio naufragio vel in gravi morbo emissum.

3. *Metus levis* in foro externo non attenditur: supponitur enim ipsum non habuisse influxum in actionem; in foro autem interno minuit voluntarium ideoque gravitatem peccati pro quantitate influxus in voluntatem.

§ 4. De violentia.

51. Notio ac divisio. 1. *Violentia* (coactio, vis) *passive* considerata definitur motio causata a principio externo

renitente voluntate; *active* considerata est ipsa vis, quae adhibetur ad motionem in alio causandam.

Duo ergo requiruntur, ut actus dicatur *violentus* seu coactus: *a.* ut a principio externo procedat et *b.* ut sit contra voluntatem totis viribus resistentem. Qui igitur vere et perfecte vim patitur, adeo ut exterius aliud agere non possit, non solum interius non consentit nec mere dissentit, sed etiam exterius quantum potest suasionem, precibus, minis, clamore, vi etc. resistit et vim illatam repellere conatur.

2. Patet in actus elicitos voluntatis non posse cadere violentiam, siquidem est contradictio in terminis voluntatem cogi ad actum i. e. in voluntate esse inclinationem erga obiectum, dum eadem voluntas ab eodem obiecto renitendo declinat; quare nec Deus potest cogere voluntatem. In actus autem, qui a voluntate imperari possunt, cadere potest violentia: nam non solum corporis membra, sed etiam potentiae internae, praesertim phantasia et intellectus a vi externa (e. g. per influxum angeli boni vel mali) ad actus moveri possunt renitente voluntate.

3. Violentia *dividitur* in violentiam *absolutam* et in violentiam *secundum quid*; illa habetur, quando is, cui infertur, resistit quantum potest et proinde omnino invite patitur; haec duplici sensu accipitur: *a.* secundum alios enim habetur, quando patiens vim illatam repellere aut saltem minuere potest, sed non facit; *b.* secundum alios habetur, quando patiens vim illatam repellere non potest, sed nec omnino invite patitur.

52. Influxus violentiae in actus humanos. 1. *Violentia absoluta tollit omne voluntarium*: nam actus a violentia absoluta causatus fit voluntate prorsus renitente, et si vel minimum consentiret vel resistentiam debitam omitteret, iam deficeret violentum absolutum. Ideo violentia tollit peccatum, cum non possit esse peccatum, quod non sit voluntarium.

Non peccat, qui violenter inclusus cogitur omittere sacrum die festo; qui cogitur genua curvare vel thus adolere coram idolis; virgo, quae vi opprimitur et pro viribus resistit; qui patitur pravas suggestiones.

2. *Violentia secundum quid non tollit, sed minuit voluntarium*: aut enim omittitur resistentia, quae adhiberi posset et deberet, et tunc actio violenta est indirecte (in omissione resistentiae) voluntaria, ut si mulier, quae opprimitur, invasorem, quem repellere posset, non repellit; aut voluntas non omnino repugnat, et tunc habetur aliquis voluntatis consensus, ut si mulier, quae opprimitur et invasorem repellere non potest, in pravam delectationem consentit.

Resistentia, quae opponenda est violentiae, ne actio violenta seu coacta imputari possit in peccatum, quandoque *requiritur per se*, quando nimirum violentia eiusmodi est, ut superari possit: alias enim, qui vim patitur, aliquatenus saltem consentire censetur; quandoque *requiritur per accidens*, etsi inutilis sit, quando nempe requiritur ad praecavendum scandalum; sic martyres, qui cogebantur thus offerre idolis, tenebantur resistere, quatenus opus erat ad ostendendum se pati invitos: vel quando necessaria est ad praecavendum consensum, id quod accidit, ubi vis infertur contra castitatem: sic mulier oppressa tenetur per se etiam viribus corporis quantum potest resistere.

53. *Num peccata ex consuetudine commissa sint imputabilia*. Si quis contraxit consuetudinem e. g. iurandi, singuli actus ex hac consuetudine commissi sunt in peccatum imputabiles, si iurans ad actum eiusque malitiam advertit; quodsi inadvertenter iurat, distinguendum est: si consuetudo voluntaria est, actus in peccatum imputantur; si consuetudo involuntaria est, actus non imputantur in peccatum: consuetudo enim contracta est causa singulorum actuum, quare si illa voluntaria est, singuli actus in causa voluntarii sunt. Consuetudo autem voluntaria est, tum si iurans ad consuetudinem per repetitos actus contrahendam advertens nihilominus se non emendat, tum si ad consuetudinem iam contractam advertens nullo remedio eam deponere conatur; et involuntaria est, si eam sive inadvertenter sive advertenter contractam per poenitentiam retractat et se depositurum proponit.

a. Qui ergo ex prava consuetudine, quam emendare studet, inadvertenter iurat vel blasphematur, non peccat, quia singuli actus neque in se neque in causa voluntarii sunt. Qui vero ex prava consuetudine,

quam extirpare negligit, inadvertenter iurat vel blasphematur, peccatum committit, quia singuli actus non quidem in se, sed in causa voluntarii sunt. Attamen non tot committit peccata, quot iuramenta vel blasphemias dicit, sed unum, illudque tum committit, quando ad consuetudinem contractam et ad obligationem eam extirpandi advertens emendationem negligit. Si quis ergo ad singula peccata, quae ex prava consuetudine committuntur, non advertit, non est, cur confesarius de eorum numero sollicitus sit.

b. Ex his colligitur, quale peccatum sit negligentia in tollenda eiusmodi prava consuetudine, quae est causa peccatorum. Si nimirum peccata ex consuetudine commissa graviora sunt, negligentia gravis est, quia obligatio eam extirpandi gravis est; quodsi peccata levia sunt, negligentia levis est, quia obligatio eam tollendi levis est; quodsi tandem aliqua adhibetur solertia emendandi consuetudinem, sed non seria atque sufficiens, pariter levis negligentia committitur.

Quaestio secunda.

De actibus moralibus.

Articulus primus.

De natura moralitatis¹⁾.

54. Declarationes. 1. *Moralitas* est illa actionum humanarum proprietas, qua bonae (honestae, rectae) vel malae (inhonestae, non rectae, iniquae) censentur. Patet

¹⁾ Quaestio de moralitate et moralitatis principio seu norma in philosophia morali facile principem locum occupat, ex qua praecipuas notiones pro instituto theologiae moralis desumpsisse iuvabit. Cf. *Suarez*, De bonitate et malitia humanorum actuum. *Schiffini*, Philosophia moralis (Augustae Taurinorum. Marietti. 1891) I. n. 57 ss. n. 133. *Pesch*, Praelectiones dogmaticae III. n. 615 ss. *Frins*, Zur Philosophie der Sittlichkeit (Zeitschrift f. k. Theologie. 1886) S. 577 ff. *Theod. Meyer*, Institutiones iuris naturalis (Friburgi. Herder. 1885) I. n. 140 ss. *W. Schneider*, Göttliche Weltordnung und religionslose Sittlichkeit (Paderborn. Schöningh. 1900) 6. u. 7. Kapitel.

actionum humanarum moralitatem ab aliqua *norma* pendere, adeo ut ex respectu ad aliquam normam dicantur morales.

Siquidem omnis actio moralis spectata essentia sua dicitur recta vel non recta (iniqua); rectitudo autem et obliquitas ex sua natura dicunt respectum ad normam vel regulam: nam rectum est, quod congruit cum norma, obliquum, quod ab ea discrepat. Insuper bene vivere est secundum rationem vivere, male vivere est contra rationem vivere, quod ostendit actus bonos et malos ex communi persuasione referri ad aliquam normam a ratione cognitam.

Moralitas igitur actionum humanarum definiri potest: *relatio actus humani ad normam moralitatis*; actiones, quae normae sunt conformes, dicuntur *moraliter bonae*, quae vero normae sunt difformes, *moraliter malae*.

2. Duplex distinguitur moralitas, altera *interna*, quae actionibus convenit in se ante omne superioris (sive divini sive humani) mandatum, quae actiones proinde sine bonitate aut malitia morali concipi nequeunt, ut amare vel odio habere Deum; altera *externa*, quae actionibus convenit solum dependenter a mandato superioris, quae proinde bonae sunt aut malae, solum quia iubentur aut vetantur, et sine ulla bonitate aut malitia morali concipi possunt, ut comedere pomum.

Normam moralitatis illarum actionum, quibus non convenit nisi moralitas externa, esse *legem positivam* manifestum est; quoad actiones vero, quibus convenit moralitas interna, quaeritur, quid sit, a quo illae constituentur moraliter bonae vel malae seu quae sit norma moralitatis earum.

55. Norma moralitatis. 1. *Norma proxima moralitatis est ordo moralis.* Ab ordine physico, quem constituunt res creatae, prout ratione naturalis perfectionis sibi invicem subordinantur, distingui debet plane diversus *ordo moralis*. Hunc constituunt hominis relationes essentiales, quae triplicis generis sunt: aliae enim homini conveniunt, prout refertur ad Deum, primum suum principium et ultimum finem; aliae homini conveniunt, prout refertur

ad creaturas sive rationales sive irracionales: homo enim ut pars universi hinc quidem ad societatem cum aliis hominibus constituendam natura sua ordinatus, inde vero iure instructus est utendi rebus materialibus, in quantum ad consequendum finem suum id requiritur; aliae tandem homini conveniunt, prout refertur ad seipsum: compluribus enim iisque diversis instructus est homo potentiis, quae natura sua ita invicem ordinatae sunt, ut inferiores serviant superioribus, superiores vero dirigere debeant inferiores. Iam vero hic ordo moralis est norma, a qua actiones humanae constituuntur intrinsecus bonae vel malae, adeo ut bonae sint, quia ordini sunt conformes, et malae, quia ab eo difformes sunt.

2. *Norma suprema moralitatis est Deus, hominis finis ultimus.* Suprema norma moralitatis est ultima ratio normae proximae; atqui ultima ratio, ob quam bonae sint actiones ordini morali convenientes, est finis hominis ultimus.

a. Actiones morales totidem media esse debent, quibus homo tendat in finem suum ultimum; bonitas autem medii pendet ex eius aptitudine ad finem; ergo Deus, prout est summum bonum seu finis ultimus creaturarum rationalium, est suprema norma moralitatis.

b. Res creatae bonae sunt, quatenus ad bonum absolutum referuntur seu ad finem supremum rerum omnium ordinantur; ergo ordo moralis bonus est, quatenus fini absolute ultimo subordinatur eumque promovet. Ex his patet actus humanos moraliter bonos esse, quatenus in summum bonum et in finem absolute ultimum tendunt; atqui in finem ultimum tendunt, eo quod ordini morali convenientes sunt.

a. Quamvis theologi omnes in eo convenient, quod *Deum* dicant supremam normam moralitatis, tamen inter se dissident, ubi agitur de assignanda norma proxima. Illi vero, qui normam proximam dicunt *naturam rationalem qua talem complete spectatam*, verbis tantum a theoria exposita differunt: natura enim rationalis, quatenus rationalis est, complete spectatur, si tum in se tum etiam relative, cum suis nempe relationibus essentialibus ad Deum, ad alios homines et ad entia ratione carentia spectatur. Hoc sensu intelligendum est, si in sequentibus *bonum dicitur, quod naturae rationali conveniens est.*

3. Ordo moralis in ipsis rerum essentiis earumque perfectione fundamentum habet, quam ob rem norma moralitatis *immutabilis* atque ab

The Eternal Law is the ultimate origin of all (by which) not concept... matter enters the act...

homine eiusque facultatibus (ratione, voluntate) *independens* est. Inde est, quod certae actiones humanae semper et ab omnibus bonae, aliae vero semper et ab omnibus malae habeantur.

γ. Normae *obiectivae* actiones humanae conformari debent, ut bonae sint; actiones autem secundum normam diriguntur a ratione; *ratio* ergo, quatenus normam cognoscit et secundum illam actiones dirigit, est *norma subiectiva moralitatis*. Ideo bonum dicitur, quod est *secundum rationem*, malum quod est *contra rationem*.

Nota 1. A norma seu principio *moralitatis* distingui debet principium *obligationis*. Sane aliud est quaerere, cur actus humanus sit moraliter bonus vel malus, et aliud quaerere, cur actus humanus sit moraliter (positive vel negative) necessarius seu ex obligatione ponendus vel omittendus. Principium moralitatis est Deus, prout est summum bonum et finis ultimus; principium obligationis est Deus, prout est supremus legislator seu lex aeterna. Multo latius patet moralitas quam obligatio: quamvis enim actio moraliter mala sit etiam prohibita, quamplurimae tamen sunt actiones moraliter bonae, quae non sunt praeceptae. Quae quidem apte confirmantur nota s. *Augustini* definitione, secundum quam lex aeterna est ratio et voluntas Dei ordinem naturalem (moralem) conservari iubens perturbari vetans (n. 91).

Nota 2. Ex his definitionibus patet nec moralitatem dari nec obligationem, si Deus non esset: cum enim principium supremum tum moralitatis tum obligationis sit Deus, nec veri nominis moralitatem nec obligationem constituere potest, qui ab existentia Dei praescindit. In hac veritate contra ethicam atheam demonstranda est totum opus supra laudatum *W. Schneider*, *Göttliche Weltordnung und religionslose Sittlichkeit*.

Articulus secundus.

De fontibus moralitatis.

56. Fontes moralitatis, qui etiam *principia* moralitatis vocantur, sunt illa elementa actuum humanorum, ex quibus in eos moralitas derivatur, i. e. quae efficiunt, ut actiones humanae sint vel non sint naturae rationali conformes. Et cum tria sint, quae actionem in concreto spectatam constituere possunt naturae rationali conformem vel difformem, recte tres numerantur fontes moralitatis: *obiectum circumstantiae* et *finis*.

a. Moralitatem derivari ex hoc triplici fonte non significat, moralitatem in qualibet actione ex his tribus simul desumi, sed significat eam ex aliquo horum trium derivari; in concreto igitur pro diversitate actuum modo ex uno vel altero, modo ex omnibus simul desumitur.

b. Ut actus sit bonus, omnia principia, ex quibus moralitas profluit, debent esse naturae rationali conformia, si vel unum sit difforme, actio fit mala; unde axioma invaluit: *bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu*. Si ergo actus ex obiecto, ex fine et ex circumstantiis naturae rationali conveniens est, simpliciter bonus, quodsi aut ex obiecto aut ex circumstantiis aut ex fine naturae rationali disconveniens est, simpliciter malus est.

Num et quando hoc principium: *bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu* restringendum sit, suo loco dicitur: quaeritur enim, num actus ex obiecto bonus per finem malum vel per circumstantiam malam totam suam bonitatem semper amittat.

§ 1. De obiecto.

57. Notio et principium. 1. *Obiectum* actus moralis dicitur illud, circa quod tendentia voluntatis proxime et primario versatur.

a. Id, circa quod versatur tendentia voluntatis, est diversum, prout actus voluntatis est mere elicitus aut elicitus et simul imperatus: α. aliqua res, sic Deus est obiectum amoris Dei, pecunia obiectum aviditatis pecuniae; β. aliqua actio externa ut in his actibus: velle largiri eleemosynam, velle furari, velle ambulare; γ. aliquis actus internus ut in his actibus: velle amare Deum, velle credere.

b. Dicitur *proxime et primario*, quia etiam finis et circumstantiae sunt id, in quod tendit voluntas, at non proxime et primario.

c. Ad obiectum actus ea omnia pertinent, quae eius *substantiam*, non physice sed *moraliter spectatam*, constituunt; porro substantiam actus ea omnia constituunt, quae ei adeo sunt essentialia et necessaria, ut si aliquid desit vel aliud addatur, actus fiat diversus. Sic furti obiectum est res aliena domino rationabiliter invito ablata: etenim si res non est aliena aut si non invito domino aut eo non rationabiliter invito aufertur, non est furtum.

d. Obiectum *proximum* est ipse actus voluntatis imperatus (furari, credere) vel obiectum actus elicitus (Deus, pecunia), obiectum *remotum* est id, circa quod versatur actus imperatus (res aliena in furto, veritas revelata in actu fidei).

2. Primam et *essentialem moralitatem actus humani accipiunt ab obiecto*: obiectum enim sicut in ordine physico, ita etiam in ordine morali per se et primario dat speciem

actibus, quia potentiae ab obiecto per se et primario ad actum moventur.

Ideo fit, ut moralitas, quae actui ex obiecto convenit, ante omnem aliam concipiatur, quae ei ex fine vel ex circumstantiis conveniat. Qui ex amore Dei dat eleemosynam ad sublevandam miseriam pauperis, exercet actum misericordiae, et qui furatur ad se inebriandum, ponit actum furti, quia obiectum, non finis primario constituit speciem moralem actus. Ideo moralitas, quam actus accipiunt ex obiecto, dicitur *obiectiva, essentialis et substantialis*.

58. Divisio. 1. Obiectum dicitur *bonum*, si naturae rationali consentaneum est, sic Deum adorare, velle eleemosynam dare bonum est, quia id naturae rationali conveniens est; dicitur *malum* si ei dissentaneum est, sic blasphemare, velle furari est malum, quia id naturae rationali disconveniens est, et dicitur *indifferens*, si neutrum obtinet, sic edere, ambulare, scribere naturae rationali nec conveniens nec disconveniens est.

2. Obiectum aliud *interne et per se* bonum vel malum, aliud *per accidens et ratione praecepti* bonum vel malum est. Illud ex se et natura sua conforme vel difforme est naturae rationali ut amare vel odisse proximum; posterius non ex se et natura sua, sed solum ratione legis supervenientis bonum vel malum est ut vesci carnibus vel ab iis abstinere.

Obiecta prioris generis praecipuntur, quia bona sunt, et prohibentur, quia mala sunt; obiecta vero posterioris generis bona sunt, quia praecipuntur, et mala sunt, quia prohibentur.

3. Obiecta in se mala sunt duplicis generis: alia sunt *mala absolute* et independenter a qualibet condicione, quia ex se naturae rationali ita repugnant, ut neque ipse Deus ea mutare possit e. g. odium Dei, periurium; alia sunt *mala condicionate* i. e. ratione alicuius condicionis, quae subest potestati Dei propter dominium, quod in res creatas exercet, quam condicionem si Deus auferat, desinunt esse mala et fiunt licita ut auferre rem alienam, occidere hominem etc.

4. Obiectum *materiale* dicitur id, circa quod actus voluntatis versatur e. g. pecunia aliena, quae concupisci-

tur, rei alienae ablatio; obiectum *formale* dicitur idem obiectum materiale, prout cum cognitione moralitatis eius libere ab agente attingitur e. g. concupiscentia vel ablatio rei alienae scienter et libere facta.

§ 2. De circumstantiis.

59. Notio et numerus. 1. *Circumstantiae* sunt condiciones, quae ad substantiam actus moralis accedunt eumque aliquo modo afficiunt, ut in furto circumstantia loci sacri vel rei sacrae. Quia circumstantia ad actum moralem in sua substantia iam constitutum accedunt, *accidentia* actuum moralium dicuntur.

Circumstantiae actuum moralium illae tantum condiciones vocari solent, quae ad substantiam moralem actus seu ad actum in specie morali iam constitutum accedunt, sic in furto rei sacrae non *alienum esse*, sed solum *sacrum esse* circumstantia actus dicitur.

2. *Septem* numerari solent *circumstantiae*, quae exhibentur hocce versiculo:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis indicat specialem qualitatem personae, quae operatur, e. g. quod sit clericus, voto vel matrimonio ligatus.

Quid denotat obiecti ipsius qualitatem vel quantitatem: num percussio gravis vel levis, patris vel extranei sit, num res furto ablata magna vel parva, sacra vel profana sit.

Ubi significat rationem loci, utrum sacer an profanus, utrum occultus an publicus fuerit, ut scandalum oriri potuerit.

Quibus auxiliis significat specialem rationem mediorum, quae agens adhibuit ut pecunia furto ablata se inebriare, armis prohibitis vulnerare.

Cur finem operantis indicat, ut furari ad se inebriandum. Licet finis ad circumstantias pertineat, ob peculiarem tamen influxum in moralitatem peculiarem considerationem meretur.

Quomodo actionis modum significat tum interioris ut intense vel remisse, advertenter vel inadvertenter, bona vel mala fide agere, tum exterioris ut occidere veneno vel gladio, cum crudelitate membratim concidere.

Quando denotat temporis quantitatem et qualitatem: utrum diu an obiter, tempore sacro an non sacro aliquid factum sit.

3. Non solum obiecta sunt indifferentia, sed etiam complures *circumstantiae* dicendae sunt *indifferentes*, quae in moralitatem actus non influunt neque ullam moralitatem

ei tribuunt, quia naturae rationali nec convenientes nec disconvenientes sunt ut eleemosynam dare manu dextra vel sinistra, feria secunda vel tertia furari.

60. Principia. 1. Actus humanus moralitatem accipit etiam a circumstantiis, quae obiectum in concreto determinant: nam circumstantiae efficere possunt, tum ut actus sit vel non sit naturae rationali conveniens tum ut magis vel minus conveniens sit. Sic temperanter se reficere naturae rationali conveniens, intemperanter se reficere naturae rationali disconveniens est; ferventer Deum colere naturae rationali magis conforme est quam remisse eum colere; fratrem occidere naturae rationali magis difforme est, quam hominem occidere.

2. Quadruplici modo circumstantiae moralitatem tribuunt actibus humanis: eo quod

a. actus ex obiecto indifferens fit bonus vel malus ex circumstantiis; sic manducare carnes die abstinentiae malum, temperate se reficere bonum est;

b. actus ex obiecto bonus ex circumstantia fit malus; sic malum est orare contra praeceptum superioris;

c. actus ex obiecto bonus vel malus a circumstantiis novam bonitatem vel malitiam accipit; sic qui ex voto a carnibus abstinet actum temperantiae et religionis, et qui rem sacram furatur actum iniustitiae et irreligiositatis ponit;

d. actus ex obiecto bonus vel malus a circumstantiis fit magis vel minus bonus aut malus; sic si pauper dat eleemosynam, actus misericordiae maior est, et si peccat sacerdos, malitia peccati ceteris paribus maior est.

Notandum est illas circumstantias, quae actioni ex obiecto indifferenti primam speciem moralem tribuunt, communiter ad ipsum obiectum referri et ab obiecto non distingui, adeo ut obiective bonus vel malus dicatur actus, qui ex obiecto est indifferens et bonus vel malus constituitur ex aliqua circumstantia, sic manducare carnes die ieiunii dici solet actus ex obiecto malus.

3. Circumstantia *graviter mala* totam actus bonitatem aufert, circumstantia vero *leviter mala* concomitans actum

(remisse attendere, praecipitanter agere, tepide orare, fastidiose eleemosynam dare) non aufert totam actus bonitatem. Ratio *primi* est, quia actus, qui plene a fine ultimo avertit, non potest ad finem conducere. Ratio *secundi* est, quia eiusmodi actus non avertit a fine ultimo, et ideo tendentia voluntatis in malum non destruit totam actus bonitatem; et sane, nisi ita esset, pauci admodum actus boni etiam in viris sanctis reperirentur.

Cum circumstantiis actionum, quae actiones ipsas afficiunt, confundendae non sunt actiones sive internae sive externae, quae durante actione fiunt, sed ad ipsam actionem nullatenus referuntur ut pium suspirium vel verbum otiosum inter studendum, actus impatientiae vel orationis inter laborandum. Eiusmodi actus, sive boni sunt sive mali, meritum vel demeritum actionis nec augent nec minuunt, sed propriam in se ipsis moralitatem habent.

61. Divisio circumstantiarum. Circumstantiae dividuntur:

1. In *speciem mutant* et *speciem non mutant*, prout actionem solum intra eandem speciem moralem modificant, vel actionis speciem moralem diversam efficiunt seu potius actioni aliam speciem moralem superaddunt.

2. Circumstantiae *speciem non mutant* vel sunt *aggravantes* vel *imminuentes*, prout bonitatem vel malitiam moralem augent vel minuunt, ut si quis actum efficiat, qui longiore vel brevior tempore duret, vel si grave furtum faciens maiorem vel minorem summam auferat. Hae circumstantiae vel *leviter* vel *graviter* seu *notabiliter* moralitatem actus augent aut imminuunt.

3. Circumstantiae *speciem mutant* actionis speciem *theologicam* mutant, dum efficiunt, ut actio quae ex obiecto est peccatum leve, fiat grave, et quae est peccatum grave, fiat leve e. g. ob parvitatem vel magnitudinem materiae; aliae autem speciem *moralem* mutant, dum actioni novam speciem bonitatis vel malitiae tribuunt praeter eam, quam ex obiecto habet, ut si quis furetur rem sacram.

§ 3. De fine.

62. Notio. 1. *Finis* actus humani est illud, propter quod agens operatur; distinguitur *finis operis* et *finis operantis* seu finis internus et externus.

a. *Finis internus* seu operis dicitur ille, in quem actus per se et natura sua ordinatur ut eleemosyna ad sublevandam miseriam pauperis; finis operis seu internus ab ipso opere seu ab obiecto non distinguitur, quare actui non tribuit moralitatem distinctam ab ea, quam ex obiecto habet. *Finis externus* seu operantis ille est, ad quem actus ab operante ordinatur ut eleemosyna ad satisfaciendum pro peccatis. Iam fieri potest, ut solus finis internus, vel internus et simul aliquis externus, vel neglecto interno solum aliquis finis externus ab operante intendatur, ut si quis largitur eleemosynam solum ad sublevandam alterius miseriam vel etiam ad retrahendum alium a peccato vel solum ad alium a peccato retrahendum.

b. De solo *fine operantis* hic sermo est, quia solum iste finis moralitatem ab obiecto distinctam in actum humanum inducere potest.

2. Admittendi sunt fines *in se indifferentes*, qui nullam actibus moralitatem tribuunt, quia naturae rationali nec conformes nec difformes sunt ut canere ad lucrum faciendum, ire in agrum animi causa.

63. Divisio. *Finis operantis* multipliciter dividitur:

a. In finem proximum et remotum: *proximus* ille est, qui nullo alio interposito intenditur; *remotus* ille, qui mediante alio fine intenditur; sic si quis cantat, ut stipendio accepto sustentationem sibi procuret, stipendium est finis proximus, sustentatio remotus.

b. In finem ultimum et intermedium: *ultimus* est, qui intenditur propter se, in quo ergo sistit agens, quin ad ulteriorem finem actum referat; *intermedius* est, qui intenditur propter ulteriorem finem: sic si quis libros componit ad comparandam sibi pecuniam in salutem proximi et in gloriam Dei impendendam, gloria Dei est finis ultimus, pecunia et salus proximi sunt fines intermedii.

c. *Finis ultimus* potest esse *simpliciter* seu absolute ultimus, praeter quem alius non est, ad quem opus referatur, et *secundum quid* ultimus, qui solum ultimus est in

aliquo ordine rerum; sic scientia est finis secundum quid ultimus in ordine studiorum, gloria Dei est finis simpliciter ultimus.

d. Finis *ultimus* vel est *positive* vel *negative* ultimus, prout finis ulterior excluditur, aut non excluditur quidem, sed neque intenditur.

Qui *solum* studet ad scientiam sibi comparandam, ei scientia est finis *positive* ultimus, quia ulteriorem finem e. g. gloriam Dei excludit; qui studet ad scientiam sibi comparandam, quin de ulteriore fine cogitet, ei scientia est finis *negative* ultimus, quia ulteriorem finem e. g. gloriam Dei neque intendit neque excludit.

e. In finem *totalem*, qui solus ad actionem movet, adeo ut si iste non esset, actio non fieret, et *partialem*, qui simul cum alio ad actionem movet. Finis *partialis* ita comparatus esse potest, ut cum alio sit aequalis vel aequae *principalis*, si uterque *sufficiens* est, qui ad actum moveat, aut ita, ut unus sit *primarius*, qui primo intenditur, et alter *secundarius*, qui solum cum subordinatione ad *primarium* intenditur et ad actum movet; ille dicitur *movens* et solus ad actionem *sufficeret*; hic dicitur *impellens* et in actionem quidem influit, sed solum ad actionem non *sufficeret*.

Sacerdoti, qui missam celebrat solum ad Deum colendum, cultus Dei est missae finis *totalis*; si missam celebrat tum ad Deum colendum tum ad stipendium lucrandum, cultus Dei et stipendium sunt missae fines *partiales*. Quodsi sacerdos ita comparatus est, ut celebraret, etsi stipendium non haberet, cultus Dei est finis *primarius*, si deficiente stipendio non celebraret, stipendium est finis *primarius* celebrandi.

64. Principia. 1. Actus humanus moralitatem accipit etiam a fine, propter quem fit: nam finis, ad quem actio ab operante ordinatur, efficere potest, ut actio ratione huius ordinationis sit naturae rationali conformis vel difformis; ergo praeter obiectum et circumstantias etiam a fine actio humana accipit suam bonitatem vel malitiam moralem. Sic non solum dare eleemosynam, sed etiam dare ad redimenda peccata naturae rationali conforme, et non solum furari, sed etiam furari ad se inebriandum naturae rationali difforme est.

Finis, qui actui ex obiecto indifferenti primam speciem moralem tribuit, ipsum obiectum ingredi atque ad obiectum pertinere dicitur; sic largiri pecuniam ad sublevandam miseriam, canere ad laudandum Deum actiones ex obiecto bonae dicuntur et canere ad molestiam alteri creandam actio ex obiecto mala dicitur.

2. Diversis *modis* fieri potest, ut finis actioni tribuat moralitatem: nam actus ex obiecto bonus, malus vel indifferentens ab agente referri potest in finem bonum, malum vel indifferentem.

a. Actus *ex obiecto bonus* a fine bono novam bonitatem, immo tot species bonitatis accipit, quot sunt fines boni diversi, quos agens intendit, quia toties est naturae rationali conformis, quot sunt fines boni, qui ab agente intenduntur. Si quis e. g. eleemosynam largiatur ad honorem Dei et ad redimenda peccata, actio triplicem bonitatem habet, misericordiae ab obiecto, religionis et poenitentiae a fine.

b. Si actus ex obiecto bonus ad finem malum ordinatur, distinguendum est:

a. Si finis malus finis totalis seu unica et adaequata causa actionis est, sive graviter sive leviter malus est, corrumpit bonitatem actus et totum opus vel graviter vel leviter malum reddit, e. g. dare pauperi eleemosynam ad eum avertendum a fide vel orare solum ad vanam gloriam, malum est, quia voluntas bonum non intendit, nisi sub ratione mali seu ut medium ad finem malum, et ideo non vult nisi malum¹⁾

β. Si finis malus finis partialis est seu si actio fiat propter finem bonum et finis malus leviter tantum malus est, sive primarius sive secundarius est, non vitiat totum actum, sed iste partim bonus partim malus est: potest namque voluntas simul utrumque velle, bonum et malum; sed tendentia in bonum per tendentiam leviter malam non destruitur, quia voluntas per eam non avertitur a fine ultimo, ut si quis dat eleemosynam ad sublevandum pauperem et simul ad captandam laudem hominum.

¹⁾ Cf. Matth. 6, 1. 5. 22. 23. ~~sed~~ *sed* ~~et~~ *et* ~~mensura~~

Finis iste partialis ad actionem bonam tripliciter se habere potest: *antecedenter*, ita ut non influat in actionem postea ponendam, sed potius eius occasio sit, ut si quis ex respectu humano accedat ad sacrum, cui deinde debita cum intentione assistit; iste finis occasionalis non vitiat actionem; *concomitanter*, ita ut simul cum alio fine bono sit causa actionis, ut si quis pulsat organum ad laudandum Deum et ad vanam gloriam; iste vitiat actionem ex parte: *consequenter*, si actione ex bono fine iam incepta accedat malus finis, ut si quis inceptit canere ad colendum Deum et deinde subrepat etiam aliquid ostentationis: iste finis pariter vitiat actionem ex parte¹⁾.

Quomodo voluntas possit *simul utrumque velle*, auctores diverso modo explicant. Alii enim docent eundem actum posse esse simul bonum et malum; alii vero dicunt posse esse in voluntate eodem tempore circa idem obiectum duos actus, alterum bonum, alterum malum²⁾. Vulgo tamen solemus eiusmodi actus considerare ut unum actum, etsi ex pluribus complexum.

γ. Si finis malus finis partialis est et graviter malus, vitiat totum opus illudque constituit malum e. g. incendium extinguere ad iuvandum proximum et simul ad grave furtum committendum: impossibile enim est, ut placeat Deo actio, qua homo totaliter a Deo avertitur.

c. Actus ex obiecto bonus a fine indifferente, in quem ab agente ordinatur, non fit malus, sive finis indifferens est partialis ratio volendi obiectum bonum sive totalis, ut si quis in ecclesia cantat vel unice vel etiam ad lucrandum.

d. Actus *ex obiecto malus* a fine bono non potest bonitatem accipere, sed est et manet malus: si enim obiectum malum est, finis bonus non impedit, quominus voluntas malum reipsa velit, bonum autem ex integra causa, malum ex quovis defectu. Unde illud apostoli: *non faciamus mala, ut veniant bona*³⁾. Tamen finis bonus minuit actionis malitiam, ut si quis furetur ad benefaciendum, quia minor est affectus ad malum, quod voluntas non appetit nisi ex amore alicuius boni.

Ex his patet in prima ethices principia eum offendere, qui docet finem sanctificare media i. e. finem bonum constituere bonam actionem

¹⁾ Cf. *Ballerini-Palmieri* I. n. 98.

²⁾ Cf. *Billuart*, De actibus humanis art. 4. n. 2.

³⁾ Rom. 3, 8.

ex obiecto vel circumstantiis malam: etsi enim finis bonus efficere possit, ut bona sit actio ex obiecto vel circumstantiis indifferens, nequit tamen efficere, ut bona sit actio ex obiecto vel circumstantiis mala¹⁾.

e. Actus ex obiecto malus a fine malo novam malitiam, immo tot malitias accipit, quot sunt fines mali, in quos actio ab agente ordinatur, quia actio toties est naturae rationali difformis, quot sunt mali fines, in quos ordinatur. Si quis e. g. furatur ad se inebriandum, actio duplicem malitiam habet iniustitiae et intemperantiae.

f. Actus ex obiecto malus a fine indifferente, in quem ab agente refertur, non mutatur, sed retinet suam malitiam.

g. Actus ex obiecto indifferens a fine bono, in quem ab agente ordinatur, accipit moralem bonitatem, e. g. cantare ad laudandum Deum est actus religionis.

h. Actus ex obiecto indifferens a fine malo, in quem ab agente ordinatur, accipit malitiam moralem, e. g. cantare ad molestiam alteri creandam est peccatum contra caritatem.

i. Actus ex obiecto indifferens, qui ab agente in finem indifferentem ordinatur e. g. canere ad lucrandum, in abstracto manet indifferens; num etiam in concreto, mox dicitur.

Articulus tertius.

De actibus moraliter bonis²⁾.

Determinandae sunt condiciones, quae requiruntur, ut actus humanus *subjective* sit *moralis* et *moraliter bonus*.

65. De actu morali. *Duplex condicio* requiritur, ut actus possit dici *subjective moralis*:

a. *Ut sit liber*: actus necessarius nec moralis nec proprie humanus dici potest. „Ibi, ait s. Thomas, incipit

¹⁾ Cf. Reichmann, Der Zweck heiligt die Mittel (Freiburg. Herder. 1903. Ergänzungsheft zu den Stimmen a. M.-L. 68).

²⁾ Cf. Ballerini-Palmieri I n. 103 ss. Walsh I. c. n. 675 ss.

moral act results in *bonitas* or *malitas* & *physical* & *natural* ss

genus moris, ubi primo dominium voluntatis invenitur¹⁾). Et sane actus moralis omnium consensu hominem facit dignum laude aut vituperio, praemio vel poena; atqui solum id, quod cum libertate fit, hominem facit dignum laude et praemio aut vituperio et poena.

b. *Ut qua moralis apprehensus et intentus sit*: etsi enim omnis actus moralis debeat esse liber, sola tamen libertas ad constituendam eius moralitatem non sufficit, sed insuper requiritur, ut voluntas tendat in obiectum, quod ab intellectu apprehenditur et voluntati repraesentatur sub respectu morali: moralis enim actus esse non potest, nisi ex tendentia voluntatis in obiectum, quod ad ordinem moralem pertinet.

a. Scilicet distinguimus *ordinem physicum* et *ordinem moralem*. Ad ordinem physicum pertinet omne id, quod ad evolvendam, conservandam perficiendamque naturam sive sensitivam sive spiritualem conducit, quod proinde agenti delectationem vel saltem commodum affert; ad ordinem vero rationis pertinet id, quod naturam rationalem decet aut dedecet, eius dignitati conveniens vel disconveniens est, quod ordini seu relationibus rerum conforme aut difforme est, quod licitum vel illicitum, permissum vel prohibitum est, quod auctori naturae placet vel displicet. Iam ad actionem, quae sit secundum ordinem physicum, alia cognitio et tendentia non requiritur nisi eius, quod ad naturae commodum vel delectationem conducit; ad actionem vero, quae ad ordinem moralem pertineat, requiritur cognitio ipsius ordinis moralis atque in eundem tendentia.

b. Si ergo operans in aliqua actione nil aliud apprehendit et intendit nisi delectationem vel commodum naturae, actionem nedum moraliter bonam, sed neque moralem exercet, etsi actio ad ordinem spiritualem pertineret; qui e. g. in studio mathesis vel musices nil aliud cognoscit, nisi illud placere vel hominem perficere et solum hanc delectationem vel utilitatem intendit, non exercet actionem moralem.

c. Ergo non omnis actus humanus simul moralis est; sed sunt *actus humani, qui morales non sunt*. Et sane non solum pueri deliberate agunt, quin eorum actus morales sint, quia rationem boni et mali moralis nondum apprehendunt, sed etiam adulti quandoque deliberate exercent actus sine omni prorsus attentione ad eorum bonitatem aut malitiam moralem, praesertim quando indifferentia aspiciunt, legunt, scribunt etc.²⁾.

¹⁾ S. Thomas 2. dist. 21. q. 3. a. 2.

²⁾ Cf. *Struggl*, Theologia moralis tract. 1. q. 2. n. 28.

Every moral act is a human act
 Not human is moral

66. De actu moraliter bono et malo. 1. Ut actus subiective sit *moraliter bonus* seu rectae rationi conformis, requiritur, ut eius *bonitas intendatur*, alias solum obiective et materialiter bonus esset: nequit enim obiectiva bonitas actum constituere subiective bonum, nisi eius bonitas cognoscatur atque intendatur. Econtra ut actus subiective sit *moraliter malus*, non requiritur, ut malum intendatur, sed sufficit, ut *cognoscatur* et a voluntate *negative intendatur* seu non omittatur: qui enim actum cognoscit tamquam malum eumque nihilominus appetit, male agit, quia malum omitti et vitari debet.

a. Ut largitio doni facta pauperi sit actio bona, tamquam bona seu rationi conformis apprehendi atque intendi debet. Ut manducatio prohibita carnis sit peccatum, sufficit ut cognoscatur prohibita et tamen non omittatur, etsi malum non intendatur, immo etsi manducans nollet facere malum.

b. Ut *circumstantia* bona moralem bonitatem tribuat actui humano, cognosci et tamquam bona aliquo modo intendi debet. Ut oratio devota in ecclesia coram aliis peracta ex circumstantia boni exempli bona sit, orans hanc circumstantiam apprehendere et saltem in confuso intendere debet.

c. Ut *finis* bonus actioni moralem bonitatem tribuat, requiritur, ut finis bonus ab operante intendatur seu ut actio in illum finem ordinetur. Inde fit, ut finis bonus in actionem influat, quia agens actu aut saltem virtualiter ad actionem a fine movetur. Hinc intentio mane elicitata opera diurna peragendi in honorem Dei eatenus tribuit operibus bonitatem virtutis religionis, quatenus illa intentio ad singula opera peragenda aliquo modo saltem virtualiter revera movet et determinat.

67. 2. Ut actus subiective sit moraliter bonus, requiritur, ut *ad Deum relatus sit*.

Quadruplici modo aliqua actio ordinata esse potest in Deum: α. *actualiter*, si ab operante, quando actio exercetur, per intentionem expressam in Deum refertur; β. *virtualiter*, si per intentionem actua-lem antea elicita et in actionem adhuc influentem, licet ab operante non advertatur, in Deum refertur; γ. *habitualiter*, si per intentionem factam et non revocatam, quae tamen in actionem non amplius influit, in Deum refertur; δ. *obiective, naturaliter* vel implicite, eo quod actio non aliqua intentione ab operante elicitata, sed ipsa sua natura in Deum refertur: nam omne opus bonum suapte natura ordini morali conveniens est; sed cum Deus sit auctor et finis ordinis moralis, qui deliberate

iuxta hunc ordinem agit, *implicite* Deum respicit et actionem ponit ad Deum ordinatam. Iam quaeritur, quomodo actus ad Deum referri debeat, ut sit bonus. De hac re diversae sunt theologorum sententiae.

Sententia prima. 1. Sunt, qui doceant, omnes actus, qui non versantur circa ipsum Deum. finem ultimum, *per intentionem operantis referri debere ad Deum*, ut sint bonae.

Huius sententiae videtur esse *s. Alphonsus*, qui (l. 5 n. 44) docet, non exigi quidem actualem, sed tamen virtualem omnium operum relationem ad Deum. „Hinc, ait, oportet saepius in die, saltem mane, generaliter offerre Deo omnes actus suos, ut sic adimpleatur praeceptum apostoli, saltem intentione virtuali omnia faciendi in gloriam Dei“.

2. Eorum *argumentum* est hoc: positivo praecepto obligamur ad omnes nostras actiones ad Deum referendas. ait enim apostolus: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*¹⁾.

3. *Refutatio.* Si non alia ordinatio operum in Deum intelligitur nisi naturalis et implicita, qua opus bonum natura sua in Deum eiusque gloriam tendit, verissima est doctrina; quodsi alia magis explicita ordinatio praecipitur, exaggerata haec sententia admitti nequit: nullum enim existit praeceptum, quo obligemur omnes nostras actiones explicitè in Deum referre.

Intelligi nequit, cur *ex natura rei* ad honestatem actionis alia eiusdem relatio ad finem ultimum requiratur quam implicita et naturalis. Et sane cum Deus sit finis absolute ultimus, omnis actio moralis in Deum finem ultimum tendere debet; sed actio moralis eo ipso quod est moraliter bona in Deum tendit. Si ergo alia, eaque perfectior relatio requireretur, id ex positiva voluntate Dei necessarium esset. Ideo re ipsa ad praeceptum Dei per apostolum promulgatum patroni huius sententiae provocant. Atqui nullum existit praeceptum divinum, quo obligemur actiones nostras positiva intentione in Deum referre. Verba enim apostoli supra relata alii cum *s. Bonaventura* eiusque schola non de praecepto, sed de consilio explicant; quodsi tamen, ut opinatur *s. Thomas* cum suis, praeceptum contineant, ad aliud non obligant, nisi ut omnia opera implicite et objective in Deum referantur. Et sane universale praeceptum, quod omnes omnino homines afficiat, illa verba continere non possunt: etenim si omnes actiones, ut sint moraliter bonae, per intentionem operantis referendae essent in finem

²⁾ 1. Cor. 10, 31.

ultimum, sequeretur omnia opera infidelium ex defectu debitae relationis esse peccata, quod falsum est¹⁾.

Sed neque *praeceptum particulare*, quod solos fideles obliget, illa verba continent: nam praeterquam quod iugum intolerabile eiusmodi praecepto imponeretur fidelibus, haec doctrina est contra sensum et praxim fidelium: omnes enim etiam pii et timorati fideles iudicant se opus bonum facere, si ex misericordia dent pauperi eleemosynam, etsi de ulteriore fine non cogitent²⁾.

Tandem si haec verba praeceptum continerent, non teneremur solum omnia opera utcumque in Deum referre, sed ad id teneremur ex motivo caritatis; nam suis actibus gloriam Dei quaerere, ad caritatem pertinet; atqui falsum est, ex motivo caritatis omnia opera in Deum esse referenda: sequeretur enim omnem actionem, quae non fiat ex motivo caritatis peccatum esse, id quod nemo affirmat.

68. *Sententia secunda*. 1. Alii docent omnes actiones, ut sint moraliter bonae, *referendas esse ad finem positive honestum*, i. e. ratio, quae voluntatem ad agendum movet et determinat, debet esse bonum positive honestum seu motivum alicuius virtutis, nec sufficit, ut sit aut delectatio aut commodum naturae.

Ut actiones, quibus homo consulit sanitati suae vel per victum vitam conservat, sint moraliter bonae, voluntas eas ideo appetere debet, quia e. g. Deus ita praecipit, vel quia vitam sustentant. Largitio eleemosynae, qua quis intendit sublevare indigentiam pauperis, est opus moraliter bonum, quia fit ex motivo positive honesto, nempe ex motivo virtutis misericordiae.

Huius sententiae praeter augustinianos sunt complures cuiusvis scholae theologi, non solum thomistae, sed praesertim scotistae, qui, admittentes actus in individuo indifferentes, ad hoc, ut actus moraliter boni sint, exigunt, ut positive ad finem honestum ordinentur.

2. Eorum *argumentum* hoc est: homo semper et in omnibus tenetur operari ut homo seu ut ens rationale: Deus enim permittere non potest, ut homo deliberate seu ut

¹⁾ Cf. propos. 25. baiana: *Omnia opera infidelium sunt peccata et philosophorum virtutes sunt vitia.*

²⁾ Cf. propos. 9. *Alexandri VIII.*: *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob eius turpitudinem et disconvenientiam cum natura sine nullo ad Deum offensum respectu.* Ergo non peccat neque actum malum peragit, qui ex motivo honestatis naturalis sine ulteriore relatione ad Deum actum doloris de peccatis suis elicit.

In modo dicto... actione est is necessarius intentio...
 ens (v) libet... obliget & honorandi de bono. actione...
 by defect.

ens rationale agens operetur modo, qui dignitati naturae rationalis non conveniat; atqui operatio, quae positive non refertur ad finem honestum, non est homine digna: finis enim naturae rationalis proprius est finis positive honestus. Qui ergo actionibus suis commodum aut delectationem quaerit, quin ulteriorem finem positive intendat, more brutorum agit nec ponit actionem moraliter bonam.

3. *Refutatio.* Verum neque haec sententia videtur admittenda. Etsi enim finis naturae rationalis proprius dicatur bonum honestum, nullo tamen argumento ostendi potest, hominem teneri illum finem semper et in omnibus positive intendere, ut bene agat: sufficit enim, ut negative eum intendat, i. e. ut apprehendat se nihil agere, quod fini honesto contrarium sit. Insuper etiam haec sententia videtur esse contra sensum et praxim fidelium, ut mox declarabitur.

69. *Sententia tertia.* 1. Alii tandem docent, ut actus sit moraliter bonus, sufficit, ut *iuxta praescripta rationis ordinatus sit et qua talis apprehendatur et appetatur*, etsi voluntas non bonum honestum seu motivum virtutis, sed delectationem vel commodum, ergo finem indifferentem, intendat, quin de ulteriore fine cogitet. Eo autem homines ordinarie aliquam actionem secundum rationem exactam diiudicant, quod eam ut *non illicitam* apprehendunt.

a. Qui ludit ad se recreandum et intelligit hanc actionem consideratis omnibus eius adiunctis (personae, loci, temporis, durationis etc.) convenire cum praescriptis rationis eamque qua talem intendit, bene agit. Scilicet actio, quae ex fine indifferens est, ex objecto bona est: circumstantiae enim et obiectum unum indivisibile obiectum constituunt (ludum secundum rationem exactum), quod rationi est conveniens ideoque moraliter bonum.

b. Etiam hanc sententiam cuiusvis scholae theologi tenent, praesertim vero s. *Thomas* eiusque genuini discipuli, qui actus, quos plerique scotistae dicunt indifferentes, existimant esse moraliter bonos. Hodie vero haec sententiae inter theologos evasis fere communis¹⁾.

¹⁾ Cf. *Ballerini-Palmieri* I. n. 112—129. VI. n. 239. *Génicot* I. n. 39. *Pesch* III. 673. Ne quis putet hanc doctrinam esse a mente antiquorum theologorum alienam, conferat haec testimonia: „Actus vir-

2. *Argumenta.* a. Ut actio sit honesta seu ente rationali digna, non requiritur, ut semper ex fine sit honesta, sed sufficit, ut ex circumstantiis sit honesta, modo finis non sit malus, sed indifferens; atqui actio, cuius obiectum est res utilis vel delectabilis, sed secundum praescripta rationis temperata atque ordinata, ex obiecto ob circumstantias est naturae rationali conveniens ideoque bona atque honesta. Semper quidem requiritur, ut homo in actionibus suis deliberatis operetur ut homo et prout decet naturam rationalem; sed qui intendit quidem in aliqua actione delectationem vel commodum naturae, sed tamen secundum normam rationis temperatum, non agit more brutorum, sed ut ens rationale, scilicet deliberate et iuxta praescriptum rationis.

b. Actus, quo exercetur virtus moralis, est actus moraliter bonus: honestum, ait *s. Thomas*, proprie in idem refertur cum virtute¹⁾; atqui sunt actus, quorum obiectum et finis est indifferens, et qui eo solum constituuntur actus virtutum, quod usus rerum, qui in commodum et delectationem suscipitur, omni ex parte sit temperatus iuxta normam rationis, cuiusmodi est virtus temperantiae²⁾.

tutis politicae (alicui loqui ex quadam civili amicitia — actus indifferens ex fine indifferenti) non est actus indifferens, sed in se bonus est et, si sit gratia informatus, erit meritorius“. *S. Thomas* 2. dist. 40. q. 1. a. 5. „Duobus modis potest homo operari propter sublevandam necessitatem naturae vel etiam corporis commoditatem: primo considerando solum humanam naturam ut animale, alio modo considerando illam etiam ut rationalem, quod fit, quando ad operandum propter commoditatem naturae adhibet homo rationis regulam et indicat illam commoditatem sibi esse convenientem etiam ut ratione regulato. Prior ergo modus non sufficit ad honestatem actionis. Si autem operatur secundo modo, id satis est ad honestatem actionis“. *Suarez* in 1. 2. tr. 33. disp. 9. sect. 3. n. 9. „Vocare solemus recreationem honestam, lusus honestos etc., quatenus in eorum delectabilitate, quae est ratio volendi et obiectum formale talium actuum, mensura a ratione praescripta servatur, et ob hanc mensuram servatam honesta nominantur“. *Mastrius* l. 1. disp. 5. q. 4. a. 4. n. 196.

¹⁾ *Summa* II. II. q. 145. a. 1.

²⁾ *S. Thomas* II. II. q. 141. a. 6. Cf. etiam I. II. q. 64. a. 1.

c. Haec sententia cum mente et praxi fidelium etiam timoratorum congruit: nemo enim, quantumvis pius sit, se peccatum commisisse iudicat, si moderate iuxta praescriptum rationis utitur commodis et delectationibus naturae, quin de ulteriore fine honesto sollicitus sit. Ideo fideles de eiusmodi actionibus nullibi se accusant, quasi actionem malam peregissent; quae fidelium praxis cum mente ss. Patrum apprime concordat¹⁾.

Nota. Omnes tamen concedunt hanc actionum bonitatem moralem infimam esse eamque per intentionem, qua actiones explicitae in altiorem finem honestum atque adeo in finem ultimum ordinantur, augeri et perfici posse. Bonitas enim actionum eo magis crescit, quo altior et nobilior est finis, qui ab agente positive intenditur, et quo magis haec intentio est explicita et actualis.

70. Difficultates. Contra hanc doctrinam duplex oritur difficultas, altera ex s. scriptura, qua reprobantur *verba otiosa* et pari ratione actiones otiosae²⁾; verba autem otiosa dicuntur, quae finem honestum non habent. Altera difficultas oritur ex propositionibus 8. et 9. ab *Innocentio XI.* damnatis, ex quibus patet, delectabilibus uti *ob solam voluptatem* peccatum esse³⁾; qui vero in actionibus delectabilibus ulteriorem finem non intendit, ob solam voluptatem agit.

a. Verbum *otiosum* dicitur non quidem verbum turpe vel mendax, sed neque verbum, quod per intentionem loquentis non dirigatur in altiorem finem honestum; verbum otiosum potius est verbum, quod sine ratione necessitatis vel utilitatis ex mera scurrilitate vel garrulitate profertur; eiusmodi autem verbum, utpote contra praescriptum rationis prolatum, malum est⁴⁾.

¹⁾ Cf. s. August. in ps. 34. serm. 2. n. 16.

²⁾ Matth. 12, 36.

³⁾ Prop. 8.: „Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui“. Prop. 9: „Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali“. Propositiones istae ex multiplici capite falsae sunt.

⁴⁾ Cf. *Knabenbauer*, Commentarius in evangelium s. Matthaei (Parisiis. Lethielleux. 1892) I. p. 496 s.

b. Ob solam voluptatem agere dicitur, non qui in usu delectabilium ulteriorem finem honestum non intendit, sed qui actiones delectabiles quaerit, quamdiu istae voluptatem afferunt sine respectu ad praescripta rationis modum et mensuram dictantis ac exigentis, ne usus delectabilium bona altioris ordinis impediatur. Qui ergo ob solam voluptatem agit, finem altiorem non solum non intendit, sed implicite etiam excludit et impedit.

Quare ita ob solam voluptatem agere, ut ulterior finis honestus atque ideo finis ultimus impediatur, peccatum est; ita vero ob solam voluptatem agere, ut delectatio ad agendum moveatur et intendatur, quin ad ulteriorem finem honestum dirigatur, peccatum non est, modo actio delectabilis vere naturae inservire cognoscatur et in eius usu modus a ratione praescriptus servetur.

71. De usu delectabilium¹⁾. Iuxta sententiam expositam homo suis actionibus commodum naturae, quin etiam delectationem positive intendere et quaerere potest, adeo ut proprium motivum et ratio volendi actionem sit ipsum commodum vel ipsa delectatio, quin necesse sit de ulteriore fine honesto cogitare. Eiusmodi ergo actionibus, quibus homo utitur delectabilibus naturae ut colloqui, comedere, bibere, ludere, se recreare etc. nedum male, sed potius bene agit, si in iis modum et mensuram a ratione praescriptam servet.

Et sane actionibus, quae ad conservandam et perficiendam naturam conferunt, auctor naturae ideo commodum et delectabilitatem indidit, ut homines ad eas exercendas inde allicerentur; ergo homo commodum et delectationes velle potest. Iam si in illis actionibus nil aliud deprehenderet et quaereret, nisi commodum naturae et voluptatem, actio naturae animali quidem conveniret, at natura rationali digna non esset; eo autem, quod commodis et delectationibus, quas quaerit, omni ex parte (quoad adiuncta temporis, loci, durationis etc.) modum et mensuram praescribit, quam recta ratio postulat, ut ens rationale agit; nec potest intelligi, quid eiusmodi actionibus desit, quominus possint dici rectae homineque dignae. Hominis enim, quippe animalis rationalis, natura non est rationalis tantum, sed animalis et rationalis; ergo positive appetere et quaerere potest, quae naturae suae animali conveniunt; eo autem, quod haec sub ductu et dominio rationis exercentur, etiam naturae rationali sufficienter conveniunt.

¹⁾ Cf. *I. B. Becker*, Die moralische Beurteilung des Handelns aus Lust (Zeitschrift für k. Theol. 1902 S. 448. 673).

72. Deliberatio et iudicium practicum. Quoniam autem mens proposito obiecto non semper statim intelligit rem esse licitam et bonam aut illicitam et malam, ideo quandoque duplex alia condicio *ex parte intellectus* requiritur, ut actio sit moraliter bona, nempe *deliberatio* et *iudicium practicum*.

a. Deliberatio est actus, quo mens rationes boni et mali, liciti et illiciti utrimque considerat et confert, ut intelligat, quid in aliqua re particulari agendum sit, ut actio sit bona.

b. Iudicium practicum seu dictamen de honestate actionis deliberatione enim instituta ratio concludit hoc esse bonum seu licitum aut malum seu illicitum. Porro nisi mens absque formali deliberatione statim intelligat rem esse bonam et faciendam vel malam et omittendam, hoc iudicium practicum rationis semper requiritur, ut actus humanus possit esse moraliter bonus: si enim deliberatio actionem non praecederet, haec esset moraliter mala, quippe posita in dubio de morali eius honestate.

Articulus quartus.

De extensione actuum moralium.

Expositis iis, quae de moralitate deque fontibus eius dicenda erant, sponte se offert quaestio, utrum actiones morales omnes sint vel bonae vel malae, an vero admittendae sint actiones *moraliter indifferentes*, quae nec bonae sint nec malae; pari modo utrum in solo actu interno voluntatis, an etiam *in actu externo moralitas insit*.

§ 1. De actibus indifferentibus.

73. Declarationes. 1. Actus moralis considerari potest *abstracte* seu *secundum speciem*, si consideratur solum secundum obiectum, a quo actus essentiam specificam recipit, praecisione facta a fine operantis et a reliquis circumstantiis e. g. cantare, et considerari potest *concrete* seu *in*

individuo, si consideratur prout a persona individua hic et nunc operante exercetur, ideoque una cum fine operantis et cum reliquis adiunctis actionem in concreto concomitantibus e. g. cantare in ecclesia ad laudandum Deum.

Patet actum secundum speciem consideratum non existere nisi in mentis abstractione: quoties enim actus perficitur, in certis circumstantiis et in aliquem finem, quem agens sibi proponit, perficitur.

2. Omnibus fere consentientibus sunt actus humani *moraliter indifferentes*, si *abstracte* considerantur. Sane actus abstracte considerati moralitatem aliunde desumere non possunt nisi ex obiecto; erunt ergo actus moraliter indifferentes, si sunt obiecta, quae per se nec conformitatem nec difformitatem cum norma honestatis includunt; atqui sunt eiusmodi obiecta, illa nempe, quae ex se nihil continent, quod ad ordinem rationis pertineat et quod eas naturae rationali convenientes efficiat ut ambulare, ludere, manducare et universim actiones, quibus succurritur indigentis naturae humanae.

3. Quoad actus vero humanos *concrete et in individuo consideratos* non una est philosophorum ac theologorum sententia: siquidem affirmantibus cum s. Bonaventura¹⁾ scotistis negant cum s. Thoma²⁾ thomistae et maior aliorum theologorum pars, ullum actum humanum in individuo consideratum posse esse indifferentem. Id tamen solum affirmant de actibus vere humanis et moralibus, qui deliberate et cum advertentia ad ordinem moralem fiunt: negari enim nequit actus, qui fiant sine advertentia sive ad ipsum actum sive ad moralitatem actus, etiam in individuo consideratos esse indifferentes, ut sunt motus primo-primi, praesertim illi actus externi, qui inadvertenter vel ex mera consuetudine fieri solent ut mulcere barbam, rodere unguis, fricare, expuere, emungere, movere pedem vel brachium etc., deinde actus, qui physice quidem, non autem moraliter deliberati sunt, ut olfacere florem, se calefacere, aspicere pulchra visu, legere, scribere etc., quae

¹⁾ In 2. dist. 4. a. 1. q. 3.

²⁾ *Summa* I. II. q. 18. a. 9.

quandoque deliberate quidem, sed sine advertentia ad ordinem morale[m] fiunt (n. 66).

a. Sunt theologi, qui dicunt etiam actus moraliter deliberatos *ex conscientia erronea posse esse indifferentes*, in iis nimirum, qui Scoti sententiae adhaerentes persuasum habent se ponere actiones in individuo indifferentes. Actionum enim moralitas in individuo a proximo dictamine conscientiae dependet; qui ergo ex mente Scoti indicat actionem, quam hic et nunc exercet, esse moraliter indifferentem, re ipsa actionem indifferentem ponit.

b. Haec tamen de ordine naturali et de naturali actionum bonitate valent; actiones enim indifferentes quandoque dicuntur etiam actiones supernaturales, quae non sunt meritoriae, et tamen non sunt peccata, actiones igitur, quae non sunt meritoriae nec demeritoriae. Facile autem conceditur esse actiones *supernaturales indifferentes*, cuiusmodi sunt opera tum peccatorum tum infidelium, quae ex gratia fiunt, praesertim vero opera, quibus ad iustificationem se disponunt. Num admittendae sint etiam in iustis, qui sunt in statu gratiae sanctificantis, pendet a condicionibus, quae ad actum meritorium requiruntur.

74. Non sunt actus moraliter indifferentes. Operans enim vel intendit finem honestum vel non intendit; si primum, actio est moraliter bona; si alterum: operans vel apprehendit actionem esse secundum normam rationis exactam vel eam apprehendit normis rationis adversantem; medium in eo non datur, qui ad moralitatem actionis advertit; si primum, actio est bona, si alterum actio est mala (n. 69).

1. Thomistarum complures in hunc modum ratiocinantur quaevis actio, quae deliberate exercetur, ab operante in determinatum aliquem finem ordinatur, quia homo deliberate agens semper ex aliquo fine agit; iam vero finis iste vel est finis honestus vel non: si primum, actio erit bona, si alterum, actio erit mala: quoties enim homo deliberate agit, secundum dignitatem naturae rationalis agere debet; atqui secundum dignitatem naturae rationalis agit, si propter finem honestum agit; ergo in concreto nulla est actio moraliter indifferens.

Hoc argumentum supponit actiones positive dirigendas esse ad finem honestum, ut bonae sint; si ergo stricte sumitur prout verba sonant, illae actiones, quae fiunt ex fine indifferenti, sive earum obiectum bonum est sive indifferens, sed tamen ordinatum iuxta modum a ratione praescriptum, dicendae essent moraliter malae.

2. *Scotistarum ratio*, qua sententiam contrariam affirmantem communiunt, est haec: ut homo agat convenienter naturae rationali, necesse non esse, ut semper et in omnibus tendat in finem positive honestum; si ergo actio in aliquam naturae commoditatem ordinatur vel ad sublevandam naturae indigentiam exercetur, non erit bona, quia non tendit in finem honestum, nec erit mala, quia hinc quidem non est naturae rationali disconveniens, inde vero necesse non est omnem actionem referri in finem honestum; erit ergo indifferens.

Etiam hoc argumentum eandem theoriam supponit, actiones nempe positive dirigendas esse in finem honestum, ut bonae sint; attamen affirmat illas actiones, quae fiunt ob finem indifferentem, sive obiectum earum est bonum sive indifferens, sed tamen iuxta praescriptum rationis ordinatum, esse moraliter indifferentes.

75. Notanda de hac quaestione. 1. Ex praemissis patet totam controversiam de actibus indifferentibus a duobus doctrinae capitibus pendere: *a.* num demonstrari possit obligatio semper et in omnibus actionibus deliberatis intendendi finem bonum: etenim si haec obligatio existit, actiones ob finem indifferentem positae propter neglectam hanc obligationem evadunt malae. *b.* Quodsi de hac obligatione non constat, ulterius quaeritur, utrum illae actiones, quae exercentur ob finem indifferentem, sed tamen iuxta praescriptum rationis, dicendae sint bonae an indifferentes.

2. Quidquid dicatur, certe ferendi non sunt theologi, qui hinc quidem negant actus in individuo indifferentes, inde vero ad moralem bonitatem actus absolute exigunt, ut positive intendatur finis honestus: rigor enim huius doctrinae nimium adversatur menti et praxi fidelium, quibus persuasum non est in omnibus omnino actionibus quaerendum esse finem positive honestum, ne sint malae. Quocirca nemo, sive rudis est sive doctus, sive laxae sive timoratae conscientiae, moralem defectum agnoscit in omissa hac bona intentione, ideoque nemo unquam de eo se accusat. Et sane intelligi nequit, cur e. g. mala sit actio, qua quis conatur abigere sensum frigoris solum ad levandam hanc molestiam absque altiore fine; ergo vel bona vel saltem indifferens erit; scotistae eam dicunt indifferentem, sed iuxta theoriam expositam dicenda est moraliter bona, si agens eam licitam iudicat et qua talem implicite intendit.

76. De omissionibus. Quaeritur, num omissiones operis boni peccata sint. — Omissio operis boni locum habere non potest sine prosecutione alicuius boni; iam vero

You can't get any good out of it if it is not good.

prout hoc bonum honestum est vel inhonestum, omissio peccaminosa vel non peccaminosa erit.

Quod ut melius declaretur, notandum est omissiones operis boni duplici modo accidere posse: vel enim loco operis perfectioris eligitur opus minus perfectum, vel opus bonum simpliciter omittitur.

a. Si loco actionis perfectioris eligitur alia minus perfecta, quae ipsa honesta est, omissio nedum peccatum, sed actus bonus est, licet minoris perfectionis quam actio omissa. Si e. g. iuvenis, cui se offert occasio audiendi sacrum (non praeceptum) et simul instituendi deambulationem, omisso opere perfectiore eligit deambulationem minus perfectam, omissione sacri nullatenus peccat.

b. Si opus bonum simpliciter omittitur seu actu nolitionis excluditur, quin eius loco aliud opus eligatur, a motivo, propter quod opus perfectius omittitur, dependet, utrum omissio peccatum sit necne. Etenim cum nemo possit nolle bonum, quatenus bonum est, qui omittit opus bonum, ideo illud omittit, quia in eo deprehendit aliquod malum, quod effugere intendit; malum autem fugimus ex amore boni oppositi: iam vero si amor boni oppositi est honestus, omissio erit actus moraliter bonus; si est inhonestus, omissio erit peccatum. Si e. g. iuvenis oblata occasione audiendi missam apprehendit nullum quidem adesse impedimentum accedendi ad ecclesiam, sed nullam quoque urgere obligationem, eamque omittit, ideo missam omittere decernit, quia in ea apprehendit malum e. g. incommodum, quod fugere intendit. Iam si motivum, propter quod evitare conatur incommodum, sit rationabile, omissio non est peccatum; sin autem motivum sit e. g. spiritualis acedia vel boni vilipensio, omissio est peccatum¹⁾.

§ 2. De moralitate actus externi.

a. Actus externi hic non dicuntur soli actus, qui organis externis perficiuntur, sed omnes actus aliarum potentiarum, qui a voluntate imperantur. Iam de his actibus duo quaeruntur: α . num eis conveniat moralitas propria a moralitate actus interni distincta et β . num augeant bonitatem vel malitiam actus interni, num e. g. furtum vel largitio eleemosynae aliquid addat ad moralitatem actus interni voluntatis, quo quis efficaciter vult furari vel dare eleemosynam (27).

b. Hanc quaestionem alia ratione solvunt *scotistae*, qui actibus externis propriam in se moralitatem tribuunt, alia vero *thomistae*, qui

¹⁾ Cf. *Pesch* III. n. 675. *Lehmkuhl* I. n. 40.

eisdem propriam moralitatem negant. Thomistis aliarum scholarum theologi communi fere consensu accedunt¹⁾.

77. Actus externi non habent propriam moralitatem. 1. Actus externi non habent bonitatem vel malitiam propriam a moralitate actus interni distinctam: etenim illi soli actus proprie vocantur morales, qui in se liberi sunt; libertas enim est fundamentum et condicio moralitatis; quia ergo actus externi in se non sunt liberi, non possunt esse in se morales. Sunt tamen et dicuntur moraliter boni vel mali a bonitate vel malitia actus interni, a quo imperantur: eatenus enim sunt morales, quatenus sunt liberi; liberi autem sunt, quatenus imperantur a libera voluntate; ergo morales sunt per denominationem desumptam ab actibus elicitis voluntatis.

Quia ergo actus externi suam bonitatem vel malitiam participant ab actu interno, utriusque actus una est bonitas vel malitia moralis; actus externus moralitatem actus interni, a quo imperatur, perficit et complet; quare actus internus et externus unum numero actum moraliter bonum vel malum in sua specie completum et consummatum constituunt.

2. Ex his iam consequitur actum externum *per se* seu ceteris paribus non superaddere interno specialem bonitatem vel malitiam: nam tota bonitas vel malitia actus externi habetur ab actu interno; ergo non potest actui interno quidquam addere. Hinc etiam actus externi omissio *per se* nihil detrahit de moralitate actus interni: si enim voluntas ad executionem perfecte disposita ideo solum non ponit actum externum, quia illum ponere non potest, omissio actus externi est involuntaria respectu voluntatis; atqui quod est involuntarium, non potest quidquam detrahere de moralitate.

a. Ideo seria et efficax voluntas aliquid faciendi, ubi factum ipsum ideo non perficitur, quia perfici non potest, in s. scriptura aequè laudatur ac si factum fuisset²⁾. Quare vehementer errant, qui minus peccatum se commisisse arbitrantur, quia illud opere non compleve-

¹⁾ Cf. *Suarez*, De bonitate et malitia actuum humanorum disp. 10.

²⁾ Gen. 22, 16.

runt, modo voluntatis efficax propositum habuerint peccatum data oportunitate complendi¹⁾.

b. Quodsi affirmatur per se Deo aequè placere bonam voluntatem et desiderium aliquid exequendi, ac si opere factum fuisset, id non valet α . de *desiderio inefficaci* e. g. exequendi quaecunque missionarii in toto orbe peragunt. Huiusmodi desiderii meritum a dispositione illius dependet, qui illud elicit. Nec valet β . de desiderio licet efficaci illarum actionum externarum, quibus ex institutione Dei peculiaris efficacia convenit, ut sunt sacramenta vel martyrium.

3. Attamen non negatur actum externum *per accidens* augere bonitatem vel malitiam (ideoque etiam meritum vel demeritum) actus interni, idque tripliciter, quatenus nimirum opus externum efficit, ut actus internus voluntatis fiat *intensior* et *diuturnior*, vel ut *saepius repetatur*, vel quatenus per actum externum accedit bonum vel malum exemplum, aedificatio vel scandalum proximi.

Actus externos in re morali summi esse momenti ex iis patet, quibus scotistae demonstrare conantur actibus externis per se moralitatem convenire distinctam ab actibus internis; scilicet: *a.* actus externi sunt obiectum praecepti, sic distinctis praeceptis in decalogo prohibentur mala desideria et actus mali; *b.* non solum in sacramentis, sed etiam in indulgentiis et in martyrio efficacia, quam hi actus habent ex opere operato, annexa est actibus externis; *c.* in confessione non solum actus interni, sed etiam externi declarari debent.

Quaestio tertia.

De actibus supernaturalibus²⁾.

78. Declarationes. 1. Actus humani, quibus ad finem supernaturalem vitae aeternae perveniamus, supernaturales

¹⁾ Matth. 5, 28.

²⁾ Cf. *S. Thomas*, De veritate q. 14. *Schmid*, Die Uebernatürlichkeit der menschlichen Heilswerke (Zeitschrift f. kath. Theol. 1888

esse debent, idque supernaturalitate interna ipsius actus, qua hic supra naturam elevatus in ipso esse suo et quoad substantiam supernaturalis sit: via enim termino et opus praemio proportionatum esse debet; finis autem vitae aeternae stricte supernaturalis et a fine ultimo naturali essentialiter diversus est; ideo etiam actus, quibus tendimus in illum finem, quoad essentiam supernaturales esse debent.

2. *Condiciones*, quae requiruntur, ut actus humanus vere sit supernaturalis, ab auctoribus variae assignantur. Omnes quidem exigunt *a.* ut actus sit moraliter bonus: actus enim ex se indifferens, si in individuo existit, non potest esse supernaturalis. Sane actus supernaturalis Deum habet auctorem principalem per gratiam excitantem et adiuvantem; Deus autem ad actus indifferentes gratia sua non excitat. Deinde exigunt *b.* ut actus a principio supernaturali, nempe a potentia per gratiam actualem elevata, procedat: nam ut actus sit supernaturalis, id saltem requiritur, ut non viribus naturae, sed viribus supernaturalibus gratiae eliciatur. Alii vero insuper *c.* exigunt, ut etiam eius obiectum formale seu motivum sit supernaturale.

Quid sibi velit haec condicio, diversimode explicant; plerique tamen volunt, ut obiectum formale per fidem apprehendatur, i. e. ut agens ad agendum moveatur aliqua veritate revelata, quam non mere rationis lumine sed fide (intellectu lumine fidei instructo) cognoscit. Qui e. g. pauperi dat eleemosynam, quia pauperi succurrere honestum est, ex naturali motivo agit; qui vero eleemosynam largitur, quia pauper a Christo redemptus, quia frater Christi est, quia Christus id praecepit, quia id confert ad vitam aeternam, ex motivo supernaturali per fidem apprehenso agit, modo habitu fidei instructus sit.

79. Duplex sententia. 1. Magni nominis theologi ad actum supernaturalem praeter supernaturale principium

S. 263. 419). *Müllendorff*, Die Verdienstlichkeit u. das übernatürliche Motiv (Zeitschrift f. kath. Theol. 1893 S. 42. 496). *Schiffni*, De gratia divina (Friburgi. Herder. 1901) n. 371 ss.

etiam obiectum seu motivum supernaturale exigunt: *Suarez*¹⁾, *Lacroix*²⁾, *S. Alphonsus*³⁾, *Mazzella*⁴⁾, *Lehmkuhl*⁵⁾.

Duo genera argumentorum hi auctores proferunt:

a. *Ex natura rei*: actus specificantur ab obiecto (formali); actus autem naturalis a supernaturali specie differt; ergo specie seu essentialiter diversum esse debet utriusque actus obiectum (formale): essentialis autem utriusque obiecti (formalis) diversitas in eo est, quod alterum per rationem, alterum vero per fidem apprehendatur.

b. *Ex fontibus revelationis*. Patronorum huius sententiae aliqui concedunt, ex natura rei non haberi efficax argumentum, quo demonstretur actum naturalem et supernaturalem non posse versari circa idem obiectum; affirmant autem ex positiva voluntate Dei omnes actus supernaturales ex fide procedere seu motivum supernaturale habere debere; siquidem tum s. scriptura tum traditio doceant fidem esse radicem, ex qua vita supernaturalis progerminet; ergo sine influxu fidei per motivum ex fide cognitum non posse exerceri actus supernaturalis. Et sane:

a. Haec testimonia: *Sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum*⁶⁾; *Iustus ex fide vivit*⁷⁾, non solum de prima iustificatione, ad quam per actum fidei homo se disponere debeat, sed de omnibus omnino actibus supernaturalibus intelligenda esse, qui supernaturales esse nequeant, nisi fides per eorum motivum supernaturale in eos influat.

β) Concilium tridentinum declarare volens doctrinam s. *Pauli* his testimoniis expressam addere: „per fidem ideo iustificari dicimur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis“⁸⁾ ex quo habeamus, non solum primam iustificationem, sed etiam augmentum gratiae sanctificantis per actus supernaturales et meritorios ex radice fidei procedere debere; atqui (aiunt) ex radice fidei eo solum procedunt, quod fides per obiectum supernaturale in eos influit atque ad eorum productionem concurrat.

2. Nihilominus affirmari potest: ut actus humanus sit supernaturalis, alia condicio non requiritur, nisi *ut sit ethice bonus et ex gratia seu ex principio supernaturali pro-*

¹⁾ De gratia l. 2. c. 4. 5.; l. 12. c. 7. 33. n. 10.

²⁾ Theologia moralis l. 2. n. 21 ss.

³⁾ Theologia moralis l. 6. n. 439.

⁴⁾ De gratia Christi n. 54 ss.

⁵⁾ Theologia mor. I. n. 258. Passauer Monatsschrift (1895 S. 14 ff.).

⁶⁾ Hebr. 11, 6.

⁷⁾ Hebr. 10, 38. Rom. 1, 17. Gal. 3, 11.

⁸⁾ Sess. 6. c. 8.

cedat; necesse autem non est, ut obiectum actus supernaturalis sit supernaturale. Quocirca supernaturalitas actus non ab obiecto, sed a principio eliciente dependet, adeo ut supernaturalis sit, etsi versetur circa obiectum naturale, modo viribus gratiae eliciatur.

a. Hisce non negatur actum, qui ex fide procedit, ideoque ex motivo supernaturali fidei elicitur, maioris esse dignitatis et pretii. Etsi ergo *bona intentio* supernaturalis, quae dicitur, ex hoc capite non probetur necessaria, tamen fideles monendi atque hortandi sunt, ut actiones suas ex motivis supernaturalibus fidei exercere assuescant: eorum namque opera hac ratione maioris meriti erunt; ad ipsam autem supernaturalitatem actus id necessario non requiritur.

b. Ceterum, quod *Cardenas* de eleemosyna in specie docet, vix non ad omnes actiones moraliter bonas hominis christiani extendi potest: „Qui in schola fidei didicit eleemosynam esse operationem sanctam et placentem Deo, quia Deus sic revelavit, licet oblata occasione eleemosynae sit actualiter immemor revelationis divinae, operatur tamen ductus doctrina, quam didicit in schola fidei divinae, et ita ea operatio procedit virtualiter ex actu fidei, quia operatur ex dictamine, quod comparavit in schola fidei“¹⁾.

80. Argumenta huius sententiae. 1. Actus, qui a principio per gratiam supernaturali procedunt, sine dubio sunt supernaturales: si enim radix et principium supernaturalis est, etiam fructus vel effectus supernaturalis esse debet. Et sane gratia actualis efficit, ut actus humani sint supernaturales: ideo enim gratia conceditur, ut actus per gratiam fiant supernaturales, id ideo ad omne opus salutare tum iusti tum peccatoris, tum fidelis tum infidelis necessaria est gratia, quia ipsa efficere debet, ut opus sit supernaturale.

a. Si ergo ad actus supernaturales obiectum seu motivum supernaturale requireretur, hoc ideo esset, quia in hoc ordine providentiae Deus auxilium gratiae (praesertim ad actus indifferentes) solum sub hac condicione concederet, quod homo ex motivo supernaturali agat; atqui nullo argumento demonstrari potest Deum in hoc ordine supernaturalem concursum gratiae dependentem fecisse a motivo supernaturali agentis; econtra demonstrari posse videtur, *fidem* esse condicionem, a qua supernaturale

¹⁾ *Cardenas*, Crisis theol. pr. 4. disert. 16. c. 6. n. 54. .

auxilium gratiae in hoc ordine dependet, adeo ut Deus tum iis, qui fidem iam susceperunt, tum iis, qui ad fidem suscipiendam proxime se disponunt, gratiam supernaturalem concedat, qua eorum opera ad dignitatem actus vere supernaturalis eleventur: Deus enim hominem destinavit ad finem supernaturalem; eo ipso ei etiam obligationem imposuit actibus suis tendendi in finem sibi praestitutum; cum vero sine auxilio gratiae non possit in finem suum tendere, Deus per gratiam succurrere debet, ut homo obligationi suae satisfacere possit. Ergo quoties homo actibus suis in finem sibi praestitutum tendit, Deus ei gratiam supernaturalem concedit: atqui homo in finem suum tendit, ubi primum fidem amplectitur aut ad illam habendam se disponit: per fidem enim finem suum apprehendit atque ad eum se ordinat. Ut ex multis unum saltem scripturae testimonium afferatur, Christus Dominus ait: *Qui verbum meum audit et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam*¹⁾, i. e. habet, unde possit opera vitae aeternae peragere, quia habet condicionem, qua posita suppeditantur a Deo gratiae supernaturales. Ex traditione autem constat in ecclesia vigere persuasionem, quam *s. Augustinus* his verbis exprimit: „bene(quemquam) operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere vel interna vel externa admonitione motus ad fidem“²⁾.

b. Ex praecedenti argumento sequitur omnibus *fidelibus*, sive iusti sunt sive peccatores, semper praesto esse gratiam actualem, qua eorum actiones moraliter bonae fiant supernaturales, sed maiore cum certitudine affirmari potest omnia opera moraliter bona *iustorum* semper exerceri cum gratiae divinae auxilio proindeque esse supernaturalia. Nam concilium tridentinum haec habet: „Cum enim ille ipse Christus Iesus tamquam caput in membra et tamquam vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, *quae virtus bona eorum opera semper et antecedit et comitatur et subsequitur*“³⁾.

2. Si ad actus supernaturales influxus fidei per motivum supernaturale requireretur, non esset actus supernaturalis sine influxu fidei; atqui sunt actus supernaturales sine influxu fidei. Certum est in infidelibus ante fidem et independentem ab influxu fidei reperiri actus, qui ex gratia procedunt: etenim proscripta est propositio affir-

¹⁾ Ioan. 5, 24.

²⁾ Ad Simplic. l. 1. q. 2. n. 2. Cf. Zeitschrift f. k. Th. XVIII (1894). S. 593. XX. (1896.) S. 22. ff.

³⁾ Concil. trid. sess. 6. c. 16.

mans fidem esse primam gratiam¹⁾; siquidem ante fidem conceduntur gratiae vere supernaturales, quibus infidelis ad veram fidem amplectendam se disponat; atqui actus, qui viribus gratiae eliciuntur, sunt supernaturales; ergo sunt actus supernaturales, qui non hoc sensu fundantur in fide, quod fides in eos influat.

§1. Ad argumenta adversae sententiae. *a.* Actus sine dubio specificantur ab obiecto: obiectum enim specie diversum efficit, ut etiam actus sint essentialiter diversi; attamen obiectum non est unica ratio, a qua petendum est essenziale discrimen inter actus existens, quippe quod etiam a potentia essentialiter diversa derivari possit, etsi actuum idem sit obiectum. Iam vero discrimen inter actum naturalem et supernaturalem praecipue desumi debet ex parte principii essentialiter diversi.

b. Non potest affirmari omnes actus supernaturales ita fundari in fide, ut ex fide tamquam ex radice progerminent: constat enim esse actus vere supernaturales in infidelibus, qui ipsam fidem eiusque influxum praevertant.

c. Verba apostoli *Hebr. 11, 6.* proxime de prima iustificatione intelligenda sunt, adeo ut sensus sit: beneplacitum, quo Deus prosequitur iustos, sine fide obtineri non potest; et pari modo, qui ad Deum accedit per ipsam iustificationem, fidem habeat oportet; proxime erga illa verba absolutam necessitatem fidei ad iustificationem significant. Si deinde verba apostoli latius sumantur, adeo ut ad quodvis beneplacitum, quo Deus prosequitur etiam opera supernaturalia, et quemvis accessum, quo etiam per opera supernaturalia ad Deum accedimus, necessaria dicatur fides, id hoc sensu verum est, quod non quidem motivum fidei, sed existentia fidei in operante sit condicio, sine qua gratia ad actus supernaturales necessaria non concedatur.

d. Verba *Iustus ex fide vivit*, significant *a.* iustus per fidem et propter fidem habet, ut vitam supernaturalem agere possit, quia fides est fundamentum et condicio, qua posita accipit a Deo gratias supernaturales. *β.* Iustus saltem ut plurimum ex fide desumit motiva volendi et agendi; ex eadem fide desumit motiva bene ac pie vivendi et exacte observandi praecepta religionis christianae et hac ratione *vivit* i. e. vitam supernaturalem conservat et perficit.

e. Fides dicitur *fundamentum et radix omnis iustificationis* non propter motivum fidei, ex quo fieri debeant opera supernaturaliter bona,

¹⁾ Cf. prop. 27. Quesnelli et 5. ab Alexandro VIII. damnata.

sed α . quia vita supernaturalis cum fide incipit et a fide dependet utpote a condicione gratiarum actualium; β . quia fides movet ad opera bona exercenda et hac ratione ad iustificationem conservandam atque augendam concurrat.

Quaestio quarta.

De actibus meritoriis.

Articulus primus.

De natura meriti.

82. Definitio. *Meritum abstracte* consideratum est illa actionis humanae proprietas, vi cuius praemio vel poena digna est: actio enim bona in obsequium alterius facta digna est praemio, actio vero mala, quae in detrimentum alterius cedit, digna est poena. *Meritum concrete* consideratum est opus praemio vel poena dignum. Rationem ergo meriti aliquod opus eo habet, quod cedit in bonum vel detrimentum alterius. *Meritum theologicum* est opus, quod coram Deo praemio vel poena dignum est; pressius autem meritum theologicum illud dicitur, quod ex revelatione novimus et ad finem supernaturalem vitae aeternae refertur, de quo valent verba: *reddet enim Deus unicuique secundum opera eius*¹).

Bonitas vel malitia moralis actus humani, prout in obsequium vel offensam Dei cedit, est *causa* meriti; praemium vel poena est meriti *effectus*. Usu theologico meritum actus boni communiter nomine *meriti* intelligitur, cum meritum actus mali potius *demeritum* vocari soleat.

83. Divisio. *a*. Meritum dividitur in *naturale* et *supernaturale*, prout ordinatur ad praemium naturale, quod in

¹) Rom. 2, 6. Matth. 16, 27.

bonis ordinis naturalis consistit, aut ad praemium supernaturaliale, quod vel unice vel potissimum in bonis supernaturalibus consistit. Praemium *naturale* convenit operibus, quae solis naturae viribus perficiuntur: cum enim omnes actiones moraliter bonae cedant in gloriam Dei, dignae sunt retributione; sed in hoc ordine naturae per gratiam elevatae non consideratur aliud meritum et praemium nisi *supernaturale*, quod convenit operibus, quae ex gratia fiunt.

b. In meritum *de condigno*, cui ex iustitia merces debetur, quia eius valor est aequalis praemio, et meritum *de congruo*, cui solum ex quadam decentia merces debetur, quia eius valor non est aequalis praemio; illud etiam *perfectum* hoc *imperfectum* dicitur; illud est meritum iustorum, hoc etiam peccatoribus convenit.

Duplex discrimen intercedit inter meritum de condigno et meritum de congruo; *α. quoad valorem operis*: opus, cui convenit meritum de condigno, est aequale praemio, non quidem aequalitate mathematica, sed morali seu, ut habet s. Thomas, aequalitate virtutis: „sicut semen arboris, in quo est virtus ad totam arborem“¹⁾. In merito de congruo praemium superat valorem operis. *β. Quoad ius ad praemium*: in merito *de condigno* ex parte merentis habetur *ius ad praemium* et debitum iustitiae ex parte praemiantis; in merito de congruo merces tantum ex quadam aequitate tribuitur, et si praemium propter promissionem ex parte praemiantis debitum est, solum ex fidelitate debetur.

c. Quod *infallibilitatem* meriti attinet, ea pendet a promissione divina. Iam vero omne meritum de condigno propter adiunctam promissionem divinam infallibile est, meritum vero *de congruo* aliud *infallibile*, aliud *fallibile* est, prout ei adiuncta est vel non est promissio divina. Sic peccator per ultimam dispositionem ad gratiam sanctificantem hanc de congruo infallibili meretur, non autem per dispositionem remotam.

d. Ratione boni, quod in patria rependitur, in praemium *essentiale* seu substantiale, quod continet *α. vitam aeternam* seu visionem beatificam universim; *β. augmentum gloriae* seu maiores gradus visionis beatificae; et praemium *accidentale*, quod continet omnia bona, quae praeter

¹⁾ Cf. *Summa* I. II. q. 114. a. 3. ad 3.

visionem beatificam in patria coelesti beatis obveniunt, quaeque secundaria dicuntur: tres aureolae (martyrum, doctorum et virginum); familiare consortium angelorum, beatorum et ipsius coeli reginae, visio humanitatis Christi, gaudium de proprio corpore, locus singularis sanctis in coelo assignatus.

Articulus secundus.

De condicionibus meriti.

§4. Quae sint condiciones meriti. Illae tantum condiciones speciales hic accuratius proponendae sunt, quae ex parte merentis ad meritum requiruntur.

a. Condiciones *generales* meriti, quae ad omne meritum tum de condigno tum de congruo requiruntur, quatuor sunt, quarum duae ad personam merentem, duae vero ad opus meritorium referuntur: *α.* status viae, qui ex libera dispositione Dei in ipsa morte terminum habet; *β.* libertas a coactione et necessitate; *γ.* operis bonitas moralis; *δ.* operis supernaturalitas¹⁾.

b. Condicio *specialis meriti de condigno* est *status gratiae* ex parte personae merentis: verum namque meritum non pendet a solo opere supernaturali, sed etiam a statu et dignitate personae merentis; ideo actiones supernaturales, nisi accedat gratia sanctificans, non habent meritum verum atque perfectum; siquidem gratia sanctificans operibus tribuit illum valorem, quo proportionata et aequalia constituuntur praemio.

a. Concilium trid. meritum verum et proprie dictum seu de condigno solum operibus iustorum tribuit²⁾; *b.* s. scriptura declarat hominem non posse fructum bonorum operum ferre, nisi per gratiam sancti-

¹⁾ Harum condicionum necessitatem ostendunt dogmatici, ex quibus conferri possunt: *Schiffini*, De gratia divina (Friburgi. Herder. 1901) n. 344 ss. *Chr. Pesch*, Praelectiones dogmaticae²⁾ (Friburgi. Herder. 1900) V. n. 397 ss. *Hurter*, Compendium theol. dogm.¹¹ (Oeniponte. Wagner. 1903) III. n. 225 ss.

²⁾ Sess. 6. c. 16. can. 32.

ficantem manserit in Christo¹⁾. Insuper solum filios vocat heredes, i. e. hereditatem non meretur, nisi qui filius sit per gratiam sanctificantem²⁾. c. Et sane si meriti capax esset, qui non est in statu gratiae, aliquis simul vitae et mortis aeternae dignus esse posset. Insuper praemium est bonum proprium filiorum Dei, cum sit hereditas filiorum Dei per adoptionem; sed solum per gratiam homo elevatur ad statum filiorum Dei; opera ergo extra statum gratiae facta nullam proportionem habent ad praemium.

85. Complures theologi insuper exigunt, ut opus sit *ex caritate factum*: nam sine caritate nec fides nec aliud opus bonum quaecumque ullum valorem coram Deo habet³⁾. Quomodo autem opus ex caritate procedere debeat, ut meritorium esse possit, non omnes eadem ratione exponunt⁴⁾.

a. Alii ita explicant, ut soli actus eliciti caritatis et actus a caritate imperati, qui nempe ex motivo caritatis *actualiter* vel saltem *virtualiter* in Deum ordinentur, meritorii sint. Hi ergo ad meritum intensionem saltem virtualem exigunt, qua opera omnia ex caritate in Deum ordinentur. Argumento ex natura rei desumpto hanc suam sententiam in hunc modum confirmant: ad meritum de condigno, quod est nobilissimum meritum, actus supremae et perfectissimae virtutis, quae est caritas, requiritur. Ad confirmandam suam sententiam ad auctoritatem *s. Thomae* provocant⁵⁾, quem in hunc sensum intelligit et sequitur *s. Alphonsus*.

b. Alii ita explicant, ut actus caritatis et opera, quae per actum caritatis *habitualiter* in Deum ordinentur, meritorii sint. Hi ergo ad meritum intensionem habitualement exigunt, qua opera omnia ex caritate in Deum ordinentur. Ut huic conditioni satisfiat, requiritur, ut actus caritatis praecedat, nunquam per subsequens peccatum grave retractatus fuerit et ut toties renovetur, quoties urget praeceptum caritatis; hac ratione omnia opera ex intensione caritatis habitualiter in Deum relata censentur. Patroni huius sententiae ad *s. Thomam* provocant, quem in hunc sensum intelligendum esse putant⁶⁾.

c. Alii tandem ita explicant, ut actus caritatis et omnia opera, quae procedunt ex caritate habituali seu ex habitu caritatis, qui cum

¹⁾ Ioan. 15, 4.

²⁾ Rom. 8, 16 ss.

³⁾ 1. Cor. 13, 1—3.

⁴⁾ Cf. *Schiffini* l. c. n. 364 ss.

⁵⁾ *Summa* I. II. q. 100. a. 10 ad 2. De virt. q. 2. a. 11. ad 3.; 2. dist. 40. q. 1. a. 5. et ad 6.

⁶⁾ De malo q. 2. a. 5. ad 10.; 2. dist. 40. q. 1. a. 5. ad 6.

gratia sanctificante semper coniunctus est, meritorii sint. Hi ergo ad meritum nullam peculiarem intentionem seu actum praevertentem caritatis requirunt, quo opera ex caritate in Deum ordinentur, sed docent ad meritum sufficere statum gratiae, qui caritatem indissolubili nexu complectitur, et illam ordinationem obiectivam seu naturalem ad Deum, quam opera iusti ex se et natura sua habent, modo sint in se bona et per influxum gratiae supernaturalis posita.

86. Sententia praeferenda. *a.* Rationes, quae hanc tertiam sententiam aliis omnino praeferendam ostendunt, conferri possunt apud dogmaticos. Illarum praecipuae sunt: *α.* In sacra scriptura non solum actibus, qui aliquo modo a caritate actuali procedunt, sed actibus aliarum quoque virtutum iisque simpliciter nominatis promittitur et tribuitur ipsa beatitudo aeterna¹⁾. *β.* Concilium tridentinum recensens omnes condiciones ad meritum de condigno requisitas, nulla mentione facta actus caritatis vel alterius bonae intentionis, omnia opera bona iusti, quae per gratiam fiunt, meritoria esse declarat²⁾. Neque per verba: *quae in Deo sunt facta* aliud significat quam opera, quae in gratia et per gratiam fiunt. Haec verba ita intelligenda esse, patet ex verbis in canone (32) positis: *quae per Dei gratiam fiunt*: haec enim illis aequivalent. Ex mente concilii tridentini ergo praeter statum gratiae et influxum gratiae actualis ad meritum aliud non requiritur. *γ.* Et sane omnes actus boni et supernaturales, qui ab homine iusto exercentur, natura sua ordinata sunt in Deum finem supernaturalem, cedunt in gloriam Dei et hoc ipso sunt media ultimo fini proportionata; ergo omnia habent, quae ad meritum de condigno requiri possunt. Nam per habitum caritatis, qui gratiam sanctificantem necessario consequitur, homo ordinatur in Deum finem supernaturalem, et cum per eandem gratiam et caritatem constituatur filius et amicus Dei, omnia eius opera implicite et habitualiter referuntur ad Deum eique consecrantur; ideo ad meritum non requiritur, ut etiam ex parte operantis ad Deum summum bonum ordinetur.

b. Aliarum sententiarum *prima* gratuitam exaggerationem profert et in suo argumento confirmatorio petitionem principii continet: id

¹⁾ Cf. Matth. 19, 16 ss. 25, 34 ss. 1. Tim. 6, 17 ss.

²⁾ Sess. 6. c. 16. haec leguntur: Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo minus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta . . . vitam aeternam suo tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam vere promeruisse censeantur. Et can. 32. haec habentur: Si quis dixerit . . . iustificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae . . . consecutionem atque etiam gloriae augmentum, a. s.

ipsum enim quaeritur, utrum summum meritum de condigno solum nobilissimae virtuti caritatis, an etiam aliis conveniat. *Secunda* sententia, praeterquam quod ad meritum condicionem postulat, quam concilium tridentinum non exigit, alia non levi difficultate premitur. Fingamus puerum in infantia baptizatum, qui, postquam ad usum rationis pervenit, ad obligationem eliciendi actum caritatis non advertit, ideoque per notabile tempus in statu gratiae bona opera facit, quin actum caritatis elicuerit; vel adultum, qui per attritionem et sacramentum poenitentiae iustificatus in gratia vivit, quin actum caritatis, nondum urgente praecepto, eliciat; vel tandem hominem iustum, qui per notabile tempus ex inadvertentia actum caritatis, quando iam urget praeceptum, renovare praetermittit: hos omnes toto hoc tempore nihil mereri posse post concilium tridentinum vix erit, qui contendat.

Nota. Si haec sententia non esset *certa*, ab homine iusto crebro eliciendae essent intentiones supernaturales praesertim ex motivo caritatis: ubi enim agitur de condicionibus ad meritum requisitis, nihil iuvat opinionis probabilitas, sed sola veritas. Verum etiam si de veritate harum sententiarum non sit dubitandum, fideles aptis motivis inducandi sunt ad operandum ex intentionibus perfectissimis praesertim caritatis frequenter renovatis: quo perfectior enim est intentio agentis, eo maius est meritum actionis.

Libertertius.

De legibus¹⁾.

87. Lex vocari solet actionum moralium *regula remota et externa* et conscientia earundem *regula proxima et interna*. Siquidem moraliter bonae sunt actiones, quibus assequimur finem ultimum; quae vero sint actiones, quibus assequamur finem ultimum, determinat voluntas divina, quae per legem divinam nobis innotescit; *lex ergo divina* dirigit actiones nostras in finem ultimum. Sed *lex divina* actiones nostras dirigere non potest, nisi per *conscientiam* nobis innotescat atque ad singulas actiones per eam applicetur. Legi ergo divinae et conscientiae conformari debent actiones humanae, ut sint moraliter bonae.



Quaestio prima.

De natura legis.

88. **Definitio.** *Lex a s. Thoma* definitur: ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communi-

¹⁾ *S. Thomas* I. II. q. 90—108. *S. Alphonsus* l. 1. n. 99—208. *Suarez*, De legibus, opus classicum decem libris constans. *Laymann*, Theologia moralis l. 1. tr. 4. *Reuter*, Theologia moralis pr. 1. n.

tatis habet, promulgata¹⁾. Quaecunque sit vera nominis etymologia, lex manifesto notionem *obligationis* seu ligaminis continet, quod in subiectum legis inducitur, immo obligatio est legis elementum formale.

a. Lex dicitur *ordinatio*, quia in norma seu dispositione eaque obligante consistit, qua actiones diriguntur in finem; quare lex a *consilio* distinguitur, quod nullam inducit obligationem nec necessario procedere debet a superiore, qui auctoritate pollet.

b. *Rationis*; hac voce significatur ratio *practica*, quae intellectum et voluntatem complectitur: licet enim lex essentialiter in actu voluntatis consistat, quatenus nempe obligationem inducit, ad eam tamen condendam etiam intellectus concurrere debet, cuius est considerare, num lex ferenda ad finem conducat.

c. *Ad bonum commune*: finis enim legis est bonum totius communitatis, quod lex directe et immediate respicit, et per bonum commune mediate ad bonum singulorum dirigitur. Hoc bonum tum spirituale tum temporale est, totum scilicet communitatis bonum.

d. *Ab eo, qui curam communitatis habet*: nam legem ferre est actus *superioritatis* et iurisdictionis: quare ille solum, qui communitatis regendae potestatem habet, universae communitati normam, qua dirigatur, imponere potest.

e. *Promulgata*, i. e. ita publicata seu intimata, ut a subditis cognosci possit. Disputant, utrum promulgatio verius de essentia legis esse dicatur an potius eius condicio necessaria, sine qua efficaciam externam habere non possit. Ceterum haec disputatio magis speculativa quam practica est: utraque enim sententia concedit legem, quae non sit promulgata, non obligare.

89. Discrimen inter legem et praeceptum. Duplex distinguitur praeceptum, commune et particulare; porro inter legem et praeceptum commune, quod a veteribus *statutum* dicitur, haec sola est distinctio, quod lex sit *ordinatio stabilis*, praeceptum commune vero *transitoria*: praeceptum enim commune est a principe pro tota communitate ad bonum commune, sed ad tempus. Lex autem et praeceptum particulare in pluribus ab invicem differunt.

118—262. *Sporer-Kazenberger* Supplementum c. 1. *Wernz*, Ius decretalium (Romae. Typographia C. de Prop. fide. 1898) I. n. 80—173. *Wirthmüller*, Ueber das Sittengesetz (Würzburg. Woerl. 1878).

¹⁾ Cf. *Summa* I. II. q. 90. a. 4.

aliquos defectus in legibus (supra)

1. Differunt *ratione auctoris*: nam ad legem condendam requiritur auctoritas publica et potestas iurisdictionis, ad praeceptum sufficit auctoritas privata et potestas dominativa: patris, mariti, domini.

2. *Ratione subiecti*: nam lex est ordinatio *communis*, quae datur communitati, scilicet aut omnibus eius membris aut iis, qui in aliqua communitate eiusdem condicionis sunt, sive multi sive pauci sunt numero, ut clerici, mercatores etc. praeceptum vero personae privatae aut familiae datur.

3. *Ratione finis*: lex enim fertur immediate in bonum commune, praeceptum vero immediate in bonum privati.

4. *Ratione loci*: quia lex directe afficit territorium, praeceptum vero directe afficit personam; quare praeceptum obligat etiam extra territorium praecipientis, lex vero non obligat subditos, qui extra territorium legislatoris versantur.

5. *Ratione durationis*: lex enim est ordinatio *stabilis*, quae non ad determinatum tempus fertur sed aut semper aut saltem tamdiu durat, donec revocetur, praeceptum vero per se ad tempus fertur.

a. Ideo lex non extinguitur simul cum legislatore sed ultra eius mortem durat, praeceptum vero per se cessat morte praecipientis. *Per se*, quia fieri potest, ut legislator praecepto superioris tribuat specialem stabilitatem, ut in ordinibus religiosis quandoque contingit.

b. Nihilominus *legis, praecepti, statuti* nomina in iure indiscriminatim adhiberi solent. Hinc ad discernendum, utrum aliqua ordinatio sit lex an praeceptum, non tam ad nomen quam potius ad eius condiciones attendendum est.

90. Praecipuae legis divisiones: 1. *Lex* imprimis *ratione auctoris* dividitur in *legem divinam* et *humanam*, prout immediate a Deo vel a legislatore humano procedit.

a. *Lex divina* dividitur in *naturalem* et *positivam*; illa a Deo necessario fertur et promulgatur lumine rationis; haec a Deo libere fertur et diversis modis, externe tamen, promulgatur.

a law must come from God; a precept may be from any man

Lex divina *positiva* dividitur in *mosaicam*, quam Deus per Moysen populo israelitico dedit, et *evangelicam*, quam tulit Christus, novi testamenti auctor.

b. Lex *humana* altera est *ecclesiastica*, altera *civilis*, prout a legislatore ecclesiastico vel a legislatore saeculari fertur.

2. Pro diversa *materia* legis distinguitur lex praeci-
piens seu *affirmativa*, si refertur ad actum bonum eum-
que ponendum; lex prohibens seu *negativa*, si refertur ad
actum malum eumque omittendum; lex *permittens*, si re-
fertur ad actum, qui nec praeceptus nec prohibitus est; et
lex *poenalis*, si sancit poenam.

a. Quamvis legis affirmativae et negativae sit eadem vis obligandi, diversam tamen efficaciam habent secundum celebre axioma: *lex affirmativa obligat semper sed non pro semper; lex negativa vero semper et pro semper*: actus enim malus, quem prohibet lex negativa, quovis tempore omittendus est, actus autem bonus, quem praecipit lex affirmativa, semper quidem praeceptus est, at non quovis momento, sed solum tempore statuto exerceri debet.

b. Patet legem *permittentem* proprie non esse legem, quia nullam inducit obligationem, quae ad rationem legis proprie dictae requiritur. Quodsi dicatur eam eatenus obligare, quatenus prohibet, ne quis impediatur exercere volentem actum a lege permissum, notandum est hoc sensu eam pertinere ad legem negativam et prohibentem.

3. Ratione *obligationis* dividitur: a. in legem *moralem* seu *praeceptivam*, quae solum ad sui ^{observacionem} *observationem*, *pure poenalem*, quae solum ad ^{subeundam} *poenam subeundam*, et *mixtam*, quae ad utrumque obligat; b. in *personalem*, quae personam extra territorium vagantem sequitur; in *localem*, quae personam extra territorium non sequitur.

Patet omnes leges superioris particularis locales esse, quia ipse extra territorium potestatem exercere nequit, eius proinde leges subditum extra territorium sequi non possunt. Econtra omnes leges superioris universalis personales sunt, nisi ex eius voluntate in aliquibus tantum locis promulgatae sint, cuiusmodi est lex de clandestinitate matrimonii: lex enim non obligat, ubi non est promulgata.

4. Lex negativa ratione effectus vel est *simpliciter prohibens*, quae actum reddit malum et illicitum, vel prohibens et simul *irritans*, quae actum non solum illicitum, sed etiam invalidum reddit.

Quaestio secunda.

De lege divina.

Articulus primus.

De lege naturali.

91. Definitio. *Lex naturalis* est lex a Deo necessario lata et lumine rationis omnibus promulgata.*

a. Actionum, quae naturae rationali conveniunt, aliae sunt eiusmodi, ut ad finem sint absolute necessariae, aliae non sunt necessariae; illas Deus praecipit, has permittit et approbat. Actiones, quae naturae rationali disconveniunt, Deus prohibet. *Materiam* ergo legis naturalis constituunt ea omnia, quae natura sua honesta et ad finem necessaria, et quae natura sua mala sunt. Et quoniam ea, quae natura sua mala sunt, ordinem naturae perturbant, ea vero, quae natura sua honesta sunt, ad ordinem naturae servandum conducunt, lex naturae cum s. Augustino recte definiri potest: *ratio et voluntas Dei ordinem naturalem conservari iubens, perturbari retans*¹⁾ (n. 55).

b. Supposito decreto condendi creaturam rationalem Deus non potest non velle ea, quae bona et ad finem seu ad servandum ordinem necessaria sunt, et non potest non nolle ea, quae mala sunt, ergo supposita existentia creaturae rationalis Deus *necessario* praecipit et prohibet ea, quae legis naturalis sunt.

* c. Rationis lumine cognoscimus alias actiones esse bonas, alias esse malas, earumque complures ad servandum ordinem atque ideo ad finem esse necessarias. Eodem rationis lumine cognoscimus Deum serio velle, ut malas actiones vitemus, bonas vero easque necessarias exercemus. Ergo lumine rationis nobis manifestata et promulgata est lex naturalis. *Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*²⁾.

Suppositis iis, quae de lege naturali in philosophia traduntur, triplicem tantum quaestionem hoc loco considerabimus: de *materia*, de *cognitione* et de *mutabilitate* legis naturalis.

92. De praeceptis legis naturalis. 1. Praecepta legis naturalis, considerato *nexu eorum logico*, triplicis generis sunt:

¹⁾ S. Augustinus contra Faustum l. 22. c. 27.

²⁾ Rom. 2, 14. 15.

a. Ad primum pertinent quaedam universalissima morum principia ut: bonum est faciendum, malum fugiendum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; summum bonum est amandum; benefactores sunt honorandi etc., quae principia ab aliis non derivantur, ab ipsis vero omnia et singula legis praecepta discursu rationis deducuntur.

b. Ad secundum pertinent illa praecepta, quae ex universalibus principiis immediate et obvio ac facili discursu deducuntur, cuiusmodi sunt: honora patrem et matrem; non furtum facies et cetera, quae in decalogo continentur (excepta determinatione sabbati).

c. Ad tertium pertinent illa praecepta, quae solum mediate et remote, praemisso diligenti studio et subtiliore discursu ex primis principiis vel ex praeceptis decalogi inferuntur, ut: iniuria alicui illata non est propria auctoritate vindicanda, res inventae restitui debent.

Etiam praecepta tertii generis necessario praecepta vel prohibita sunt, cum tamen saepius ambigua et incerta sint, *fundamentum praebent legibus positivis*, quibus ea accuratius determinantur et firmiter constituuntur.

2. Considerata *vi et efficacia* praecepta naturae duplicis generis sunt, alia dicuntur *primaria* seu *praeceptiva*, quae natura absolute exigit, quia sine illis ordo moralis redditur impossibilis, alia *secundaria* seu *suadentia*, in quae natura valde quidem inclinatur, quia sine illis ordo moralis est minus perfectus, quae tamen absolute non exigit.

Sic unitatem matrimonii, quatenus excludit polyandriam, natura absolute exigit, matrimonii autem unitatem, quatenus excludit polygyniam, suadet sed stricte non exigit; hinc polyandria iure naturae absolute prohibita, polygynia vero eidem iuri minus conformis, at stricte prohibita non est. Idem dicendum de dissolutione matrimonii.

3. Considerato *modo obligandi* praecepta legis naturae alia sunt *absoluta* seu ab omni condicione independentia ut: Deus colendus est, alia sunt *condicionata*, quae aliquod factum supponunt, a quo dependent, ut: votum, iuramentum servandum est. Inde oritur divisio iuris naturae in absolutum et condicionatum.

93. Num praecepta legis naturalis invincibiliter ignorari possint. In genere dicendum est praecepta legis naturalis etiam ab homine, qui pleno usu rationis gaudet, invincibiliter ignorari posse; at quia praecepta legis naturalis triplicis generis sunt, in specie haec notentur:

1. Prima principia legis naturalis ab adulto, qui rationis plene compos est, invincibiliter ignorari non possunt: prima enim principia moralia ei, qui eorum terminos intelligit, immediate evidentiā sunt; eiusmodi autem veritates ab eo ignorari nequeunt, qui utitur ratione satis exulta.

2. Praecepta legis naturalis, quae continentur in decalogo, ad longum tempus invincibiliter ignorari non possunt: quae enim ex principiis notis obvia et facili illatione evidenter deducuntur, non possunt diu latere hominem exultae rationis compotem. Quae si clare non cognoscat, saltem per remorsus conscientiae incitatur ad investigandam veritatem.

Si qui ergo diutius ignorantia horum praeceptorum laborant, ea dicenda est vincibilis et culpabilis, utpote non ex defectu luminis intellectualis sed ex malitia voluntatis orta: nam teste Apostolo ob pravas consuetudines lex naturae e cordibus hominum deleri potest, qui tamen ob hanc ignorantiam a peccato non excusantur¹⁾.

3. Praecepta legis naturalis, quae ex aliis solum cum magna difficultate et praemisso diligenti studio deducuntur, ab iis, qui studiis nunquam vacarunt, invincibiliter etiam ad longum tempus ignorari possunt et saepe reipsa ignorantur, id quod dissensus theologorum et ipsorum etiam sanctorum Patrum de his praeceptis ostendit²⁾.

Omnes quidem concedunt theoretice dari ignorantiam invincibilem legis naturalis, at probabilioristae, tutoristae et ianseniani negabant practice dari posse eiusmodi ignorantiam et operantem propterea a peccato excusari. Verum cum haec sententia non solum ab ecclesia proscripta³⁾, sed hodie etiam obsoleta sit, eam indicasse sufficiat⁴⁾.

¹⁾ Cf. Rom. 1, 24 ss.

²⁾ Cf. *Ballerini-Palmieri* I n. 48.

³⁾ *Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.* Propositio 2. ab *Alexandro VIII.* damnata.

⁴⁾ Cf. *Laeroix* l. 1. n. 720 ss. *Thyrsus Gonzalez*, *Fundam. diss.* 11. c. 5. *S. Alphonsus* l. 1. n. 170—174.

94. Quoad ignorantiam decalogi pro praxi notandum est, quod auctores consulta experientia communiter docent.

a. Invincibiliter ignorari potest malitia actuum internorum, scilicet cogitationum et desideriorum pravorum, praesertim inefficacium.

b. Invincibiliter ignorari potest etiam malitia actuum externorum, praesertim a pueris et rudibus, immo ab aliis quoque in extraordinariis adiunctis, ut ubi lex humana tolerat, quod moraliter malum est. Sic fieri potest, ut quis ignoret malitiam pollutionis, ut existimet licitum esse mentiri ad propriam vel alterius vitam servandam, furari a malis divitibus ad succurrendum bonis pauperibus, peierare ad vitam tuendam. Immo sunt, qui affirmant fieri posse, ut etiam christiani licitam putent fornicationem in locis, ubi permittuntur meretrices publicae¹⁾.

c. Num malitia actus interni etiam tum invincibiliter ignorari possit, ubi malitia actus externi cognoscitur, num ergo invincibiliter aliquis putare possit seriam voluntatem peccandi (furandi) non esse peccatum, si actus externus (furtum), quem cognoscit esse malum, non fuerit secutus, non una est auctorum sententia: aliis enim id affirmantibus, negat cum aliis s. *Alphonsus* his verbis: „hanc opinionem nunquam probabilem censere potui“²⁾. In praxi poenitentes in his casibus prudenter interrogandi erunt, num aliquam, saltem confusam malitiae cognitionem habuerint eorumque assertioni credendum est.

95. De immutabilitate legis naturalis. Duplex distinguitur *mutatio* legis naturae: *interna*, qua lex ipsa abrogatur aut in aliam mutatur, et *externa*, qua in lege per potestatem sive humanam sive divinam dispensatur.

1. Lex naturae *intrinsecus* mutari non potest: cum enim lex naturae in essentialibus rerum relationibus atque ideo in ipsis rerum essentiis fundetur, eatenus mutari posset, quatenus essentiae rerum mutarentur, sed rerum essentiae immutabiles sunt.

2. Lex naturalis *proprie* nec per dispensationem mutari potest: nam lex naturalis ea continet, quae necessario praecipii vel prohiberi debent, ne ordo naturae perturbetur.

Haec dicta sunt de praeceptis *primariis* legis naturae: etenim si Deus permittit, quae adversantur praeceptis *secundariis* e. g. polyga-

¹⁾ Cf. *Sporer-Bierbaum*, Theol. mor. sacram. (Paderbornae. Typographia bonifac. 1901) III. pr. IV. n. 572.

²⁾ Cf. s. *Alphonsus* de consc. n. 9. *Lacroix* l. 1. n. 35.

miam, divortium, servitutem, proprie non dispensat in *lege* naturae, cum lex id stricte non praecipiat, sed solum suadeat.

3. Lex naturae *improprie* divina potestate mutari potest, eo quod materia legis mutatur. Quodsi materia legis mutetur, fieri utique potest, ut in particulari casu cesset obligatio legis seu ut lex *improprie* mutetur.

a. Lex *proprie* mutari dicitur, si obligatio legis cessat manente eadem materia legis; *improprie* autem lex mutari dicitur, si obligatio legis cessat, ubi materia legis evasit alia. Ut intelligatur, qui fieri possit, ut materia legis mutetur, notandum est quandoque materiam legis naturalis simpliciter in se malam esse; sic locutio Deo iniuriosa in se et propter se mala est; quandoque autem ideo in se malam esse, quia ei annexum est ius alienum. Iam vero qui in illud ius dominium exercet, auferendo illud ius efficere potest, ut actio, quae antea illicita erat, nunc licita evadat. Patet legem naturalem, quae prohibet, ne ius alienum laedatur, in hoc casu non mutari, sed materiam legis, demta ab ea aliqua circumstantia, mutatam esse¹⁾.

Sic lex naturalis prohibet seipsum vel innocentem occidere, item prohibet rem alienam auferre; si tamen Deus, qui est vitae et mortis ac rerum omnium dominus, id permittat vel praecipiat, licite fieri potest. — Num Deus pro sua potestate etiam id efficere possit, ut concedendo ius in corpus alienum cesset esse actio fornicaria, quae alias esset talis, non constat²⁾.

b. Sunt, qui doceant, legem naturalem per dispensationem mutari posse et dispensationis factae nonnulla exempla afferunt ut praeceptum patriarchae Abraham factum immolandi filium, vel praeceptum auferendi spolia Aegyptiorum. Verum consideranti haec exempla patebit non legem, sed legis materiam fuisse mutatam. Et sane quando Deus Abrahamo filium immolare praecepit, non dispensavit in homicidio sed Abrahamo contulit ius, quod ipsi Deo in vitam hominis competit.

4. Cum lex naturalis adeo sit immutabilis, ut nec ipse Deus eam relaxare vel in ea proprie dispensare possit, a fortiori *ecclesia* in ea dispensare nequit; attamen potest eam *declarare* et interpretari idque infallibiliter³⁾.

¹⁾ Cf. *Lehmkuhl* I. n. 190.

²⁾ Censet *Suarez* (de leg. 1. 2. c. 15. n. 20) Deum transferre posse in virum dominium in corpus mulieris sine consensu eius et ita efficere, ut copula non sit fornicaria. Quidquid sit, factum, quod huic quaestioni ansam dedit (Osee 1, 2), aliam interpretationem exigit vel saltem admittit. Cf. *Knabenbauer* in h. l.

³⁾ Cf. *Franzelin*, De divina traditione⁹ (Romae. Typogr. de prop. fide 1882) thes. XII. schol. 1.

Neque dicatur: homo lege naturae tenetur implere votum et iuramentum, et nihilominus ecclesia dispensat in votis et iuramentis: non enim in ipsa lege dispensat, sed condicionem aufert, a qua in casu particulari existentia obligationis dependet, id quod infra accuratius declarabitur.

Articulus secundus.

De lege positiva divina.

96. Notio. *Lex positiva divina* est lex libere a Deo lata et immediato aliquo actu promulgata. Hinc lex divina positiva solum per revelationem constare nobis potest. Supposita destinatione hominis ad finem supernaturalem, Deus convenientissime condidit legem positivam, qua homo ad finem supernaturalem beatitudinis aeternae dirigeretur. Lex divina positiva duplex distinguitur: lex *antiqua* seu mosaica et *nova* seu evangelica. Praetermissis iis, quae de lege vetere traduntur, de lege nova seu *evangelica* quaedam notentur.

97. De abrogatione legis antiquae. 1. Lex antiqua mosaica, quae per se solos obligabat iudaeos, abrogata est in morte Christi vel certe die pentecostes.

a. Legem mosaicam eamque totam quoad praecepta ceremonialia, iudicialia et moralia *abrogatam* esse sollemniter declarat concilium apostolicum¹⁾. Quam declarationem apostoli cum Antiochenis communicant his verbis: *Visum est Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris* (ex lege scilicet mosaica)²⁾.

b. Certum est legem mosaicam non cessasse ante mortem Christi; sed utrum abrogata sit tempore mortis Christi, ut volunt thomistae, an die pentecostes, quando facta est sollemnis novae legis promulgatio, ut docent scotistae, certo affirmari nequit. Ex Apostolo constat legem veterem ante Christi mortem non cessasse; ex eodem Apostolo confirmari videtur sententia, quae tenet in ipsa morte Christi Domini legem veterem abrogatam esse³⁾.

¹⁾ Cf. Act. 15, 1 ss.

²⁾ Act. 15, 28.

³⁾ Hebr. 9, 16. 17. Cf. *Pesch* V. n. 517 s.

2. Etsi lex antiqua post mortem Christi fuerit *mortua* i. e. vi obligandi destituta, non tamen statim facta est *mortifera*, sed ad tempus sine peccato adhuc observari poterat; non quidem prout significabat Christum venturum, sed prout praescribat modum Dei colendi. Et sane ipsi apostoli ceremonialia legis quandoque observabant¹⁾.

a. Patet haec de *lege ceremoniali* valere, quam etiamnum observare peccatum mortale est, cum sit cultus falsus et superstitiosus: qui enim ceremonias legis mosaicae observat, profitetur Messiam nondum advenisse, sed adhuc futurum esse²⁾. Praecepta *iudicialia* et magis *moralia* non sunt mortifera, quamvis vim obligandi ex lege mosaica ortam et ipsa amiserint.

b. Quo tempore lex nova per apostolos sufficienter promulgata erat, lex antiqua non amplius licite observari potuit, sed coepit fieri mortifera seu cultus falsus et illicitus. Quando autem id ipsum factum sit, accurate quidem determinari non potest, sed post excidium Hierosolymorum certe observari amplius non poterat.

c. De hac re celebris orta est controversia inter s. *Hieronymum* et s. *Augustinum*. Contendebat ille legem mosaicam post mortem Christi nunquam sine peccato observari potuisse; apostolos autem non serio sed simulate eam observasse. Recte contradixit s. Augustinus contendens apostolos legem antiquam observantes serio egisse eamque sine peccato observare potuisse, quia initio mortua quidem erat, sed nondum mortifera. Hieronymus tandem in Augustini sententiam concessit³⁾.

98. De existentia legis novae. 1. Christus Dominus pro potestate legifera, qua pollebat, novam condidit legem omnes obligantem, quae lex *supernaturalis* vocatur.

a. Nomine *legis novae* saepe improprie intelligitur novus ordo salutis, quem Christus abrogata vetere lege instituit. Iam vero iste ordo salutis continet legem proprie dictam seu praecepta a Christo lata, *qui non venit solvere (legem), sed adimplere*⁴⁾. Et sane a. quam plurima praecepta Christus durante vita sua publica annuntiavit;

¹⁾ Cf. Act. 10, 14; 16, 3; 18, 18; 21, 24; 1. Cor. 9, 20 s.

²⁾ Cf. Gal. 5, 2. 4.

³⁾ Cf. *Suarez* l. 9. c. 15 ss. *Möhler*, Gesammelte Schriften und Aufsätze (Regensburg. Manz. 1839) I. S. 1 ff.

⁴⁾ Matth. 5, 17.

ideo β. apostolis eorumque successoribus praecepit, ut observationem mandatorum suorum hominibus commendarent¹⁾; γ. et concilium tridentinum condemnat eos, qui negant Christum nova praecepta dedisse²⁾.

b. Ex multiplici titulo lex a Christo lata vocari debet *supernaturalis*, tum quia provenit a Deo ut est auctor ordinis supernaturalis, tum quia pro hominibus ad ordinem supernaturalem elevatis instituitur et viribus supernaturalibus observatur, tum denique quia ad finem supernaturalem dirigit.

2. Lex nova seu evangelica triplicis generis praecepta continet: theologalia, moralia et sacramentalia. *Theologalia* ad virtutes theologicas referuntur³⁾; *moralia* decalogo continentur: Christus enim legem naturalem non abrogavit, sed explicite renovavit, confirmavit eique maiorem perfectionem addidit⁴⁾; *sacramentalia* ad sacramenta et oblationem sacrificii pertinent⁵⁾.

a. Quia Christus praecepta decalogi propria auctoritate confirmavit, ea ex duplici titulo obligant, vi legis naturalis et positivae. Ideo christiani praecepta decalogi violantes non committunt quidem duo peccata specie vel numero diversa, attamen gravius peccant quam infideles eadem praecepta violantes.

b. Praecepta *iudicialia* in lege evangelica non continentur, nisi iudicialia dicantur praecepta, quae constitutionem ecclesiae⁶⁾ eiusque auctoritatem⁷⁾ respiciunt. Licet ad gubernandum populum fidelem in societatem congregatum praecepta iudicialia sint necessaria, ea tamen noluit ipse Christus immediate condere, sed mediate tantum per ecclesiam, quam proinde potestate legifera instruxit. Eiusmodi praecepta postmodum reipsa occurrentibus occasionibus statuta sunt, eaque in iure canonico continentur.

c. Praeter praecepta moralia lex nova continet etiam plura *consilia moralia*, quorum praecipua sunt tria consilia, quae *evangelica* vulgo dicuntur, nempe paupertatis, castitatis et obedientiae.

¹⁾ Matth. 28, 20.

²⁾ Sess. 6. can. 19.

³⁾ Marc. 16, 16. Matth. 22, 37. Luc. 10, 27.

⁴⁾ Matth. 5: *Ego autem dico vobis etc.*

⁵⁾ Ioan. 3, 5. Luc. 22, 19. Ioan. 6, 54.

⁶⁾ Matth. 16, 18 s.

⁷⁾ Matth. 18, 17 ss.

99. Eius obligatio. Lex evangelica *obligat omnes homines omnium temporum et locorum*. a. Omnibus enim a Christo imposita est, quia ex voluntate Dei omnes per Christum ad sanctificationem et salutem ducendi sunt. Ideo Christus expresse ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes. Docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis*¹⁾.

b. Legem Christi obligare omnes homines *omnium temporum*, adeo ut nulla alia secutura sit lex usque ad consummationem temporis, patet: a. Deus in vetere testamento promiserat *novum foedus*, quod mansurum esset in aeternum²⁾. β. Christus stabilitatem immutabilem regni sui praedixit³⁾; ideo tempus legis novae dicitur tempus novissimum⁴⁾. γ. Abroganda esset, ut perfectior introduceretur; sed nequit esse lex perfectior eâ, cuius praecepta hominem cum Deo immediate coniungunt, cuius sacramenta hominem vere sanctificant, cuius sacrificium infinitae est dignitatis.

c. Attamen praecepta legis novae non aequali modo obligant omnes homines: praeceptum enim suscipiendi fidem et ingrediendi ecclesiam per susceptionem baptismi omnes *immediate* obligant, alia vero *mediate* tantum, scilicet per ingressum in ecclesiam et per susceptum baptismum.

Ad quaestionem, *quando lex nova obligare coepit*, alii respondent *obiective et in actu primo* eius obligationem coepisse in morte Christi vel saltem die pentecostes: putant enim Christum statuisse, ut cum legis sollemni promulgatione simul incipiat eius obligatio⁵⁾. Alii autem docent eam obligare coepisse post sufficientem eius per orbem divulgationem; sufficientem vero eius divulgationem factam esse per apostolos: in omnem enim terram exivit sonus eorum; ergo in actu primo tempore apostolorum (40 annis p. Chr. mortem vel certe post excidium Hierosolymorum) omnes lege evangelica obligatos fuisse. *In actu secundo*

¹⁾ Matth. 28, 18 ss. Cf. Marc. 16, 15. Rom. 1, 16.

²⁾ Jer. 31, 31. 40.

³⁾ Matth. 16, 18; 28, 19 s.

⁴⁾ Act. 2, 17.; 1. Ioan. 2, 18.

⁵⁾ Cf. Ioan. 3, 14 ss.

autem singuli non prius obligantur, quam legis notitia ad eos pervenerit: nam usque ad hoc tempus propter ignorantiam a legis observatione excusantur¹⁾).

100. De potestate in lege divina positiva dispensandi. *a.* Certum est Christum, legis evangelicae auctorem, potestatem dispensandi in sua lege ecclesiae *concedere potuisse*: quilibet enim legislator potestatem dispensandi in suis legibus alteri conferre potest. Quaestio est, num haec potestas ecclesiae de facto concessa sit, num ergo s. pontifex ex iusta causa legem divinam relaxare possit. Atqui eiusmodi potestatem ecclesiae *concessam non esse*, communiter docent theologi, neque ecclesia unquam hac potestate usa est.

Verba Domini ad Petrum: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis*²⁾ non sunt prorsus illimitate intelligenda, sed restringenda sunt ad ea, quae necessaria sunt, ut munere suo fungi possit, seu ad ea, quae ad bonum ecclesiae et salutem animarum necessaria sunt; atqui eiusmodi non est potestas dispensandi in legibus divinis: melius enim est, si in iis non dispensatur. Ut nempe unitas ecclesiae a Christo institutae luculentius appareret, expediebat omnino, ut principalia instituta et praecepta Christi apud omnes fideles omnium temporum essent uniformia ideoque immutabilia.

b. Attamen ecclesia legem divinam declarare et *authentice interpretari potest*, idque infallibiliter: est enim infallibilis interpretes institutionum et praeceptorum Christi. Itaque summus pontifex non solum declarare potest, quae causa a lege divina excuset, sed potest etiam sensum legis eiusque obligationem determinare atque ipsam legem interpretando modificare et limitare³⁾

¹⁾ Cf. *Suarez* l. 10. c. 4. n. 25.

²⁾ Matth. 16, 19.

³⁾ Cf. *Ferraris*, Bibliotheca (Romae. Typogr. C. de prop. fide. 1890) s. v. *Papa* a. 2. n. 30.

Articulus tertius.

De consiliis¹⁾.

101. Notio. Consilia sunt actiones bonae nulla lege praeceptae, meliores tamen earum oppositis ut virginitas, quae melior est matrimonio, ieiunium, quod melius est temperantia.

a. Praeter actiones lege praeceptas vel prohibitas multae aliae sunt nec praeceptae nec prohibitae sed *licitae*, in quibus continentur eae, quae tamquam consilia nobis commendantur: Deus enim voluntatem suam duplici modo nobis manifestat, aut praecipiendo aut suadendo et commendando. Actiones praeceptae ad finem obtinendum necessariae sunt, consilia necessaria non sunt, sed *libera* atque uniuscuiusque optioni permessa.

b. Non omnes actiones nulla lege praeceptae ad consilia pertinent: de ratione enim consilii est, ut sit *actio melior* quam eius opposita, ideo matrimonium, quamvis praeceptum non sit, non est res consilii, quia non est virginitate melius.

c. Consilia multipliciter *differunt a legibus*: α . leges obligant omnes, consilia eos tantum obligant, qui ad eorum observantiam ipsi se obligarunt; β . leges obligant vi sua ex voluntate divina, consilia solum dependenter a voluntate humana; γ . leges sunt media ad obtinendam vitam aeternam necessaria, consilia sunt media libera, quae tamen securius et perfectius ad vitam aeternam conducunt. Quia consilia non necessaria sed libera sunt, eorum opera *opera supererogatoria* (Werke der Übergebühr) vocantur.

Ex his declarationibus intelliguntur qualitates, quae consilio conveniunt, ut sit: α . opus liberum non praeceptum; β . bonum melius; γ . opus supererogatorium.

102. Eorum existentia. 1. Quamvis contra doctrinam catholicam de consiliis iam ab antiquissimis temporibus

¹⁾ *S. Hieronymus*, Adversus Iovinian. l. 2. *S. Thomas* I. II. q. 108. a. 4. II. II. q. 184. a. 3.; q. 186. a. 7. *Suarez*, De religione tract. 7. l. 1. c. 6—9. *Bellarminus*, De monachis c. 7—13. *Ballerini-Palmieri* IV. n. 4—8. *Göpfert*, Moralthologie³ (Paderborn. Schöningh. 1901) I. n. 36—41. *Simar*, Lehrbuch der Moralthologie³ (Freiburg. Herder. 1893) S. 45 ff. *Schwane*, De operibus supererogatoriis et consiliis evangelicis (Monasterii. Theissing. 1868). *A. Weiss*, Apologie des Christentums³ (Freiburg. Herder.) 5. Bd. S. 203 ff.

complures erraverint, ipsa tamen consilia ex instituto negant atque impugnant *protestantes* et *rationalistae*.

Antiquorum temporum haeretici (*Apostolici, Encratitae, Manichaei, Pelagiani, Helvidius, Iovinianus, Vigilantius* etc.) eo errarunt, quod determinatas actiones supererogatorias dixerint praeceptas vel prohibitas, sic paupertatem nonnulli dicebant praeceptam (econtra oeconomii nationales nostri temporis paupertatem propter Deum sponte electam prorsus condemnant), alii usum carnis et vini affirmabant illicitum, at ipsam existentiam consiliorum non negabant; protestantes vero et rationalistae ipsa consilia impugnant: illi quidem ex doctrina de *serro arbitrio* et de *operibus bonis superfluis*, hi vero ex morali principio philosophiae cantianae, vi cuius homo omnibus mediis aptis ad summam perfectionem moralem contendere debet.

2. Praeter praecepta esse etiam consilia colligitur:

a. Ex colloquio Christi cum iuvene de perfectione interrogante: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata . . . Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus et habebis thesaurum in coelo et veni, sequere me¹⁾*.

Quibus verbis Christus Dominus praeceptis, quorum observatio ad salutem necessaria dicitur, superaddit aliquid, quod melius atque perfectius et non necessarium, sed pro arbitrio eligendum est, illudque commendat ad maiorem felicitatem obtinendam; loquitur ergo de consilio.

b. Ex s. Paulo: *De virginibus autem praeceptum Domini non habeo, consilium autem do tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis . . . Igitur et qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, et qui non iungit, melius facit²⁾*.

His verbis Apostolus virginitatem dicit non praeceptam eamque ex inspiratione divina commendat non solum tamquam bonam, sed tamquam meliorem coniugio; hisce ergo consilium commendat.

c. Ex ipsa actionum moralium natura patet plurimas esse actiones bonas, quae praeceptae non sunt et simul meliores quam earum oppositae; in specie vero consilia ad tria capita referri possunt:

a. Ad *motivum*, ex quo praecepta observantur: quod enim praecepta non ex motivo naturalis honestatis, sed ex motivo supernaturali, praesertim vero ex motivo caritatis Dei observentur, ad consilia pertinet.

¹⁾ Matth. 19, 17 ss.

²⁾ 1 Cor. 7, 25—40.

β. Ad *abstinentiam ab actionibus indifferentibus*: actiones enim indifferentes, praesertim eae, quae ad delectabilia referuntur, quamvis sub certis condicionibus non sint malae, tendentiam tamen in finem ultimum impediunt atque in periculum adducunt; quare iis se abstinere, quatenus necessaria non sunt, res consilii est.

γ. Ad *exercitium virtutum*: plurimae enim actiones bonae earumque oppositis meliores aut nullatenus aut saltem non omnibus temporibus praeceptae sunt ut virginitas, frequens susceptio sacramentorum, auditio sacri diebus ferialibus, frequens oratio etc.

103. Consilia evangelica. Inter consilia eminent consilia evangelica scilicet *paupertas, castitas et obedientia* homini praestita, quae *evangelica* vocantur, quia a Christo Domino in evangelio promulgantur et verbo atque exemplo tamquam media perfectionis christianae speciali modo commendantur, ita ut simul promulgetur consilium instituendi peculiarem vitae statum, in quo ad observationem horum consiliorum existat obligatio.

a. Singula in sacris litteris continentur:

α. *Consilium paupertatis*: *Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus¹⁾*.

β. *Consilium castitatis*: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est . . . Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum. Qui potest capere, capiat²⁾*. Quibus verbis Christus Dominus significat virginitatem esse bonum praestantius coniugio, quod bonum ipse non praecipit, sed iis, qui pretium eius ex gratiae dono capere possunt, commendat.

γ. *Consilium obedientiae*: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam quotidie et sequatur me³⁾*. Quibus verbis non solum abnegatio praecepta intelligitur, sed etiam non praecepta et praesertim ea, quae in voluntaria obedientia homini praestita consistit, quippe quae pleno sensu sit *abnegatio sui* scilicet proprii intellectus et propriae voluntatis.

b. Quaedam consilia iam *antiquum testamentum* continebat: α. *sacrificia* libere oblata; sic hostiae pacificae non erant praeceptae, sed libere offerebantur; β. *vota*, quae in lege commendantur, sed non praescribuntur⁴⁾. Votorum praecipuum est *nasireatus*, quo homo vel ad tempus vel in perpetuum speciali modo se Deo consecrabat.

¹⁾ Matth. 19, 21.

²⁾ Matth. 19, 11. 12.

³⁾ Luc. 9, 23.

⁴⁾ Deut. 23, 21 ss.

104. Obiectiones. 1. *Haeretici*, qui consilia impugnant, contendunt bonas actiones, quas exercere possumus, omnes esse praecipitas; ad quod demonstrandum provocant ad varia testimonia s. scripturae:

a. Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est¹⁾; quibus verbis praecipitur omnis etiam praestantissima perfectio, qua Deo similes fieri possumus. — Verum his verbis non omnis perfectio, sed illa nobis praecipitur, quae in dilectione inimicorum consistit (v. 44); huius exercitio similes erimus Patri coelesti, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos.*

b. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo . . . et in tota mente tua²⁾; quibus eo, quod perfecta caritas nobis praecipitur, quidquid perfectionis assequi possumus, nobis praecipitur. — Verum his verbis caritas praecipitur appetitive perfecta, quae in eo consistit, quod omne peccatum vitemus, grave quidem sub poena aeterna, leve autem sub poena temporali.

2. *Moderni oeconomiae nationalis cultores* consilia evangelica, praesertim vero paupertatem et virginitatem impugnant veluti contraria bono communi societatis. — Verum eorum difficultas eo oritur, quod de bono sociali non recte sentientes unice in cumulo divitiarum et in magno hominum numero illud falso collocent.

Quaestio tertia.

De lege humana.

Articulus primus.

De auctore legis humanae.

105. Potestas necessaria. 1. In legislatore humano ad legem rite condendam duo requiruntur: *a. iurisdictio* seu potestas regendi illos tamquam subditos, quibus lex imponitur; *b. potestas* in illam particularem materiam, circa quam lex versatur, quam potestatem dicunt *competentiam*. Siquidem legislator humanus legitima pollens

¹⁾ Matth. 5, 48.

²⁾ Matth. 22, 37.

auctoritate ea tantum praecipere potest, quae faciunt ad finem communitatis, cui praeest, dummodo altioribus legibus non adversentur.

a. Iurisdictio late accepta significat potestatem gubernandi. Haec autem vel est potestas gubernandi *privata* (domestica) seu potestas gubernandi personam aut familiam (societatem imperfectam) et dicitur *potestas dominativa*, vel est potestas gubernandi *publica* (politica) seu potestas gubernandi civitatem seu rempublicam (societatem perfectam) et dicitur *potestas iurisdictionis* seu iurisdietio stricte accepta¹⁾. Iam vero ad leges ferendas potestas dominativa non sufficit, sed requiritur potestas iurisdictionis, eaque suprema, non ea quae in iudice reperitur ad ius dicendum, sed ea, quae in rege et principe existit ad totam civitatem gubernandam.

b. Potestas dominativa, quae ad danda praecepta, nullatenus vero ad condendas leges sufficit, diversa est pro diverso obiecto, circa quod versatur et pro diversa origine. Oritur enim vel ex iure naturae per naturalem originem ut in patre respectu filii, vel ex iure naturae per humanam voluntatem ut in marito respectu uxoris, vel ex voluntate humana per votum obedientiae ut in superiore regulari respectu subditorum²⁾.

2. Pro duplici hominum communitate perfecta, ecclesiastica et civili, duplex etiam distinguenda est potestas legifera, *ecclesiastica* et *civilis*. De lege ecclesiastica potissimum agimus. Ideo praemissa brevi tractatione de iurisdictione ecclesiastica indicandi sunt ii, qui in ecclesia potestatem ferendi leges habent, quibus addenda est quaestio de auctoritate congregationum romanarum.

§ 1. De iurisdictione ecclesiastica³⁾.

106. Notio et divisio. *Iurisdictio ecclesiastica* est potestas regendi fideles in ordine ad salutem aeternam a Christo vel ab ecclesia alicui concessa.

¹⁾ Vocabulum iurisdictionis, quod ex se universam potestatem regendi significat, quandoque strictiore sensu *solam potestatem iudicalem* designat. Hoc sensu in tractatu de iudice et de poenitentia nomen iurisdictionis usurpatur.

²⁾ Cf. *Suarez*, De legibus l. 1. c. 8.

³⁾ Cf. *Wernz*, Ius decretalium II. n. 2 ss. 551 ss.

Iurisdictio ecclesiastica distinguitur a *civili*, quae est potestas regendi cives in ordine ad commune bonum temporale. Haec solum in foro externo, illa in foro externo et interno exercetur.

2. Iurisdictio *dividitur*: a. In *propriam*, quae nomine proprio, et *vicariam*, quae nomine alieno exercetur.

Sic summus pontifex iurisdictionem propriam exercet, quando leges fert, in legibus a se latis dispensat et fideles delinquentes excommunicat, at iurisdictionem vicariam exercet, quando dispensat in votis, iuramentis et matrimonio rato, quia ex speciali Dei commissione nomine Dei agit. Pari modo episcopus iurisdictionem propriam exercet, si legem fert et in propria lege dispensat, at iurisdictionem vicariam exercet, si in lege aliena e. g. in lege universali ecclesiae dispensat.

b. In *ordinariam*, quae vi proprii muneris, et in *delegatam*, quae ex speciali commissione eius, qui ordinariam habet, alicui competit.

a. Iurisdictio ordinaria duplicis generis est, altera quae ex ipso munere fluit, altera quae muneri habitualiter annexa est: illa simpliciter ordinaria, haec ab aliis ordinaria, ab aliis vero *quasi-ordinaria* vocatur.

β. Ordinaria cum ipso munere conceditur; quasi-ordinaria tribus modis acquiri potest: *ab homine* i. e. per concessionem summi principis; *a lege* seu canone; *a consuetudine* legitime praescripta.

γ. Omnis iurisdictio delegata vicaria est, quia nomine alieno exercetur; sed non omnis iurisdictio vicaria delegata, nec omnis iurisdictio ordinaria propria est: omnis enim iurisdictio summi pontificis ordinaria est, utpote ex eius munere fluens, at non omnis eius iurisdictio propria est; item iurisdictio ordinaria episcopi propria est, quia proprio nomine exercetur, quasi-ordinaria autem vicaria est, quia alieno nomine exercetur.

c. In *voluntariam*, quae sine forma iudiciali et proinde semper in volentes exercetur, ut fit in absolute, dispensatione; et *contentiosam*, quae in forma iudiciali et proinde etiam in invitos exercetur, ut si reus in ius vocatur et punitur.

Iurisdictio *voluntaria* etiam extra proprium territorium valide et plerumque etiam licite exercetur, quia ad huius exercitium non requiritur strepitus seu processus iudicialis; iurisdictio autem *contentiosa* exerceri non potest extra proprium territorium sine consensu iudicis illius loci et partium contententium.

d. In iurisdictionem *fori interni*, quae primario et directe bonum privatum respicit et fidelium relationes morales ad Deum ordinat; et iurisdictionem *fori externi*, quae primario et directe ad bonum commune refertur et

relationes fidelium ad ecclesiam, societatem visibilem, ordinat.

e. Iurisdictio fori interni duplex est, *sacramentalis* seu poenitentialis, quae in administratione sacramenti poenitentiae exercetur, et *extrasacramentalis* seu extrapoenitentialis, quae extra sacramentum poenitentiae exercetur.

107. Principia. 1. Qui ordinariam iurisdictionem habet, per se eam alteri *delegare* potest; qui vero delegatam habet, eam alteri *subdelegare* nequit excepto triplici casu:

a. Si absque restrictione delegatus sit a summo pontifice, idque ex privilegio iuris propter eminentiam supremae potestatis concessio¹⁾.

Quare episcopus facultates ab apostolica sede sibi ad tempus delegatas absque speciali concessione aliis tum generali modo tum pro casu particulari delegare potest²⁾.

b. Si delegatus sit ad universitatem causarum.

Ad *universitatem causarum* delegatus dicitur, qui potestatem accepit non solum unam vel plures particulares causas, sed vel simpliciter omnes vel omnes in certo aliquo genere e. g. omnes causas matrimoniales expediendi.

c. Si specialem concessionem subdelegandi acceperit.

2. Potestas delegata morte delegantis *non expirat*, si est gratia facta; *expirat* autem, si est gratia facienda re adhuc integra. Constat ex dispositione iuris³⁾ et ex ratione, quia per gratiam factam aut ipsa res aut ius ad rem a delegato accipiendam acquiritur, sed per gratiam faciendam nullum ius acquiritur.

a. Distinctio inter gratiam factam et gratiam faciendam desumitur a modo, quo gratia conceditur. Dicitur *gratia facta*, si ab ipso superiore per se vel per alium tamquam executorem necessarium conceditur, et dicitur *gratia facienda*, si per alium tamquam executorem voluntarium conceditur.

¹⁾ C. Si pro debilitate 3. *De officio iudic. deleg.* (I. 29).

²⁾ S. *Officium* 14. dec. 1898.

³⁾ CC. Si cui 36. *De praebendis* (III. 4) in 6°. Si super 9. *De officio iud. del.* (I. 14) in 6°.

b. Res dicitur *integra*, si delegatus nondum incepit potestate sua uti, et dicitur *non esse integra*, si iam coepit sua potestate uti.

Quodsi potestas commissa unico actu completur ut in absolute a reservatis, per primam absolute delegatus incipit uti potestate sua: si potestas commissa pluribus actibus completur ut in dispensatione ab impedimento matrimonii, quando verificandae sunt preces, primo actu ad illam dispensationem pertinente (citatione sponsorum) incipit uti potestate sua.

108. Superior gratiam triplici diverso modo concedere potest:

a. Aut ipse per se eam confert petenti vel accipienti, ut si summus pontifex alicui concedit privilegium altaris, facultatem absolvendi a censuris, dispensandi in impedimentis, in irregularitatibus, vel si episcopus concedit litteras dimissorias ad ordines, facultatem audiendi confessiones, absolvendi a reservatis.

b. Aut gratiam confert per alium, cui eam concedendam committit, et quidem ita, ut ei executionem mandet (executor necessarius), ut si summus pontifex hac vel simili forma rescribat: absolvas oratorem a reservatis, dispenses Titium ab irregularitate, ab impedimento, a tali voto etc.

c. Aut gratiam confert per alium, cui eam concedendam committit, sed ita, ut rem totam eius arbitrio committat (executor voluntarius), ut si summus pontifex hac vel simili forma rescribat: dispenses, absolvas Titium, si expedire iudicaveris, vel si episcopus preces remittat cum facultatibus necessariis et opportunis¹⁾.

§ 2. De legislatoribus humanis.

109. In ecclesia leges ferre possunt: 1. *Romanus pontifex* pro universa ecclesia, qui potestatem accipit immediate a Christo: nam Christus Dominus contulit beato Petro et legitimis eius successoribus potestatem regendi universam ecclesiam: *Tibi dabo claves regni coelorum*²⁾; *pasce oves meas*³⁾.

¹⁾ Cf. *Suarez*, De legibus l. 8. c. 31. *Pirhing* t. I. l. 1. tit. 29. sec. 7. *D'Annibale*, Summula theologiae moralis³ (Romae. Saraceni) I. n. 222.

²⁾ Matth. 16, 19.

³⁾ Ioan. 21, 17.

Potestatem legiferam triplici modo exercet summus pontifex:

a. Constitutionem edendo, qua lex universalis fertur et promulgatur;

b. Legem particularem ferendo pro aliqua provincia vel pro ordine religioso;

c. Ope congregationum romanarum decreta vel leges edendo, quas ipse suprema auctoritate sua confirmat.

Quod vim legis et obligationem attinet, nihil refert, quo modo pontifex legem condat, nec refert utrum per bullam an per breve vel alio decreto quidquam praecipiat.

2. *Concilium oecumenicum* pro tota ecclesia, si legitime convocatum, celebratum et a romano pontifice confirmatum sit; *concilium nationale* seu plenarium pro toto territorio alicuius nationis; *concilium provinciale* pro provincia ecclesiastica. Attamen priusquam promulgentur decreta concilii nationalis vel provincialis Romae a s. congregatione concilii recognosci debent, ut emendari possint, si quid forte minus congruum continerent¹⁾, quae recognitio seu revisio decretis synodalibus maiorem non tribuit vim atque auctoritatem.

Ad quaestionem, num episcopi in concilio sive plenario sive provinciali legitime congregati vera potestata legifera polleant, s. *Officium* 30. sept. 1896 *affirmative* respondit; eorum ergo decreta vim legis habent, etsi in statuta dioecesana non fuerint inserta. Episcopi tamen inferiores sunt concilio provinciali, quare ipsi per se huius leges et statuta observare tenentur, item non possunt in eius legibus vel statutis propria auctoritate dispensare, si dispensatio reservata fuit; sed dispensatio peti debet a s. sede. Quando vero dispensatio non est reservata (ordinarie non solet reservari), praesumitur episcopis data facultas pro sua cuique dioecesi dispensandi²⁾.

3. *Episcopus* pro sua dioecesi sive in synodo dioecesana sive extra synodum, qui potestatem legiferam accipit a summo pontifice. Huc pertinent etiam abbates seu *praelati nullius* (scilicet dioeceseos), qui potestatem in clerum et populum habent, et *capitulum cathedrale* sede vacante seu potius *vicarius capitularis*, qui leges ferre et abrogare

¹⁾ Constitutio *Immensa* Sixti V. 22. ian. 1588. Cf. *Benedictus XIV.*, De synodo l. 13. c. 3. n. 1 ss.

²⁾ *Bonacina*, De legib. disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 14.

potest: succedit enim in iurisdictione episcopi; iurisdictioni autem huic annexa est potestas legifera.

Verae legis rationem habent decreta ab episcopo in synodo edita et promulgata, statuta autem extra synodum edita et promulgata legis stabilis rationem solum habent in duplici casu: *a.* si ipse episcopus declarat, se legem stabilem condere velle; *b.* si ordinatio subditos omnes tum clericos tum laicos afficit¹⁾.

4. *Capitulum generale* seu congregatio generalis in ordinibus religiosis vi iurisdictionis a summo pontifice concessae. Potestas, quae ipsis *superioribus generalibus* competit, pro statutis ordinum quidem diversa est, potestatem autem ferendi leges ordinarie ipsi non habent, sed solum condendi ordinationes seu statuta aut iuxta aut praeter leges vigentes. Superiores tandem *locales* vi iurisdictionis praecipere possunt eorumque praecepta morte vel recessu praecipientis per se expirant, nisi per potestatem legislativam ipsis attributa sit specialis stabilitas²⁾.

a. Abbatissae vel superiorissae in ordinibus religiosis mulierum leges ferre non possunt. Potestatem leges ferendi in religiones mulierum praeter summum pontificem habent superiores ordinum virorum, quibus ordo mulierum est annexus, vel episcopus, in cuius dioecesi monasterium situm est. Superiorissae tamen in casibus particularibus et particularibus personis sub gravi vel sub levi praecipere possunt, quae ad spiritualem monialium profectum vel ad regularem disciplinam iuxta (non praeter) regulas et constitutiones ordinis pertinent, non vi iurisdictionis, quam non habent neque accipere possunt, sed vi voti obedientiae, quod moniales professae emittunt, et vi potestatis dominativae, quae iure naturali convenit omnibus superioribus cuiuslibet communitatis. Vi huius potestatis etiam novitiis, quae votum obedientiae non emiserunt, praecipere possunt.

b. Notandum est discrimen inter praeceptum, quod *vi iurisdictionis*, et inter praeceptum, quod *vi potestatis dominativae* fertur: qui hoc violat, solum contra obedientiam peccat, qui illud violat, contra virtutem peccat, ad quam materia praecepti refertur. Potestas enim dominativa solum subiectionem subditi respicit, quaecunque sit materia, in qua exercetur; iurdictio autem respicit bonum per observationem praecepti in tali materia obtinendum³⁾.

¹⁾ Cf. *Benedictus XIV.* De synodo l. 13. c. 5. n. 1. *Ballerini-Palmieri* n. 238. nota a.

²⁾ *Lacroix* l. 1. n. 566.

³⁾ Cf. *De praeceptis* n. 280. 4.

110. De potestate legifera civili. Quinam in societate civili potestate legifera potiantur, a forma regiminis dependet, quae hodie in diversis regnis diversa est: in aliis enim solus supremus princeps leges condere potest, in aliis potestas legislativa residet in supremo principe et in corpore legislativo, quod iterum pro diversis populorum constitutionibus diversum est.

Potestatem legislativam per se habet etiam *regina*, heres regni, pro sua ditione: ad hoc enim, ut quis habeat potestatem legislativam, requiritur, ut sit capax iurisdictionis et ut supremam potestatem in aliqua communitate exerceat; atqui regina capax est iurisdictionis civilis; iurisdictionis spiritualis quidem femina non est capax, quia haec iurdictio exigit subiectum capax ordinis; nihil autem impedit, quominus femina iurisdictionem civilem accipiat¹⁾.

§ 3. De auctoritate congregationum romanarum.

111. De ipsis congregationibus romanis. Congregationes, per quas summus pontifex leges et decreta condit et ad proposita dubia decisiones et declarationes concedit, sunt octo sequentes:

1. *Congregatio concilii tridentini*, quae potestatem habet interpretandi decreta concilii, quae ad mores et disciplinam pertinent, et dirimendi dubia ius canonicum spectantia. Tota ex cardinalibus coalescit, qui vocantur: *Patres sacrosancti concilii tridentini interpretes*.

2. *Congregatio episcoporum et regularium*. ad quam referuntur, quae ad bonam dioecesium administrationem et ad regimen ordinum religiosorum pertinent, insuper controversias, quae tum inter diversos episcopos, tum inter episcopos et regulares, tum in ipsis regularium familiis oriuntur, dirimit.

3. *Congregatio de propaganda fide*, quae iurisdictionem exercet in regiones missionum et omnia illarum regionum negotia tractandi ius habet et potestatem.

4. *Congregatio ss. rituum*; haec definit, quae ad sacram liturgiam pertinent, quaestiones liturgicas dirimit, ac tandem etiam beatificatio et canonisatio sanctorum ad eius officium pertinent.

5. *Congregatio indicis* librorum prohibitorum, quae vigilat, ne quid editis libris inter fideles propagetur, quod fidei et bonis moribus noceat, ideoque pravos libros damnat et prohibet. Libri, qui haeresim sapiunt, etiam a s. officio vel per litteras apostolicas prohibentur.

¹⁾ Cf. *Holzmann*, Theologia moralis I. n. 292.

6. *Congregatio sacri officii vel congregatio romanae et universalis inquisitionis*, cuius praeses est ipse summus pontifex, qui tamen sollemnibus tantum sessionibus interesse solet. Haec congregatio causas cognoscit, quae ad fidem pertinent, de haeresi et de criminibus, quae suspicionem de haeresi movent, iudicat.

7. *Congregatio indulgentiarum et reliquiarum* curare debet, ne apocryphae indulgentiae aut falsae reliquiae vulgentur, et omnes quaestiones de hac re propositas dirimit.

8. *Congregatio immunitatis ecclesiasticae*, ad quam omnes causae referuntur, quae ad immunitatem ecclesiasticam sive realem sive personalem sive localem pertinent.

His adiungi debet *s. Poenitentiaria Apostolica*: cum enim hoc tribunal potestatem habeat resolvendi dubia, quae forum poenitentiae concernunt, saepius eius responsa, praesertim in rebus matrimonii et censurarum, in theologia morali citanda sunt.

112. Declarationes. a. Hoc loco sermo non est de *decretis doctrinalibus*, sed solum de decretis *disciplinariis*, quae in materia morum vel novam legem condunt, vel legem iam existentem interpretantur, vel in causis particularibus ius dicunt vel gratiam concedunt.

b. Decreta congregationum romanarum variis nominibus significantur atque vel *declarationes* vel *decisiones* vel *resolutiones* vel *responsa* vel *decreta* dicuntur. Etsi stricto sensu decreta novam legem, declarationes vero legis iam constitutae interpretationem et resolutiones seu decisiones sententiam iudicalem in causa particulari contineant, nihilominus haec nomina ordinarie indiscriminatim usurpantur¹⁾.

c. Potestas, quae sacris congregationibus competit, a summo pontifice eis concessa est, qui tamen non omnibus aequalem potestatem contulit. Etenim *s. congregatio rituum* potestatem legiferam habet, adeo ut etiam sine speciali mandato et approbatione *s. pontificis* decreta generalia vim legis universalis habentia condere possit²⁾. Aliae autem

¹⁾ Cf. *Wernz* I. n. 143.

²⁾ *Sixtus V.* instituens hanc congregationem constit. *Immensa* 22. ian. 1588 ei potestatem legiferam contulit; ipsa congregatio declaravit decreta sua formiter edita eandem auctoritatem habere, ac si

congregationes potestatem legiferam non habent, ne congregatio quidem de propaganda fide pro regionibus missionum.

d. Cum aliae congregationes praeter s. congregationem rituum potestate legifera careant, earum decreta vim legis universalis non habent, nisi ex mandato s. pontificis edita atque ab eo speciali approbatione confirmata sint. Decreta autem particularia unaquaeque circa obiectum sibi demandatum condere potest. Haec decreta hodie a s. pontifice in forma communi approbari solent; attamen ad vim suam exercendam hac approbatione indigere non videntur: ad certa enim negotia expedienda congregationes institutae et necessaria potestate instructae sunt.

e. Duplex distinguitur approbatio: *in forma specifica*, qua decreta post diligens examen absolute confirmantur; et *in forma communi*, qua decreta rigido examini non subiiciuntur et solum condionate (si sacris canonibus non repugnant) confirmantur.

Haec approbatio naturam decretorum non mutat, sed in sua specie relinquit, decreta nempe quae congregatio suo nomine et sua auctoritate condit, ergo solum externam quandam auctoritatem eis tribuit; illa mutat decretum in legem s. pontificis, quam ipse suo nomine et sua auctoritate condit.

f. Ut decreta sacrarum congregationum vim obligandi habeant, *authentica* esse debent; authentica vero dignoscuntur, eo quod *formiter* edita i. e. a congregationis praefecto et secretario subscripta et congregationis sigillo munita sunt. De authentia decretorum ss. congregationum nobis constare potest aut ex collectionibus authenticis¹⁾ aut ex relatione scriptorum fide dignorum.

113. De auctoritate congregationum. 1. Decreta *generalia*, quae pro universa ecclesia conduntur et rite promulgantur, vim legis universalis habent, et decreta

immediate ab ipso s. pontifice promanarent (23. maii 1846. ed. nov. n. 2916), quam declarationem *Pius IX.* confirmavit 17. iul. 1846.

¹⁾ S. C. R. S. apr. 1854 (decr. auth. ed. nov. n. 3023).

quidem S. C. R., etsi a s. pontifice specialem approbationem non acceperunt, decreta autem aliarum congregationum, si ex mandato s. pontificis edita et pro tota ecclesia approbata fuerint.

2. Decreta et responsa *particularia* certe vim praecepti particularis pro iis, ad quos diriguntur, et per se pro iis solis habent: ad eiusmodi enim decreta condenda s. congregationes speciali facultate instructae sunt; si tamen non dirigantur ad universam ecclesiam, proxime et per se vim legis universalis habere nequeunt, quia legislator per ea omnes obligare non intendit.

Ergo decreta particularia eorumque vis obligatoria ad *similes casus* aliorum locorum vel personarum per se non sunt transferenda, praesertim quia decreta particularia respiciunt particulares circumstantias (consuetudinis, scandali vitandi, iuris tertio quaesiti etc.) eorum, ad quos diriguntur; unde fit, ut ipsa decreta quandoque sibi contradicere videantur. Quodsi tamen eadem sint locorum et personarum adiuncta, decreta et decisiones particulares probabilem *normam* iudicandi tutoque agendi etiam pro aliis suppeditant, cum quaestiones propositae a theologis scientia et prudentia eximiis resolvantur.

3. Si tamen responsa particularia exhibent *interpretationem legis universalis* iam existentis a *particularibus adiunctis independentem*, vim legis universalis habere possunt secundum haec principia.

α. Interpretationem absolutam et ab adiunctis particularibus independentem exhiberi tum ex verbis decreti tum eo potissimum colligitur, quod congregatio saepius interrogata idem semper responsum remittit.

β. Praenotandum est discrimen inter declarationes comprehensivas et extensivas: *comprehensivae* dicuntur, si sensus declaratus a verborum proprio usu et recepta significatione non recedit; *extensivae* dicuntur, si ultra id, quod verba proprie et secundum usum communem accepta denotant, aliquid continent¹⁾. Declarationes extensivae *novum ius* statuunt; comprehensivae autem declarant, quod in lege iam continetur.

γ. Declarationes comprehensivae duplicis generis sunt, vel explicant legem in se satis *claram* propter dubia particularium personarum, vel explicant legem in se *obscuram* et *dubiam*, quin tamen a proprio sensu verborum recedant.

¹⁾ Cf. *Schmalzgrueber*, Ius ecclesiast. diss. prooem. n. 373.

a. Declarationes *comprehensivae* vim legis universalis habent sine ulteriore promulgatione, modo in forma authentica edantur.

a. Id de omnibus quidem congregationibus valet, praesertim vero de responsis S. C. C., cuius est authentice interpretari et declarare decreta concilii tridentini ad mores et disciplinam pertinentia.

β. *Promulgatione* hae declarationes ex multorum sententia non indigent, quia novam legem non continent, sed solum legem iam existentem et iam promulgatam interpretantur, nonnulli tamen auctores horum quoque decretorum promulgationem exigunt, si decreta explicant legem obscuram et dubiam.

b. Declarationes *extensivae* vim legis universalis non habent (sed solum particularis), nisi in forma authentica et consulto prius s. pontifice (exceptis decretis S. C. R.) editae et rite promulgatae fuerint. Cum enim declarationes novam legem contineant, a potestate legifera prophanare et rite promulgari debent.

Ergo decreta particularia, quae non continent declarationem universalem, omnes quidem in similibus adiunctis tamquam *normam probabilem* sequi possunt, sive aliquid licitum sive illicitum esse statuunt; illis autem decretis sacrae congregationes non intendunt dirimere controversias inter auctores de sensu legis existentes nec sententiam oppositam improbabilem declarare.

Articulus secundus.

De obiecto legis humanae.

Obiectum legis est, quidquid lex praecipere vel prohibere potest; et quoniam lex est medium, quo potestas publica finem communitatis procurat, obiectum legis esse potest, quidquid ad finem communitatis obtinendum necessarium vel utile est. Ex hoc generali principio sequitur ad valorem legis requiri, ut eius obiectum quatuor hisce proprietatibus insignitum sit: debet esse *honestum, iustum, possibile et utile.*

114. Honestum: omnis enim potestas legislativa est a Deo; Deus autem potestatem obligandi ad id, quod est inhonestum, dare nequit.

a. Inde sequitur legi, quae praecipiat rem inhonestam, obtemperandum non esse; in dubio autem, num id bonum sit, quod lege praecipitur, generatim praesumendum est illud esse honestum et licitum.

b. Attamen etiam actiones ex se *indifferentes* possunt esse materia legis: nam etiam actiones indifferentes possunt esse bono communitatis utiles vel nocivae. Eiusmodi actiones, eo quod sunt materia legis, ordinantur ad bonum subditorum et pro motivo, ex quo praecipuntur vel prohibentur, fiunt obiectum alicuius virtutis, e. g. certo die abstinere a carnibus fit exercitium mortificationis, stare inter orandum exercitium religionis.

115. Iustum: lex ex triplici capite dicitur iusta:

a. ratione *finis*, eo quod refertur ad bonum commune; b. ratione *materiae*, eo quod subditis imponuntur onera servata proportionae aequalitatis inter onera eorumque facultates; c. potissimum vero ratione *auctoris*, eo quod non excedit potestatem legislatoris. Quodsi praecipitur id, quod aliquo modo iustitiae repugnat, subditus per se obedire non tenetur; per accidens autem ad id teneri potest ex praecepto caritatis erga se ipsum, ne scilicet se periculo maioris mali exponat, e. g. si potestas politica statuatur impedimenta matrimonii vel tributa iniusta imponat.

Num lex humana possit praecipere actus mere internos:

a. Actus *mere interni* tum actus interni dicuntur, qui nullum actum externum adiunctum habent, tum actus interni, quos actus externi per accidens adiunctos habent. Actus enim *mixti* sunt duplicis generis: alii, in quibus actus internus aut *per se* et natura sua aut certe lege morali requiritur ad actum externum rite perficiendum e. g. actus religionis in iuramento, doloris in confessione, attentionis in oratione; alii, in quibus actus internus solum *per accidens* cum externo coniungitur, qui etiam sine illo rite fieret ut determinata intentio in oratione recitanda. Actus interni per accidens cum externis coniuncti ad actus mere internos referendi sunt.

b. Actus interni, qui non solum per accidens ad mixtos pertinent, duplici modo praecipiri possunt, *directe*, si ipse actus internus in se praecipitur, et *indirecte*, si solus externus in se et internus propter suam coniunctionem cum actu externo praecipitur, qui ex alia lege rite fieri debet.

1. Certum est *legem humanam* (etiam civilem) posse praecipere *actus mixtos*, actus scilicet internos, qui cum externis ita sunt coniuncti, ut externi sine illis rite non

fierent; et sane ecclesia praecipit *dignam* communionem paschalem et *fructuosam* susceptionem poenitentiae, et potestas civilis praecipit iuramentum.

Hi actus interni cum externis necessario coniuncti secundum alios etiam lege ecclesiastica solum *indirecte*, secundum alios vero etiam lege civili *directe* praecipuntur.

2. Certum est *potestatem civilem* non posse praecipere *actus mere internos*: hi enim ad finem societatis civilis directe nihil conferunt, quippe qui etiam sine illis sufficienter obtineri possit.

3. Disputant, num *ecclesia* possit praecipere *actus mere internos*. Complurium quidem auctorum sententia docet lege humana actus mere internos praecipere non posse, actus vero internos cum externis necessario coniunctos solum indirecte praecipere. Sententia tamen affirmans omnino praeferenda est, scilicet summum pontificem directe posse praecipere non solum actus mixtos, sed etiam actus mere internos.

a. Sententiam negantem tenent *s. Thomas, Suarez, s. Alphonsus*, cui negans est probabilior (n. 100), et plerique alii cum illis; affirmantem tuentur *Cardenas, Elbel* (n. 332), *Holzmann* (n. 314), *Ballerini-Palmieri* (n. 308), *Bouquillon* (n. 101), quibus nonnulli alii se adiungunt. Practice haec quaestio non est magni momenti, quia raro accidit, ut expediat praecipere actus mere internos; actus mixtos autem ecclesia omnibus concedentibus saltem indirecte praecipere potest. Quodsi superior ecclesiasticus actus mere internos praecipiat, etsi eius potestas dicatur dubia, tamen pro valore praecepti praesumendum eique parendum est. Hinc si iniungantur exercitia spiritualia, is, cui iniunguntur, ab illis integre peragendis sese excusare nequit sub praetextu, superiorem non posse praecipere actus mere internos.

b. Qui *negant*, ita argumentantur: non potest humana lege praecipere vel prohiberi, cuius executio humanis mediis urgeri et cuius omissio puniri non potest: frustra enim eiusmodi lex imponeretur. Insuper ecclesia est communitas visibilis; sed materia legum, quibus gubernatur communitas visibilis, solum sunt actus externi et sensibiles. Tandem ecclesia nunquam praecipit actus mere internos; atqui quod nunquam facit, ecclesia facere non posse censetur. Qui autem *affirmant*, ita dicunt: *α.* ecclesia praecipere potest, quidquid ad ipsius finem conducit; atqui licet ecclesia sit societas visibilis, est tamen etiam societas spiritualis intendens finem supernaturalem, cui actus mere interni probe consentanei sunt. *β.* Potestas legifera beato Petro illimitate concessa

est (*quidquid ligaveris*); ergo non est coarctanda ad actus externos, nisi id manifestis argumentis probetur. γ. Primum argumentum prioris sententiae nimium probat: exinde enim sequeretur neque actus mixtos neque externos occultos posse esse materiam legis ecclesiasticae. Insuper distinguenda est potestas mere directiva et potestas directiva et coactiva simul; atqui necessarium non est, ut ecclesia actus mere internos praecipiat potestate directiva et coactiva (externa) simul, sed sufficit, ut eos praecipiat potestate directiva, etsi eorum transgressionem punire non possit. Ceterum punire potest etiam actus mere internos per poenam nimirum ipso facto incurrendam. Tandem δ. ecclesia non solum potestatem exercet circa actus mere internos, ut ex iis patet, quae mox (sub c.) dicuntur, sed reipsa praecipit actus mere internos: iubentur enim e. g. sacerdotes missam celebrantes post sumtionem corporis Christi, ut *aliquantulum quiescant in meditatione sanctissimi sacramenti*, quae certe meditatio est actus mere internus, et summus pontifex sub poena suspensionis praecipit, ut clerici Romae ordinandi exercitia spiritualia peragant, quae ex actibus mixtis et mere internis (meditationes, examina) componuntur¹⁾. Eadem potestas praescribendi clero suae dioecesis exercitia spiritualia competit etiam episcopo²⁾.

c. In sequentibus hanc potestatem omnes concedunt:

α. Confessarius in foro sacramentali imponere potest actus mere internos e. g. piam meditationem;

β. Ecclesia interpretari potest legem naturalem et divinam, quae versatur circa actus mere internos: sic determinare potest, quoties actus fidei vel caritatis sit eliciendus; quoties ab animarum pastoribus missae sacrificium pro populo applicandum sit.

γ. Praescribere potest actus mere internos tamquam condicionem ad gratiam obtinendam; sic meditationem mysteriorum vitae et passionis Domini praescribit ad lucrandam indulgentiam viae crucis;

δ. Superiores regulares subditis suis iniungere possunt actus internos ratione voti obedientiae, quo se superioribus etiam relate ad hos actus subiecerunt e. g. orationem mentalem, examen conscientiae.

116. Possibile, non solum physice, sed etiam moraliter: ad impossibile enim nemo tenetur. Sane, lex cedere debet in bonum commune; atqui non cederet in bonum commune, si moraliter non esset possibilis: lex enim, quae excedit ordinarias subditorum vires, a maiore communitatis parte non servatur; lex autem, quae a plerisque non servatur, cedit potius in detrimentum communitatis. Ideo

¹⁾ Constitutio *Apostolicae sedis* V. 7.

²⁾ S. C. C. 20. sept. 1878. Cf. Acta s. Sedis XII. p. 609 ss.

communi consensu admittitur principium; *legem affirmativam non obligare cum incommodo proportionate gravi, quod per accidens cum observatione legis coniunctum est.*

a. Moraliter impossibile illud dicitur, quod solum cum magna difficultate, quae nempe prudentum iudicio superet humanas vires, effici potest. Quoniam autem praecepta tum divina tum humana diversae sunt necessitatis ac gravitatis, non eadem in omnibus difficultas ab observando praecepto excusat, sed quo gravius est praeceptum, eo maius debet esse incommodum in eius observatione subeundum, ut a praecepto excuset.

b. Pudor subeundus in confessione proprii peccati et propria diffamatio apud confessarium ex accusatione peccati incurrenda per se et intrinsecus cum confessione peccati coniuncta sunt, quare nunquam a confessione excusant; sed diffamatio ob confessionem peccatorum apud alios incurrenda per accidens et extrinsecus cum confessione coniuncta est, quare a confessione excusare potest.

Num lex praecipere possit actus heroicis, actus scilicet qui extraordinariae difficultatis sunt.

a. Lex positiva divina actus heroicis praecipere potest: nam hinc quidem Deus absolutus est hominum dominus, inde vero ipse hominum vires augere potest, quibus observatio legis etiam difficillimae fiat moraliter possibilis. Cum tamen non sit praesumendum Deum se velle obligare ad patranda miracula in ordine morali, lex positiva divina non censetur praecipere actus heroicis, ideo in casu magnae difficultatis potius lex cessare dicitur.

b. Lex humana actus heroicis per se praecipere non potest, nisi bonum commune ecclesiae vel civitatis id exigat, quia praeciperet, quod moraliter impossibile est, ideoque innumeris transgressionibus ansam praeberet.

Attamen aliquando etiam lex humana praecipere potest actus valde difficiles: *α.* Si lex imponitur determinato hominum coetui, quem quilibet libere ingreditur; sic moniales obligantur ad perpetuam clausuram, sacerdotes ad castitatem perfectam, nonnulli religiosi ad servitium infirmorum, qui peste infecti sunt; *β.* Si bonum commune id exigat: bonum enim commune praevalet bono privato; sic milites etiam cum periculo vitae hostem aggredi stationemque non deserere, et parochi tempore morbi contagiosi in parochia manere iubentur. Sunt tamen, qui dicant, in hoc casu potius legem naturalem quam positivam actum difficilem praecipere, legem scilicet, bonum commune praefereendum esse bono privato.

117. Utile communitati, quod ita intelligendum est, ut non solum materia legis, sed etiam modus, quo lex praecipitur (utrum mere poenalis, an praeceptiva, prohibens, an etiam irritans, obligans sub gravi, an sub levi), debeat esse utilis communitati: nam potestas ferendi leges in bonum commune concessa est.

Hinc lex, quae non esset utilis communitati aut solum cederet in utilitatem principis vel paucorum, non esset valida lex, utpote respiciens bonum privatum tantum. Et ideo lex amittit vim obligandi, ubi incipit fieri inutilis vel nociva communitati.

Num lex se extendat ad actus praeteritos.

Negandum est: cum enim lex sit regula agendorum, natura sua actus futuros respicit; ideo ortum est axioma: *lex non respicit retro*. Attamen si nova lex declarationem prioris contineret, ipsa sine dubio afficeret omnes actus positos inde a tempore legis prioris editae.

Quaestio quarta.

De subiecto legis.

Articulus primus.

De ipso subiecto legis.

118. Subiectum legis generatim sunt soli subditi legislatoris: nam legem ferre est actus superioritatis et iurisdictionis; iurisdictio autem exerceri non potest nisi in subditos.

Subiectum legis duplici modo obligari potest, aut solum *habitualmente* seu in actu primo, aut habitualiter et simul *actualiter* seu in actu secundo. Obligatio in actu primo dicitur *imperfecta*; obligatio autem in actu secundo *perfecta*. Qui actualiter lege obligatus est eamque non servat, *formaliter* peccat; qui solum habitualiter lege tenetur eamque transgreditur, peccat *materialiter*.

119. Subiectum legis in specie. 1. *Lege naturali* tenentur omnes homines, et quidem qui rationis compotes sunt, actualiter, qui rationis compotes non sunt, saltem habitualiter: lex naturae enim lata est omnibus naturam rationalem habentibus et ipso lumine rationis eis promulgatur; qui ergo actualem usum rationis habent, actu hac lege obligantur; qui solum potentia ratione utuntur, habitualiter obligantur. Ideo autem lex naturae etiam eos obligat, qui usu rationis carent, quia lex ista refertur ad ea, quae per se et necessario conveniunt vel disconveniunt cum natura rationali; quare violatio legis naturae omnibus naturam rationalem habentibus disconveniens est.

Ergo non licet incitare pueros aut perpetuo amentes ad aliquid, quod lege naturali prohibitum est e. g. ad blasphemiam, impudicitiam etc., nam etiam pueri, agentes contra legem naturae, *materialiter* peccant. Ille vero, qui puerum ad violandam legem naturae inducit, utpote violationis causa principalis, *formaliter* peccat. Cum primum pueri usum rationis habent, transgredientes legem naturae formaliter peccant.

2. *Lege positiva divina*, quae a Christo data est pro omnibus hominibus, omnes, lege autem, quae lata est pro fidelibus, soli fideles tenentur, cum primum rationis usum adepti sunt. Ideo omnes tenentur ecclesiam ingredi, baptismum suscipere, at non tenentur confiteri et eucharistiam suscipere nisi fideles.

Si quae ergo sunt leges divinae, quae aetati puerili iam conveniant, ad eas servandas pueri tenentur; sic pueri quoque, qui peccatum mortale admiserunt, confiteri et in morte omnes viaticum suscipere tenentur.

3. *Lege humana* tenentur omnes et soli subditi, qui habitualiter rationis compotes sunt. Ratio *primi*: soli subditi legibus a superiore latis ligari possunt. Ratio *secundi* est, quia legis positivae est actiones subditorum in finem communitatis dirigere; sed actiones eorum, qui nondum sunt rationis compotes, dirigi non possunt.

a. Infideles seu non baptizati non tenentur legibus ecclesiae, quia non sunt ecclesiae subditi; ideo per se licet diebus festis eis iniungere opera servilia.

b. Infantes et perpetuo amentes legibus ecclesiae non subiacent, quia ne habitualiter quidem ratione utuntur; ideo licet eis diebus prohibitis carnes praebere.

c. Amentes, qui lucida intervalla habent, ebrii, delirantes legibus ecclesiae subiacent, quia habitualiter ratione utuntur; ideo non licet eis diebus prohibitis carnes praebere: quamvis enim comedendo carnes formaliter non peccent propter defectum cognitionis, peccant tamen materialiter, quia lege tenentur, cum habitualiter sint rationis competes et solum hic et nunc eius usu careant.

Num haeretici teneantur legibus ecclesiae. — Nullum est dubium, quin haeretici, schismatici, apostatae per se teneantur legibus ecclesiae: nam per baptismum facti sunt ecclesiae subditi; a peccato tamen plerumque excusantur, quia plerique ignorant se teneri legibus ecclesiae¹).

Sunt tamen auctores, qui opinantur haeticos, qui in secta iam a longo tempore constituta nascuntur, iis legibus non teneri, quae immediate ad sanctificationem animae tendant ut lex de sanctificatione festorum, de ieiunio: censent enim ecclesiam nolle urgere has leges, quia hoc magis in destructionem quam aedificationem cederet; tenentur autem legibus, quae tutelam ordinis publici intendunt, ut sunt leges de impedimentis matrimonii²). Ex eo tamen, quod haeretici hisce legibus non teneantur, non licet inferre catholicis eis legum violationem suadere vel iniungere posse, quia ecclesia non permittit, ut a catholicis ad agendum contra legem inducantur.

Iam quaeritur, qua ratione legibus humanis teneantur a. ipse legislator; b. pueri; c. clerici; d. regulares; e. peregrini; f. vagi.

120. De legislatore.

a. Duplex imprimis distinguenda est vis legis: *praeceptiva* vel *directiva*, quae solum obligat ad servandam legem et ad incurrendam culpam in conscientia, et *coactiva*, quae etiam obligat ab subeundam poenam in transgressores statutam. Insuper vis *praeceptiva* alia dicitur *directa*, si obligatio oritur ex ipsa lege et voluntate legislatoris, alia *indirecta*, si lex solum est occasio, qua posita obligatio ex alio fonte

¹) *Graeci* catholici ligantur quidem definitionibus ecclesiae de fide et moribus, sed legibus disciplinaribus, etsi universalibus, non tenentur, nisi ad ipsos quoque expresse extendantur.

²) Cf. *Marc*, Institutiones morales Alphons. 7 (Romae. Cuggiani. 1893) I. n. 198. *Génicot*, Casus conscientiae (Lovanii Polleunis et Ceuterick. 1901) p. 22.

e. g. ex lege naturali procedit. Iam quaeritur, num legislator teneatur legibus a se latis.

b. Legislator vel est collegium plurimum, quod solum potestatem legiferam exercere potest ut in republica collegium deputatorum vel synodus provincialis vel capitulum generale in quibusdam ordinibus religiosis, vel est singularis persona ut papa, episcopus, imperator, qui solus leges condere potest.

1. Qui componunt collegium potestate legifera insignitum, tenentur legibus a se latis: singuli enim collegio, quod potestate legifera pollet, vere subiiciuntur. Ergo praeses reipublicae tenetur legibus reipublicae, metropolitanus legibus synodi provincialis, praelatus regularis legibus capituli generalis.

Singularis relatio, qua summus pontifex refertur ad concilium oecumenicum, qua nimirum est supra concilium, efficit, ut ipse non sit subiectus legibus in concilio oecumenico latis.

2. Legislator, qui solus ferre potest leges, non tenetur suis legibus quoad vim coactivam, sed solum quoad vim praeceptivam, attamen indirecte tantum.

Ratio *primi* est, quia nemo se ipsum obligare potest vi coactiva, id quod omnes concedunt, ideo nec papa nec episcopus incurrit censuras a se latas. Ratio *secundi* est, quia solum inferior a suo superiore, nemo autem a seipso vere et directe obligari potest, quod communiter ab auctoribus conceditur. Ratio *tertii* est, quia lege naturali tenetur legislator se conformare suis subditis in observatione legum, quas ipse condidit: bonum enim commune, quod procurare tenetur, maxime promovetur bono exemplo: insuper decet, ut caput communitatis se conformet communitati, cui praeest.

3. Legislator autem, qui legem a se latam sine causa non observat, secluso scandalo graviter non peccat et accedente rationabili causa a lege omnino excusatur, etsi subditi eam violantes graviter peccent: ipse enim ex alia lege et ex alio fine obligatur, scilicet ut se conformet communitati, cui praeest, id quod exigit aequitas et decentia.

121. De pueris.

Notandum est infantes vocari, qui 7. aetatis annum nondum impleverunt; post septennium expletum *impueres* vocantur, pueri quidem usque ad 14., puellae autem usque ad 12. aetatis annum completum; completa hac aetate *pueres* vocantur.

1. *Pueri ante septennium* completum non tenentur legibus ecclesiasticis, etiamsi usum rationis iam sint adepti: leges enim humanae non obligant nisi rationis compotes; sed quia leges humanae attendunt communiter contingentia et communiter non contingit, quod pueri ante septennium completum usum rationis habeant, ideo lege ecclesiastica ante septennium completum non censentur obligari, etsi constet eos iam habere usum rationis.

a. Si certum est eos post septennium expletum nondum pervenisse ad usum rationis, legibus certe non tenentur; si (negative) dubium est, num pervenerint, usus rationis praesumitur, ideoque legibus tenentur; si positive dubium est, non tenentur.

b. Ideo non peccant, ne materialiter quidem, pueri, qui ante septennium completum diebus prohibitis carnes manducant, diebus festivis missam non audiunt, etsi usum rationis iam sint adepti. Monendi sunt autem parentes, ut pueros iam ante septennium legibus ecclesiae servandis assuefaciant: postea enim iam assueti eas facilius servabunt.

2. *Pueri post septennium* completum tenentur legibus ecclesiasticis, *quae eorum aetati conveniunt*: hac enim aetate capaces sunt obligationis; ergo obligatio eos afficit, nisi ecclesia aliud determinet. Ideo tenentur missam audire, a carnibus abstinere, semel saltem in anno confiteri; at non tenentur ieiunare, nec statim expleto septennio communionem paschalem suscipere.

3. *Impuberes* non incurrunt ordinarias *poenas ecclesiasticas*: licet enim poenis ecclesiasticis puniri possint, iis tamen, quae sunt latae sententiae, nondum censentur subiacere, quia poenas ecclesiasticas earumque rationem hac aetate nondum intelligunt. Quocirca non incurrunt censuras una excepta, quae in iure specialiter exprimitur¹⁾.

122. De clericis legibus civilibus subiectis²⁾.

1. *Summus pontifex*, etsi non esset princeps saecularis,

¹⁾ Significatur censura in violantes clausuram monialium lata. Cf. *De praeceptis* n. 786. — Ab incurrendis *casibus reservatis* impuberes ordinarie non eximuntur; in hac tamen dioecesi *brixinensi* ex speciali dispositione ordinarii casus reservatos non incurrunt.

²⁾ Quae hic statuuntur, cohaerent cum doctrina iuris de *immunitate ecclesiastica personali*. Cf. *Suarez*, De legibus l. 3. c. 34. *Lehmkuhl* I. n. 139 s.

tamquam supremum caput ecclesiae Christi, quae est societas perfecta per omnia regna terrae diffusa, iure divino a quavis iurisdictione auctoritatis civilis immunis est, nisi ipse ultro ad tempus se ei subiicere velit, sicut summi pontifices primorum saeculorum imperatoribus romanis de facto, non de iure subiecti erant.

2. Summo pontifici ius competit eximendi a iurisdictione civili *tum episcopos tum clericos*. Sunt, qui doceant episcopos ut ecclesiae principes eo ipso a iurisdictione civili iam exemptos esse.

Docet concilium tridentinum personarum ecclesiasticarum immunitatem *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus* constitutam esse¹⁾. Scilicet iure divino clerici eximuntur a potestate saeculari et unice potestati ecclesiasticae subiiciuntur, eo quod ii, qui caractere ordinis insigniti sunt, iure divino a laicis distinguuntur eisque praeponuntur. Simul ecclesiae facta est potestas clericalem ordinem ampliandi atque determinandi, quinam et quibus in rebus actu immunes esse debeant a iurisdictione saeculari²⁾.

3. *Clerici* leges civiles quoad *vim directivam* servare tenentur, quae dignitati status clericalis non adversantur.

a. Omnes consentiunt clericos ad observationem legum civilium in conscientia teneri, obligationem vero non omnes ex eodem fonte derivant: alii enim censent a lege naturae, alii ab ipsa lege civili, alii tandem a voluntate ecclesiae eam descendere. Secundam sententiam nostra aetate tuetur *Wernz* I. n. 108.), tertiam *Lehmkuhl* (I. n. 140).

b. Leges, quae statum clericalem non decent, ut sunt leges militiae, clerici observare non tenentur: ecclesia enim eorum subiectionem erga has leges non exigit. sed potius reprobatur: atqui contra voluntatem ecclesiae potestas civilis clericos suis legibus subiicere non potest. Si tamen etiam huiusmodi leges contra voluntatem ecclesiae servare coguntur, praemissa protestatione contra vim illatam, si ea ad praecavendum scandalum necessaria reputetur, vi cedere et legem servare debent.

4. Clerici leges civiles quoad *vim coactivam* servare non tenentur: a legibus enim poenam decernentibus vi privilegii fori ecclesia clericos reipsa immunes constituit. Cum tamen hodie potestas civilis hanc clericorum exemptionem non amplius agnoscat, sed clericos aequae ac laicos

¹⁾ Sess. 25. c. 20. De reform.

²⁾ *Ballerini-Palmieri* IV. n. 521.

omnibus legibus civilibus subiiciat, videndum est, num ecclesia subiectionem clericorum sub certis legibus poenali-
libus vel expresse per concordata vel tacite per quandam
conniventiam permittat vel saltem toleret.

123. De regularibus episcopi legibus subiectis.

1. *Regulares exempti* per se non tenentur legibus ordina-
riorum, in quorum dioecesibus existunt: privilegium enim
exemptionis in hoc ipso consistit, quod regulares ab ordi-
naria episcoporum iurisdictione eximantur et soli romano
pontifici immediate subsint.

2. Complures tamen sunt casus, in quibus regulares
exempti episcoporum iurisdictioni sive ordinariae sive dele-
gatae subiiciuntur¹⁾.

Quandoque *per accidens* etiam in iis se subiicere debent episcopis,
in quibus per se exempti sunt, ubi nempe vel ad vitandum scandalum
vel ad bonum commune promovendum subiectio necessaria est.

3. Regularium ecclesiae et monasteria probabiliter
considerari possunt ut *loca exempta*, adeo ut personae non
exemptae legibus dioecesanis non subsint, quamdiu in illis
morantur²⁾.

124. De peregrinis.

a. *Peregrinus* dicitur, qui, habens alicubi domicilium vel quasi-
domicilium, extra illud versatur cum animo solum ad breve tempus
ibi manendi.

b. *Principium*, ex quo singulae quaestiones huc pertinentes sol-
vuntur hoc est: ut lex obliget, praeter cognitionem legis duo requi-
runtur: α. ut quis sit subditus legislatoris; β. ut sit in territorio,
quod lege afficitur.

1. Peregrini non tenentur *legibus particularibus sui
domicilii*: leges enim territoriales, i. e. ita territorio affixae
sunt, ut extra illud non se extendant; atqui peregrinus
extra territorium est, quod lege afficitur³⁾.

¹⁾ Hos casus enumerat: *Ballerini-Palmieri* VII. n. 51 s.

²⁾ Cf. *S. Alphonsus* l. 1. n. 156. *Ballerini-Palmieri* I. n. 346 ss.

³⁾ Leges et statuta superiorum regularium obligant etiam extra
territorium, quia iurisdictionio superiorum regularium subditos non afficit

a. Qui die ieiunii particularis extra territorium suum versatur, ieiunium servare non tenetur. — Qui mane discedens e loco, ubi non est ieiunium, redit in locum domicilii sui, ubi servandum est ieiunium, potest ibi mane carnibus plene se reficere, etsi sciat se meridie iam futurum esse in loco domicilii sui, domi tamen a carnibus abstinere et ieiunium eatenus servare debet, quatenus adhuc servari potest. — Qui mane discedit e domicilio suo, in quo est ieiunium, certo sciens se vespere futurum esse in loco, in quo ieiunium non est, potest iam mane plene se reficere, quia ieiunium ut res indivisa praecipitur, a carnibus autem abstinere debet, quia abstinentia singulas comestiones prohibet¹⁾.

b. Qui tamen territorium elapso demum tempore ad legem implendam utili relinquit, quin legi satisfecerit, contra legem peccat, ut si quis locum, in quo celebratur festum particulare, elapso tempore ultimi sacri deserat, quin missam audierit; qui vero eum ita deserit, ut ante tempus ultimae missae pervenerit extra locum, ubi celebratur festum, non peccat, si nullum sacrum audiat: nam si mansisset in loco, ubi praeceptum obligabat, poterat impletionem differre ad id tempus, quando autem pervenit ad alium locum, desinit obligatio²⁾.

2. Non gaudent *privilegiis sui domicilii*: privilegia enim pari modo territorialia sunt, quae proinde peregrini per discessum e loco domicilii amiserunt.

Qui veniens e loco domicilii sui, ubi feriis quatuor temporum licet carnes comedere, moratur in loco, ubi hoc privilegium non existit, non potest licite carnes comedere.

3. Non tenentur *legibus particularibus loci, in quo versantur*: leges enim non obligant nisi subditos; subditus autem solum est, qui domicilium vel quasi-domicilium habet in territorio legislatoris. Quodsi eadem lex in utro-

ratione territorii, sed ratione voti obedientiae, quo personaliter superioribus subiiciuntur.

Quod dicitur de peregrino, qui nempe versatur extra territorium, valet etiam de eo, qui reperitur in loco exempto: nam locus exemptus considerari debet ut locus extra territorium legislatoris positus. Porro loca exempta certe sunt parochiae vel oppida, quae alii ordinario sunt subiecta; et probabiliter etiam ecclesiae et monasteria regularium. Hinc si episcopus sub excommunicatione clericis prohiberet lusum alearum, clerici ludentes in loco exempto excommunicationem non incurrerent.

¹⁾ Cf. *De praeceptis* n. 663. n. 670.

²⁾ *S. Alphonsus* n. 157.

que domicilio vigeat, alii, magis inhaerentes principiis supra expositis, peregrinos a lege immunes declarant, alii autem ex quadam aequitate eos ad legem servandam probabiliter obligant¹⁾.

Qui relinquit locum domicilii sui, in quo est particulare ieiunium, et venit in locum, ubi pariter est speciale ieiunium, hic non tenetur ieiunare: non ratione praecepti sui domicilii, quia est extra territorium; non ratione praecepti alterius loci, quia non est subditus legislatoris.

4. Peregrini *gaudent privilegiis loci, in quo versantur*: nimium enim incommodum subire deberent, si ipsi servare tenerentur leges, quas alii in eodem loco non observant.

Qui tempore quadragesimae versatur in dioecesi brixinensi, diebus, quibus concessum est indultum, bis in die carnes comedere potest, etsi in loco domicilii sui hoc privilegium non existat.

5. Peregrini tamen tenentur *legibus communibus*, quae vigent in eo loco, ubi versantur, etsi in suo domicilio essent abrogatae, sic germani diebus hebdomadae sanctae Romae ieiunare debent more romano: lex enim territorium afficit, ipse autem peregrinus est subiectus legislatori communi. Insuper servare tenentur: *a.* leges locales, quae respiciunt contractus: de his enim valet axioma: locus (i. e. lex localis) regit actum; *b.* leges locales, quarum transgressio in detrimentum loci vergeret, in quo versantur, ut si prohibitum esset merces exportare vel ratione securitatis arma gestare; *c.* leges, quae speciatim pro peregrinis latae sunt.

6. Qui legi communi in suo territorio iam satisfecit, non tenetur iterum satisfacere, si venerit in locum, ubi idem praeceptum serius urget, quia non existit obligatio idem praeceptum bis adimplendi.

Sic italus, qui domi ieiunavit in vigilia s. Petri, non tenetur iterum ieiunare in Gallia sequenti sabbato, in quod ieiunium ibidem

¹⁾ Ex voluntate ecclesiae exceptio facienda est quoad *orationes* ab episcopo loci imperatas, quae recitari debent ab omnibus omnino sacerdotibus missam in dioecesi celebrantibus, tum a regularibus tum a peregrinis S. C. R. 3. apr. 1821 n. 2613; 5. mart. 1898 n. 3985

translatum est. Si tamen scandalo esset aliis, eo quod legem, a qua immunis est, non observet, ratione scandali eam servare teneretur¹.

125. De vagis. *Vagus* dicitur, qui nullibi nec domicilium nec quasi-domicilium habet. *a.* Sunt (Suarez, Sanchez et alii), qui dicant, vagos teneri ad leges loci, in quo versantur. Alii autem (Lessius, Laymann etc.) docent ipsos non teneri ad ullas leges particulares locorum excepto triplici casu, de quo supra (5) dicitur, sed tantum ad leges universales ecclesiae. Quam sententiam, cum sit probabilis, sequi licitum est. *b.* Omnes concedunt vagos *puniri* posse, ubi delinquant, ne eorum scelera impunita maneant.

Nota. Praeceptum *personale*, item privilegium personale eum, cui datum est, ubique sequitur; ubique ergo dispensatione uti potest, sicut ubique praeepto adstringitur.

Articulus secundus.

De domicilio ecclesiastico.

126. Notiones. 1. Eo aliquis fit subditus legislatoris particularis, quod in eius territorio domicilium vel quasi-domicilium acquirit. Ideo hoc loco, quantum fieri potest, accurate determinari debet: *a.* quomodo aliquis in pa-

¹ **Casus.** In loco S. festum ss. apostolorum Petri et Pauli translatum est in sequentem dominicam et sabbato servandum est ieiunium vigiliae; in loco U. festum principum apostolorum ipso die 29. iunii recolitur et die praecedenti servatur ieiunium, qui dies hoc ipso anno supponatur incidere in feriam quartam.

a. Si civis loci S. feria quarta versatur in loco U. certo sciens se sabbato proximo futurum esse in loco domicilii sui, in rigore iuris in U. ieiunare debet, quia urget obligatio legis universalis. Si tamen iustam causam haberet potius domi ieiunandi sabbato sequenti, in hunc diem ieiunium transferre potest, modo legem universalem ecclesiae semel observet. Quodsi in loco U. legitime a ieiunio non excusatur, tenetur domi sabbato ieiunare.

b. Si civis loci U. feria quarta versatur in S. et sabbato, quo die in S. ieiunant, iterum domi reperitur, in rigore iuris semel ieiunare

rochia acquirat et amittat *domicilium*; *b.* quomodo in parochia acquirat et amittat *quasi-domicilium*¹⁾. *Domicilium* in dioecesi solum mediante domicilio in aliqua dioecesis parochia acquiri potest.

2. *Domicilium* est habitatio in parochia cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet; *quasi-domicilium* est habitatio in parochia cum animo ibi manendi per maiorem anni partem.

3. Duplex distinguitur *domicilium*: *voluntarium*, quod per se i. e. propria electione acquiritur, et *legale* seu necessarium, quod per alium seu ex dispositione legis acquiritur.

Patet non ad leges civiles, sed ad statuta legis ecclesiasticae attendendum esse, ubi agitur de acquirendo vel amittendo *domicilio ecclesiastico*. Ideo locus domicilii est *parochia*, non urbs aut oppidum, et condiciones ad acquirendum vel amittendum *domicilium* requisitae ex iure canonico, non ex iure civili petendae sunt.

127. Quomodo acquiratur vel amittatur.

I. De acquirendo domicilio.

1. Ad acquirendum *domicilium voluntarium* duo simul concurrere debent: *a.* factum habitationis, i. e. ut quis actu in aliquo loco habitare incipiat; et *b.* animus perpetuo ibi manendi, nisi nova aliqua ratio eum avocet.

a. *Domicilium* acquiritur ex eo die, quo haec duo simul adsunt; necesse non est, ut quis per aliquod tempus iam ibi habitaverit.

β. Si de animo perpetuo ibi manendi non constat, ille ex variis indiciis, quae moralem certitudinem pariant, concludi debet. Eiusmodi indicia sunt: habitatio assidua, translatio maioris partis bonorum, acquisitio bonorum immobilium, assertio praesertim iuramento firmata.

debet: nulla enim conceditur dispensatio a ieiunio, neque in loco S. neque in loco U.: ergo non potest uti privilegio dispensationis, quod nullibi conceditur; cum tamen in loco S. existat privilegium differendi ieiunium in sequentem diem sabbati, hoc privilegio uti potest. Quodsi ieiunando eo die, quo alias nemo ieiunat, magnum incommodum subire debet, per accidens eo anno propter hoc incommodum a ieiunio excusatur.

¹⁾ Cf. *Laurin*, Wesen und Bedeutung des Domizils (Archiv f. k. Kirchenrecht: Bd. 26. S. 165).

γ. In iure ecclesiastico nihil impedit, quominus quis plura habeat domicilia, requiritur autem, ut fere aequali modo in illis locis habitet, e. g. hiemali tempore in uno, aestivo in altero loco.

2. Domicilium *legale* acquirunt personae in lege determinatae: *a.* uxor acquirit domicilium mariti illudque, si facta fuerit vidua, retinet, donec aliud acquisierit; *b.* filii habent domicilium patris, quamdiu sub eius potestate sunt; filiusfamilias, qui factus est maiorennis, retinet domicilium patris, donec eo relicto aliud acquisierit; *c.* pupilli domicilium habent tutorum.

Ubi minorenes et pupilli domicilium habeant, desumendum est ex iure civili (provinciali non romano), cum ius canonicum de hac re nihil disponat. Iam vero ex iure civili minorenes et pupilli acquirere possunt quasi-domicilium, domicilium autem habent et retinent patris vel tutoris¹⁾.

II. De amittendo domicilio:

Amittitur domicilium, si haec duo simul concurrunt: *a.* actualis discessus e loco domicilii; et *b.* animus non redeundi. Sicut solus discessus e loco domicilii ad amittendum domicilium non sufficit, ita nec solus animus non amplius in eo loco manendi sufficit.

Domicilium ex eo die amittitur, quo haec duo simul adsunt neque necesse est, ut alibi domicilium aut quasi-domicilium acquisitum sit.

III. De acquirendo quasi-domicilio.

Acquiritur quasi-domicilium, si haec duo simul concurrunt: *a.* factum habitationis in aliquo loco; et *b.* animus ibi manendi per *maiolem anni partem* i. e. per sex menses.

α. Etiam quasi-domicilium acquiritur ex eo die, quo haec duo simul adsunt, nec requiritur, ut quis per aliquod tempus iam ibi habitaverit.

β. Quamdiu ad acquirendum quasi-domicilium necesse sit, ut quis in loco manere velit, auctores non conveniunt: alii enim requiri dicunt, ut animum habeat manendi *per maiorem anni partem* ideoque per sex menses; alii sufficere censent, si animum habeat ibi manendi per *notabilem* anni partem ideoque per quatuor vel quinque menses. Recentiora

¹⁾ C. G. n. 8. 11.

tamen ss. congregationum decreta habitationem per maiorem anni partem exigunt¹⁾).

γ. Ad quasi-domicilium in aliquo loco acquirendum requiritur vera et proprie dicta habitatio in eodem loco; non sufficit, ut quis in aliqua regione instar itinerantis de loco in locum migret²⁾).

δ. Ergo officiales publici, iudices, professores, discipuli, famuli, ancillae etc., qui ratione officii, studii vel negotii gerendi in aliquo loco degunt cum intentione per longius tempus ibi manendi, in eo loco quasi-domicilium habent.

ε. Si de animo per longius tempus in aliquo loco manendi non constat, iste ex variis indiciis praesumi debet. Quodsi sponsi e. g. spatio saltem unius mensis vel ambo vel alteruter in matrimonii loco habitaverint, praesumenda est intentio permanendi per longius tempus³⁾).

IV. De amittendo quasi-domicilio.

Amittitur quasi-domicilium, si haec duo simul concurrunt: *a.* actualis discessus e loco quasi-domicilii; et *b.* animus non redeundi.

¹⁾ *S. Officium* 7. iun. 1863.

²⁾ Quaestionem controversam, num *commoratio sex mensium mere materialis* in aliquo loco, quin unquam adfuerit animus ibi permanendi per maiorem anni partem, ad acquirendum quasi-domicilium sufficiat, s. *Officium* dirimere noluit, in casu tamen particulari eam sufficere declaravit. *S. Officium* 9. nov. 1898.

³⁾ Qua de re notandum est decretum s. *Officii* pro statibus Americae confoederatis 6. maii 1886 editum: „In statibus Americae confoederatis se transferentes e loco, ubi viget caput *Tametsi*, in alium locum, dummodo ibi continuo commorati fuerint per spatium saltem unius integri mensis, censendos esse ibidem habere quasi-domicilium in ordine ad matrimonium, quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per maiorem anni partem.“ Id ergo hisce concessum videtur, ut in statibus Americae foederatis habitatio per integrum mensem ad acquirendum domicilium respectu matrimonii sufficiat.



Quaestio quinta.

De promulgatione et acceptatione legis.

128. Promulgationis notio atque necessitas. 1. *Promulgatio* definitur externa legis propositio a legislatore sollemniter facta communitati.

a. Promulgatio fieri debet a *legislatore*, quia lex omnia ea, quae ad ipsam plene constituendam requiruntur, habere debet a legislatore. *Sollemnis* seu actu publico iussu legislatoris facta (voce praeconis, affixione in loco publico), quo subditis certo constet legem promulgari.

b. Promulgatio legis differt ab eiusdem *divulgatione*, qua, facta iam promulgatione, in diversis locis inter subditos diffunditur, ut ad omnium notitiam deveniat. Patet divulgationem ad valorem legis necessariam non esse. Differt etiam a *notitia* seu cognitione legis: nam notitia legis nondum promulgatae non inducit obligationem; promulgatione autem facta lex obligat (in actu primo) etiam eos, qui legem adhuc ignorant. Qui ergo legis nondum promulgatae privatam notitiam habet, non peccat, si contra legem agit; qui autem contra legem iam promulgatam agit, materialiter peccat, etsi eam ignoret.

2. Promulgatio *necessaria est*, ut lex obtineat vim obligandi: lex enim subditos obligare nequit, nisi ipsis voluntas legislatoris obligandi subditos intimata sit; intimatur autem per promulgationem; quare lex ante promulgationem non obligat.

Qui affirmant promulgationem non solum condicionem necessariam ad legis obligationem inducendam, sed elementum constitutum ipsius legis esse, ita argumentantur: lex formaliter est regula publica morum et fertur a principe ut est persona publica; atqui regula per publicationem constituitur publica; ergo lex per publicationem formaliter constituitur lex.

129. Promulgationis modus. Iure naturae requiritur et sufficit ille *promulgationis modus*, quo subditi legem ut a principe promulgatam cognoscere possint. Cum ad hunc finem obtinendum modi extent diversi, legislatoris est illum eligere, qui ipsi ad finem aptus videatur; modus autem a legislatore electus plane sufficiens censi debet.

a. Iam vero romani pontifices a compluribus saeculis sufficientem habent promulgationem, qua *leges ecclesiasticae* Romae in locis publicis affigantur, quin necesse sit eas in singulis provinciis vel dioecesibus promulgare, nisi in *particulari casu ipse legislator aliud statuerit*.

Ex voluntate *Concilii tridentini* lex de clandestinitate matrimoniorum ad obligationem inducendam promulgari debuit in singulis parochiis. *Leo XIII.* voluit, ut constitutio *Romanos pontifices* (8. maii 1881) obligatoria non esset, nisi post promulgationem in Anglia factam.

b. *Leges episcopales* sufficienter promulgatae censentur, si in urbe episcopali publicantur (eo quod e. g. in ecclesia cathedrali publice legantur vel in eiusdem valvis affigantur) vel si in folio dioecesano inseruntur.

a. Quidquid auctores olim in utramque partem disputaverint, hodie dubium esse nequit, quin *leges ecclesiasticae Romae* promulgatae totius orbis fideles obligent, sive sunt *leges praeceptivae* sive *poenales*, nisi ipse legislator alium modum promulgationis praescripserit, ut de lege clandestinitatis factum est. *Leges ecclesiasticas* ex voluntate summorum pontificum a compluribus (circiter a sex) saeculis vim habere obligandi, si Romae promulgatae fuerint, constat α . ex formula, quae constitutionibus pontificiis apponi solet, eas nempe sic publicatas ab omnibus, ad quos spectant, perinde habendas esse, ac si unicuique illorum personaliter exhibitae fuissent; β . ex usu et praxi s. sedis, apud quam lites definiuntur pro toto orbe secundum *leges Romae* tantum promulgatas¹⁾.

b. Ratio, ob quam plures iique non ignobiles auctores autumarint *leges pontificias* in singulis provinciis promulgandas esse, haec est: Ius romanum statuit *leges novas* non solum in urbe principe, sed etiam in singulis provinciis promulgandas esse; ius autem pontificium de modo promulgationis nullum peculiare statutum edidit. Iam vero ex canone communi auctorum doctrina recepto, ubi ius ecclesiasticum de aliqua re nihil in specie statuit, censetur acceptare dispositiones iuris romani. — Verum ex declaratione romanorum pontificum haec iuris civilis dispositio non est acceptanda. Sic etiam ambae constitutiones pontificiae *Apostolicae sedis* (12. oct. 1869) et *Officiorum ac munerum* (25. ian. 1897) ex voluntate s. pontificis post promulgationem Romae factam omnes fideles obligarunt²⁾. Ex hac doctrina sequitur, obliga-

¹⁾ Bouquillon, *Theologia moralis fundament.*² (Brugis. Bayaert 1890) n. 106.

²⁾ Cf. *Ballerini-Palmieri* I. Appendix II. De promulgatione legis pontificiae.

gationem legum ecclesiasticarum per *placetum regium* impediri non posse, cum earum promulgatio Romae facta sufficiat, ut ubique vim obligandi obtineant.

c. De facto leges ecclesiasticae Romae promulgatae quandoque ad earum notitiam divulgandam per nuntium apostolicum vel per archiepiscopum cum episcopis communicantur, a quibus deinde per dioecesim vulgantur. Optandum quidem, sed tamen necesse non est, ut episcopi leges ecclesiasticas e. g. decreta et decisiones romanarum congregationum in suis dioecesibus promulgent: etenim cum primum certa notitia alicuius decreti vel decisionis e. g. per folia publica fide digna ad nos pervenit, ad illam servandam obligamur.

130. Quando lex obligare incipiat. Facta promulgatione lex, cui nullus praefixus est terminus inchoandae obligationis, *omnes obligat, ad quos illius notitia pervenit*; elapso autem bimestri haec notitia ad omnes pervenisse censetur: spatio enim duorum mensium iudicio prudentum lex rite promulgata ab omnibus cognosci potest. Quodsi legi praefixus est terminus, a quo vim obligandi habere incipiat, sicut ante illum terminum neminem obligat, ita elapso termino quilibet legem scire praesumitur.

a. Non solum leges inferiorum praelatorum, sed etiam leges pontificiae per se statim post promulgationem omnes obligant, nisi aliud ab ipso legislatore statutum fuerit. Attamen bimestri post promulgationem nondum elapso quoad legem poenalem et irritantem in foro externo, saltem extra curiam romanam, excusatio ignorantiae facilius admittitur; bimestri autem elapso cognitio legis praesumitur¹⁾.

b. Notanda est sententia probabilis *s. Alphonsi*, vi cuius leges pontificiae (disciplinares) bimestri post promulgationem nondum elapso neque in foro externo neque in foro interno quemquam obligant, etsi legis notitiam habeat. Haec sententia hocce argumento firmatur: ubi deest legis canonicae dispositio, standum est iuri romano; sed in iure romano leges duobus mensibus post promulgationem obligare coeperunt²⁾.

c. Attamen leges ecclesiasticae, quae *definitiones fidei* continent vel legem divinam declarent, statim omnes in conscientia obligant, qui legis cognitionem utcumque acceperunt: eiusmodi enim leges, cum iam sint promulgatae, ad inducendam obligationem non promulgatione, sed sola cognitione indigent.

¹⁾ Cf. *Wernz* I. n. 101.

²⁾ *S. Alphonsus* n. 96. q. 2.

131. De acceptatione legis.

Lex acceptari dicitur, eo quod a subditis incipit observari; *lex promulgata* et cognita, quae a subditis non observatur, non *acceptari* dicitur.

1. *Acceptatio* populi non requiritur, ut *lex vim obligandi* obtineat: superior enim independenter ab *acceptatione* populi potestatem et voluntatem habet obligandi subditos, nec vera potestas legifera in principe consistere posset, si valor legum ab *acceptatione* populi penderet.

a. Id de lege civili adeo verum est, ut contraria propositio damnata sit¹⁾: de lege ecclesiastica autem contrarium affirmare etiam haeresim saperet: fide enim certum est potestatem legiferam eamque prorsus a populo independentem summum pontificem immediate a Christo accepisse.

b. Fieri tamen potest, ut alicubi *lex lata iure* non recipiatur, si nimirum ibi vigeat contraria consuetudo, quae per legem addita clausula derogatoria non aufertur.

2. Si *lex rite promulgata* non servetur, statim consuetudo contraria oriri potest. In hoc casu illi, qui initio legem transgrediuntur, plerumque peccant, quando autem consuetudo contraria legitime praescripta est, subditi legem non servantem non amplius peccant. Patet effectum contrariae huius consuetudinis eundem esse, ac si *lex* non fuisset acceptata.

3. Si *lex aliqua disciplinaria* videatur populo nimis difficilis vel rerum adiunctis minus conveniens, ad legislatorem appellatio fieri potest; interim vero obligatio legis ex praesumpto consensu legislatoris suspenditur. Quodsi deinde legislator obligationem non urget, eam revocare censetur.

a. Quare episcopi leges pontificias per se acceptare et subditis promulgare tenentur, si tamen legem aliquam suae dioecesi minus convenientem vel etiam noxiam iudicaverint, rationes suas s. sedi exponere possunt et debent; interim s. pontifex censetur nolle obligare: deinde vero eius definitioni parendum est. Quodsi nihilominus episcopo *lex suae dioecesi certo noxia* videatur, non tenetur eius observationem urgere.

¹⁾ *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.* Propositio 28. ab *Alexandro VII.* damnata.

b. Communis sententia canonistarum *legem non receptam non obligare*¹⁾ duplicem verum sensum admittit: α. lex non recepta non obligat, quando per legitimam consuetudinem abrogata est; β. lex ob nimiam difficultatem non recepta non obligat.

Quaestio sexta.

De interpretatione legis et de epikia.

132. Definitio. *Interpretatio* definitur genuina legis explicatio. Interpretatio fieri debet iuxta mentem legislatoris: eo enim tota interpretatio tendit, ut voluntas legislatoris, quam habuit, dum legem conderet, quaeratur et determinetur. Mens autem legislatoris quaeritur, quae verbis legis (considerato eorum contextu, obiecto, fine ceterisque adiunctis) continetur; ideo mens legislatoris, quae verbis legis nulla ratione continetur, non est attendenda.

133. Divisio interpretationis. a. *Ratione auctoris* dividitur in *authenticam*, quae fit ab ipso legislatore vel ab alio, cui legislator potestatem interpretandi fecit; in *usualem*, quae fit a subditis per modum, quo legem observant; in *doctrinalem*, quae fit a viris doctis secundum regulas genuinae interpretationis. Quia lex secundum modum, quo observatur, interpretanda est, ortum est adagium: *consuetudo optima legum interpretis.*

b. *Ratione modi* in *comprehensivam* seu declarativam, quae legem ex propria et usitata verborum significatione explicat, ut si nomine filii etiam illegitimus intelligi dicitur; et *extensivam*, quae legem ultra usitatum verborum sensum extendit, ut si dicitur nomine filii intelligi etiam nepotem²⁾. Haec non est proprie legis interpretatio, sed

¹⁾ In c. Treugas 1. *De treuga et pace* (I. 34).

²⁾ Cf. *Schmalzgrneber*, *Ius ecclesiast.* Dissert. prooem. n. 373.

potius legis extensio et nova legislatio; ideo haec interpretatio etiam nova promulgatione indiget.

Num *interpretatio comprehensiva*, ut valorem legis sortiatur, *nova promulgatione* indigeat, auctores non conveniunt. Dissidium inde oriri videtur, quod interpretationem comprehensivam non omnes eodem modo definiant. Interpretatio comprehensiva, quae declarat, quod in lege prorsus obscure et dubie continetur, promulgatione indigere, quae vero declarat, quod in lege satis clare continetur, promulgatione non indigere videtur¹⁾ (n. 113, 3).

c. *Comprehensiva* distinguitur in *strictam*, qua sensus legis ad propriam tantum verborum significationem restringitur, ut si vox *filius* de genito tantum intelligitur; et *latam*, qua sensus legis extenditur quantum ex verbis et fine legis licet, ut si vox *filius* etiam de adoptato accipitur.

Nonnunquam enim accidit, ut verba legis duplici sensu intelligi possint, quorum uterque est sensus proprius, sed unus est altero latior. Sic vocabulum *clerici*, si stricte sumatur, eos solum significat, qui clericali tonsura sunt initiati; quodsi idem vocabulum late sumatur, omnes personas ecclesiasticas designat. Item vocabulum *religiosi* stricte solos regulares, late omnes significat, qui in aliqua congregatione votorum simplicium existunt, etiam novitios.

134. *De interpretatione authentica et doctrinali.* 1. Qui legem ferre, eam etiam *authentice* interpretari potest.

Ex congregationibus romanis duae tantum potestatem habent leges authentice interpretandi; *congregatio concilii*, quae interpretari potest decreta disciplinaria concilii tridentini; si tamen in ipsa congregatione de sensu cuiuspiam decreti dubium oritur, declaratio approbatione summi pontificis indiget; et *congregatio ss. rituum*, quae leges liturgicas authentice interpretari potest (n. 111).

2. Interpretatio authentica vim legis habet, quia ab eadem potestate procedit atque ipsa lex.

Si interpretatio authentica aliud non est, quam confirmatio sensus iam satis clari, ea certe promulgatione non indiget; quodsi interpretatio exhibet declarationem generalem legis antea non satis clarae, sed vere dubiae, promulgatione indigere videtur, quia hac interpretatione nova lex condi censetur, quae vim legis non obtinet, nisi authentice promulgetur.

¹⁾ Cf. *Wernz* I. n. 100.

3. Interpretatio *doctrinalis* non habet vim legis, quia non procedit a potestate legislativa, sed eum valorem habet, quem ipsi conciliant pondus rationum et doctorum auctoritas; quocirca ubi doctorum consensus habetur, interpretatio est moraliter certa; ubi vero doctores de sensu legis discordant, interpretatio solum probabilis habetur. Regulas interpretationis doctrinalis tradunt canonistae¹⁾.

135. De epikia. 1. *Epikia*, (ἐπιείχεια, aequitas) definiri potest interpretatio restrictiva legis, qua iudicatur legem ad particularem aliquem casum ob speciales circumstantias non se extendere, licet in verbis legis clare contineatur, ut si lex prohibet nocturno tempore arma gestare, per epikiam iudicare potest, sibi licere arma gestare, qui offensurus sit inimicum quaerentem se ad mortem. Ratio admittendi epikiam est, quia legislator praevidere nequit diversissima adiuncta, in quibus homines reperiri possunt, et si ea praevideret, lege sua, quae communiter contingentia tantum respicit, comprehendere non posset; et ideo merito censetur eiusmodi casus noluisse sua lege universali comprehendere.

Epikia differt tum ab *interpretatione* tum a praesumpta legis *dispensatione*. Interpretatione enim edicitur casum aliquem verbis legis non contineri; et praesumpta dispensatione iudicatur casum in lege quidem contineri, legislatorem tamen eum excepturum fore, si rogaretur; per epikiam autem iudicatur hunc casum ex mente legislatoris in lege non comprehendi; interpretatione igitur verba legis explicantur, epikia vero mens legislatoris diiudicatur.

2. *Quando ea uti liceat.* Quoties ob specialia adiuncta prudenter iudicari potest legislatorem noluisse aliquem casum comprehendere lege sua, licet adhibere epikiam; in specie vero in triplici casu ea uti licet:

a. Si observatio legis esset mala vel perniciosa, ut si quis ad audiendum sacrum relinqueret graviter aegrotum.

¹⁾ Cf. *Laymann*, De legibus c. 18. *Reuter*, De legibus n. 252---258. *Wernz* I. n. 127—133.

b. Si observatio legis esset nimis difficilis et onerosa, ut si aegrotus ieiunaret.

c. Si ex circumstantiis prudenter iudicari potest legislatorem in hoc casu, in quo lex non est nimis difficilis, noluisse obligare, etsi potuisset, quia merito praesumitur nolle obligare cum toto rigore et in omni casu, quo potest¹⁾. Sic David usus epikia panes propositionis manducavit²⁾.

Ultimus casus ille est, in quo proprie locum habet epikia; in prioribus enim cessat lex, quia iudicamus legislatorem non potuisse illos sua lege comprehendere; in ultimo autem cessat, quia ex quadam aequitate iudicamus legislatorem illum noluisse comprehendere, etsi potuisset. In prioribus casibus uti licet epikia, quin interrogetur legislator, etsi adiri posset, quia constat eum obligare non posse; in ultimo autem interrogari debet, si adiri potest.

3. Etsi lex humana quaevis per se epikiam admittat, ex praxi tamen fori civilis in *lege civili* nulla admittitur. Si e. g. parochus propter urgentem mortis causam duos concubinarios matrimonio iungit sine praecedente matrimonio civili, ubi lex matrimonium civile praescribit, parochus, legitima usus epikia, recte agit, iudex civilis tamen parochum reum declararet violatae legis civilis.

Quaestio septima.

De obligatione legis.

Articulus primus.

De obligatione legis in genere.

136. Existentia obligationis. 1. Quaelibet lex obligationem in conscientia seu sub peccato inducit: primus

¹⁾ Cf. *Suarez*, De legibus l. 6. c. 7. n. 11.

²⁾ 1. Reg. 21, 6.

enim et essentialis effectus legis est obligatio; quocirca lex, quae nulla ratione ne ad poenam quidem subeundam in conscientia obligat, non est lex.

Ergo exploratum est etiam *legislatorem civilem* condere leges in conscientia obligantes. Constat *a.* ex natura potestatis ab ipso Deo collatae, cui inest officium servandi boni communis arcendique a societate civili condicionem anarchicam; *b.* ex s. scriptura: *Subditi estote non solum propter iram sed etiam propter conscientiam*¹⁾.

2. A voluntate legislatoris dependet, quam obligationem, utrum ad culpam, an ad culpam et ad poenam vel solum ad poenam, imponere ipse velit.

Haec voluntas legislatoris dignoscitur:

a. Ex natura legis: leges enim civiles, in quibus finis a legislatore intentus citra obligationem ad culpam obtineri nequit, ad culpam obligare censentur; eae vero, quarum finis etiam citra obligationem ad culpam obtineri potest, solum ad poenam obligare censentur.

b. Ex consuetudine, quae est optima legum interpret: si nimirum etiam subditi, qui timoratae sunt conscientiae, legem practice habent poenalem, talis censi potest.

c. Ex declaratione ipsius legislatoris, qualis habetur de regulis quorundam ordinum religiosorum.

d. Ex verbis ipsius legis: si lex solum poenam praescribit (qui hoc fecerit, subeat hanc poenam), erit poenalis; si praecipit et simul poenam imponit, erit mixta; item si non continet verba praeceptiva, ordinarie erit poenalis, quodsi talia continet, ordinarie erit praeceptiva. Etsi enim defectus verborum praecipientium non sit certum signum legis poenalis, *ordinarie* tamen, si lex fertur mere assertive, censetur esse poenalis, et si fertur per modum praecepti vel prohibitionis, censetur esse praeceptiva.

e. Ex gravitate poenae: etenim si legi *civili* additur gravissima poena temporalis, quae proportionem non habet cum transgressione, constat legem esse poenalem. Sane legislator non censetur ad utrumque obligare velle, ad incurrendam culpam et simul ad incurrendam poenam exorbitantem, nisi agatur de lege gravissimi momenti.

137. Qualitas obligationis. Obligatio legis potest esse *gravis* vel *levis*; quaenam autem obligatio in singulis legibus imponatur, tum ex materia, ex adiunctis et fine legis, tum ex voluntate legislatoris dependet.

¹⁾ Rom. 13, 5.

a. *Legislator materiam gravem sub levi imponere potest: obligatio enim a voluntate legislatoris dependet, qui etiam materiam gravem rationabiliter sub levi praecipere potest, ubi nempe finis legis etiam levi obligatione sufficienter obtinetur.*

Quocirca ut lex sub gravi obliget, duo requiruntur: materia gravis et intentio legislatoris sub gravi obligare volentis. *Materiam gravem esse colligitur ex natura rei, ex fine legis et ex circumstantiis.*

Obligationem materiae gravis ex intentione legislatoris gravem esse dignoscitur potissimum: α. ex verbis legis, quae si magnam vim habent (severe, districte praecipimus, mandamus in virtute s. obedientiae, sub interminatione divini iudicii mandamus), significant gravem obligationem; β. ex gravitate materiae: in materia enim gravi, quae scilicet multum confert ad obtinendum finem a lege intentum, legislator censetur sub gravi obligare voluisse, nisi contrarium constet; γ. ex gravitate poenae: etenim si legi additur gravis poena spiritualis e. g. excommunicatio latae sententiae, signum est legem sub gravi obligare; in lege tamen civili poena extraordinarie magna plerumque legem poenalem significat; δ. ex interpretatione doctorum; ε. ex consuetudine seu ex sensu et praxi subditorum.

De intentione autem legislatoris haec nota: sicut necesse non est, ut legislator explicite intendat obligationem in conscientia imponere, ut lex in conscientia obliget, ita necesse non est, ut explicite intendat obligationem gravem imponere, ut lex sub gravi obliget: sicut enim intentio obligandi in ipso usu potestatis legiferae contineri censetur, pari modo legislator materiam gravem generatim etiam sub gravi iniungere velle praesumitur. Quare omnino tenendum est etiam *legislatorem infidelem* condere leges in conscientia obligantes. Si tamen constat legislatorem athenum obligationem coram Deo et in conscientia nihili facientem solam obligationem ad poenam in transgressores infligendam agnoscere, recte supponitur, eius leges esse mere poenales, nisi obligationem in conscientia absolute exigant.

b. *Legislator materiam levem sub gravi iniungere non potest: obligatio enim, quae materiae non est proportionata, esset onus intolerabile, ideoque in detrimentum potius subditorum cederet, quia nimium multiplicarentur transgressiones et peccata.*

Unde si materia simpliciter levis est, transgressio non est mortalis, etsi legislator sub gravi obligare voluisset; et si lex sub gravi obligans in materia levi violatur, transgressio pariter non nisi levis est. Si tamen materia in se levis evadat gravis ex fine vel ex adiunctis,

sub gravi sine dubio imponi potest: sic grave est, si celebrans omittat infundere modicum aquae in calicem.

138. Ad quid obliget lex. Quaevis lex complures obligationes sive explicite sive implicite in se continet:

1. Lex imprimis obligat ad sui *cognitionem*: cum enim lex observari non possit, nisi cognoscatur, ideo, ne legislatio evadat inutilis, primo sui cognitionem praecipere debet. Eo ipso autem obligat etiam ad ordinaria media adhibenda, quae ad legem cognoscendam conducunt.

a. Hinc ignorantia voluntaria seu vincibilis alicuius praecepti peccatum est contra illud ipsum praeceptum, quod ignoratur, et quidem grave, si ignorantia ex gravi negligentia processit.

b. Sicubi statuta a clericis observanda in folio dioecetano ab episcopo promulgantur et divulgantur, tenentur clerici folium emere vel saltem ex aliis, qui illud legunt, quandoque inquirere, quid ab episcopo statutum fuerit: hoc enim est medium cognoscendi statuta episcopi ordinarium, ad quod adhibendum proinde omnes tenentur.

2. Deinde lex obligat ad sui *observationem*; haec potissima et essentialis est efficacia legis, in qua aliae obligationes implicite et virtute continentur.

3. Lex obligat etiam ad adhibenda *media ordinaria*, quae ad ipsius observationem proxime necessaria sunt: qui enim tenetur ad finem, eo ipso tenetur etiam ad media, quae ad obtinendum finem proxime necessaria sunt. Ad adhibenda autem media *extraordinaria* lex non obligat, quia haec obligatio nimis onerosa et difficilis esset.

Qui officium divinum recitare tenetur, tenetur sibi comparare et conservare breviarium, quo illud recitare possit; et qui praevidet se ipso die ieiunii habere non posse cibos esuriales, tenetur pridie eos comparare, ut ieiunium servare possit.

4. Lex insuper obligat ad *removenda* vel *praecavenda impedimenta*, quae eius observationem proxime impossibilem reddant, si id fieri possit sine gravi incommodo: qui enim ad finem tenetur, eo ipso tenetur etiam ad removenda vel non ponenda impedimenta, quae fini obtinendo proxime obstant.

Qui ipso die ieiunii sine iusta causa venatum exit, praevidens se prae lassitudine eo die ieiunare non posse, contra praeceptum ieiunii peccat; et qui die festo mane se inebriat, praevidens se propterea

sacro interesse non posse, non solum contra temperantiam, sed etiam contra praeceptum audiendi sacri delinquit.

5. Lex tandem obligat ad vitandum *periculum peccandi* contra legem: lex enim, quae praecipit vitare peccatum, eo ipso praecipit etiam vitare id, quod cum peccato moraliter coniunctum est, scilicet periculum peccandi.

Qui ergo sine iusta causa se exponit periculo peccandi, contra idem praeceptum peccat, cuius violandi periculum quaerit: nam velle periculum peccandi idem est ac velle ipsum peccatum, quod eo maius est, quo maius est periculum.

Articulus secundus.

De obligatione legum specialium.

§ 1. De lege poenali¹⁾.

139. Quid sit. 1. *Lex poenalis* ea est, quae non obligat in conscientia ad aliquid faciendum vel omittendum, sed solum ad subeundam poenam, si in casu transgressionis fuerit inflicta. Et haec quidem dicitur *lex mere poenalis*, ut distinguatur a lege *mixta*, quae est praeceptiva et simul poenalis (n. 90. 3).

Leges igitur poenales non obligant stricte ad faciendum vel vitandum, quod per legem statuitur, sed solum ad acceptandam poenam ut iustam, si actio vel omissio a lege intenta locum non habuit. *Lex mere poenalis* non est lex, quae nullo modo obligat in conscientia, sed est lex, quae aliam obligationem conscientiae non inducit nisi ad subeundam poenam.

2. Legislatorem posse condere leges mere poenales non est dubium: nam lex mere poenalis rationem verae legis habet, aequae ac lex praeceptiva; sed a voluntate legislatoris dependet, qualem legem condere velit. Insuper bonum commune quandoque aliam legem quam poenalem non exigit, eo quod subditi ex solo timore poenae ad observandam legem sufficienter impellantur.

¹⁾ *Suarez* l. c. l. 5. c. 3 ss. *Biederlack*, Die Lehre von den Pönalgesetzen (Zeitschrift für k. Theol. 1899. S. 155 ff.).

a. Sunt quidem nonnulli doctores scholastici, qui negant posse esse legem mere poenalem. His accedit unus alterve ex theologis recentibus¹⁾. Eorum argumenta sunt haec: α. De ratione legis est, ut obliget in conscientia; lex autem mere poenalis est lex arbitraria (ein blosses Willkürgesetz) cuius scilicet existentia arbitrio principis tribuatur et cuius observatio arbitrio subditorum permittatur. β. Poena supponit culpam; sed qui legem poenalem transgreditur, non committit culpam, cum in conscientia non obliget.

b. Verum omnino tenenda est communis doctorum sententia posse esse leges mere poenales. Sane quaevis lex intendit aliquem actum vel ponendum vel omittendum; iam vero ut lex assequatur id, quod intendit, aut ipsum actum praecipit atque in conscientia ad illum obligat, aut actum proponit et hypothetice poenam praecipit, si nempe actus non fiat aut non omittatur. Proprium igitur obiectum legis poenalis est *poena* hypothetice subeunda, quae in hac lege non est sanctio legis nec vindictio culpae, sed medium, quo legislator subditos urget ad actum a lege propositum atque intentum.

c. Ad argumenta negantium notandum est: α. De ratione legis non est, ut in conscientia obliget ad actum, quem intendit, sed satis est, ut obliget ad poenam, si actus intentus non fiat. β. Poena supponit culpam aut moralem aut civilem, at non semper moralem. *Vel melius ita*: Poena proprie dicta supponit culpam, non autem poena late dicta, quae solum iustam causam supponit, propter quam inferatur. Poena enim late dicta est quodvis incommodum, quod a superiore ex iusta causa irrogatur, quae in hoc casu est omissio actus a lege intenti.

140. Num et quae sint. Quaeritur ergo, num re ipsa conditae sint atque existant leges mere poenales.

1. Licet ecclesia possit leges ferre mere poenales, de facto tamen, si regulae et statuta quorundam ordinum religiosorum excipiantur, nullae existunt *leges ecclesiasticae mere poenales*; existunt autem *leges civiles mere poenales*.

2. *Leges civiles mere poenales* in genere sunt omnes illae, quarum finis sufficienter obtineri potest, eo quod subditi solum timore poenae ad earum observationem adigantur, nisi legislator aliud declaraverit. In specie vero poenales censentur: α. statuta, quae ad ordinem communitatis externum referuntur (die Polizeiverordnungen); β. leges de caesione lignorum, de venatione, piscatione,

¹⁾ Cf. Tübinger theol. Quartalschrift 1898 655 ff. 1900 S. 204 ff. 1902 S. 574 ff.

Noldin, De principiis.

*The civil law in general except the...
 + Natural law are penal (some as regards...)*

pastione in silvis, pascuis vel paludibus communitatis, ubi id sub poena prohibetur. Num insuper aliae sint (leges tributorum ac militiae) suis locis dicetur.

3. *Praeceptivae* universim sunt leges, quarum finis sufficienter obtineri nequit, nisi subditi etiam timore cul-pae ad earum observationem adigantur; eiusmodi sunt: α . leges, quae confirmant legem naturalem vel positivam divinam; β . leges, quae immediate conferunt ad commune bonum ut leges, quae referuntur ad contractus, ad publica officia etc.; γ . leges, quae definiunt iura ut lex, quae patri tribuit usumfructum de bonis filiorum, lex, quae ex bonis paternis tribuit partem legitimam filiis etc.

Hocce principium, leges civiles haberi posse poenales, quae natura sua non exigunt, ut sint praeceptivae, praesertim de legibus valet, quae a *modernis guberniis* quamplurimae conduntur, *a*. quia, quae nunc sunt gubernia, unice media externa adhibent ad legum observationem urgendam, obligationem vero conscientia, parvipendunt, atque ideo implicite declarant se obligationem internam non urgere: *b*. quia civium, etiam eorum, qui timoratae sunt conscientiae, communis persuasio invaluit, has leges in conscientia non obligare.

§ 2. De lege irritante.

141. Notio. 1. *Lex irritans* ea dicitur, quae invalidos reddit actus, qui ex se considerato solo iure naturae validi essent.

a. Irritationes circa contractus, matrimonium, vota, iuramenta, professionem religiosam, electiones et beneficia potissimum versantur.

b. Ratio huius legis est, ut fraudes, pericula et alia incommoda a societate arceantur et hac ratione bonum commune promoveatur.

c. Ex his patet legem irritantem per se non esse poenalem; quia vero irritatio actus cedit in gravamen agentis, ea in poenam delicti imponi potest.

2. Duplex distinguenda est irritatio:

a. *Moralis*, qua actus valore naturali, quem iure naturae in foro conscientiae habet, spoliatur, et *civilis*, qua actus solum valore positivo, quem ex iure civili in foro externo habet, spoliatur. Actus civiliter irritus nullum producit ius, quod potestas politica agnoscat et tueatur;

in foro autem conscientiae ius suum aequè producit, ac si irritatio non adesset.

b. Irritatio moralis vel est *lata*, si effectus producitur ab ipsa lege, vel *ferenda*, si effectus producitur per sententiam iudicis. Eiusmodi actus valorem suum naturalem habet ac retinet, nisi per sententiam irritetur.

142. Divisio. Leges irritantes dividuntur: *a.* In leges, quae actum ipso facto *irritum* reddunt, et in leges, quae actum per sententiam iudicis *rescindibilem* faciunt.

b. In leges, quae actum *prohibent et simul irritant*, ut sunt impedimenta dirimentia matrimonii, et in leges, quae actum *solum irritant non prohibent*, ut sunt sollemnitates testamentorum.

Illae obligant in conscientia ad omittendum actum, hae vero ad actum omittendum per se non obligant, sed solum ad subeundos effectus irritationis aut iam ante aut saltem post sententiam iudicis. Ideo non licet e. g. matrimonium inire cum impedimento dirimente, licet autem per se testamentum condere sine forma legali.

c. In leges *mere irritantes*, quae conduntur solum ob bonum commune, quod postulat, ut certi quidam actus sint invalidi ut lex irritans matrimonia, quae celebrantur non servata forma; et in leges *irritantes poenales*, quae conduntur in poenam agentis ut impedimentum criminis, quod matrimonium dirimit. Illae in agente nullam supponunt culpam.

143. Principia. 1. Legislatores tum ecclesiasticos tum civiles *habere potestatem* ferendi leges irritantes omnes concedunt, quia hoc ad bonum commune utile, quandoque etiam necessarium est. Ideo non quidem pro arbitrio sed exigente bono communi leges irritantes condere possunt.

Nec dicatur hanc doctrinam aliquid supponere, quod falsum est, legem nempe positivam praevalere legi naturali: nam ipsa lex naturae exigit, ut potestas socialis ad bonum commune instructa sit hac facultate. Quare eiusmodi leges naturales e. g. de valore donationum non sunt absolutae, sed condicionatae, ni scilicet lege positiva irritentur.

2. Leges irritantes *ecclesiasticae* actum ipsum naturaliter et in conscientia reddunt invalidum; leges autem

irritantes *civiles* ante sententiam iudicis actum per se solum civiliter et in foro externo reddunt invalidum, nisi aliud vel ex obiecto vel ex verbis legis certo constet.

Ubi enim finis a legislatore intentus obtineri potest, quin ipse forum conscientiae attingat, solum media externa ad finem adhibere censetur. Quod quidem eo libentius concedi debet, quod leges modernae proprie dictam obligationem conscientiae saepius non agnoscunt. Sed post sententiam iudicis actus etiam naturaliter et in conscientia haberi debet invalidus, quia sententia fundatur in praesumptione periculi communis.

3. Lex *pure irritans* effectum suum obtinet, etsi invincibiliter ignoretur vel actus ex gravi metu ponatur: exigitur enim a bono communi, ut lex propter ignorantiam invincibilem vel gravem metum agentis non cesset; ideo nullum est matrimonium, quod bona fide cum impedimento irritante contrahitur. Lex *irritans poenalis*, quae irritationem actus adiungit in poenam violatae legis, actum non irritat, ubi ignorantia vel metus gravis a culpa excusat: deficiente enim culpa, quae est causa poenae, deficit etiam effectus seu poena.

Si committitur culpa, sed ignoratur poena irritationis, alii cum *Suarez*¹⁾ censent manere irritationem, quia ignorantia, quae non excusat a culpa, neque excusat a poena culpae adiecta, etsi ignoretur; alii vero cum *Sanchez*²⁾ docent non manere irritationem: nam delinquentes incurrunt quidem poenas *ordinarias* delicto proportionatas, etsi eas ignorent, at non incurrunt poenas *extraordinarias* seu exorbitantes, si eas ignorant; atqui irritatio actus est poena extraordinaria et exorbitans. Ideo censent crimina alias matrimonium dirimentia non inducere impedimentum dirimens, si poena irritationis ignoretur. Quae quidem sententia probabilis est.

4. Lex irritans cessat quidem in casu impossibilitatis communis vel gravissimi incommodi communis, at certo non constat eam cessare etiam in casu impossibilitatis privatae vel gravissimi incommodi privati³⁾.

¹⁾ Cf. De legibus l. 5. c. 22. n. 4.

²⁾ Cf. Opus morale in praecepta decal. l. 1. c. 16. n. 15.

³⁾ Cf. *Ballerini-Palmieri* I. n. 318 ss.

§ 3. De lege in praesumptione fundata¹⁾.

144. Praenotiones. 1. *Praesumptio* est prudens in re incerta iudicium ex circumstantiis cum rei veritate frequenter connexis.

Dicitur *praesumptio*, quia ante omnes alias probationes aliquid ex adiunctis pro vero sumitur.

2. *Praesumptio dividitur*: a. in praesumptionem *hominis*, quae a viro prudente formatur, quin in iure reperitur expressa; et in praesumptionem *iuris*, quae in lege expressa est.

Si Caius noctu praesente Titio illius inimico reperitur occisus, Titius illum occidisse praesumitur. Iura praesumunt quemlibet esse bonum, donec probetur malus, et semel malum semper esse malum in eodem genere delicti.

b. In praesumptionem universalis *periculi* e. g. fraudis, peccatorum etc., et in praesumptionem particularis *facti* e. g. culpa, fraudis, negligentiae etc.

3. Lex vel praeceptum *fundari* dicitur in *praesumptione communis periculi*, quando lex aliquid vetat vel praecipit ad praecavendum periculum, quod frequenter cum aliqua actione vel omissione connexum deprehenditur; et fundari dicitur in *praesumptione facti*, quando lex vel praeceptum statuitur ex supposito facto, quod pro certo habetur, quia sic communiter fieri solet.

In praesumptione *periculi* fundatur lex, quae prohibet lectionem librorum pravorum; lex, quae prohibet matrimonia mixta; lex, quae praecipit proclamationes matrimoniorum. In praesumptione *facti* fundatur lex, quae tenet patrem infantis eum esse, quem nuptiae demonstrant; lex, quae tenet eum esse baptizatum, qui ex parentibus christianis natus inter christianos adolevit; sententia iudicis condemnantis ad solvendam mulctam.

145. Vis huius legis. Lex, quae fundatur in praesumptione facti, non obligat in conscientia, si factum reipsa non subsistit; lex autem, quae fundatur in praesumptione periculi semper obligat in conscientia, etsi in particulari casu periculum non adesset.

¹⁾ Cf. Reuter, Theolog. moralis pr. I. n. 155 ss.

a. Ratio *primi* est, quia in hoc casu, cum praesumptio falsa sit, deest fundamentum legis seu praecepti et proinde etiam obligatio; inde axioma: *praesumptio cedit veritati*. Hinc si quis per sententiam iudicis condemnatur solvere mulctam propter damnum ab animali suo illatum, non tenetur eam solvere, si damnum non fuit illatum; et si ad solvendum cogitur, uti potest occulta compensatione.

b. Ratio *secundi* est, quia lex non cessat, nisi finis legis adaequate cessaverit: alias enim mala, quae lex intendit praecavere, efficaciter non impedirentur, quia multi sibi falso persuaderent nullum adesse periculum. Hinc a lectione libri prohibiti etiam ille abstinere debet, cui ex lectione nullum periculum imminet. Pariter per sententiam iudicis condemnatus tenetur reparare damnum ab animali suo, etsi sine culpa sua causatum, quia lex non solum culpam punire, sed etiam homines reddere cautiore intendit.

Articulus tertius.

De modo obligationem implendi.

146. Principia. 1. Legi *negativae* satisfit per omissionem actus prohibiti sine contraria voluntate: lex enim negativa nil aliud praecipit nisi omissionem actus. Qui ergo die vetito non comedit carnes, quia non habet, implet praeceptum abstinentiae, licet de praecepto ne cogitet quidem, modo non adsit intentio contraria.

2. Ad satisfaciendum legi *affirmativae* requiritur et sufficit, ut opus praescriptum humano modo i. e. cum intentione illud faciendi ponatur: lex enim affirmativa aliud non praecipit nisi ipsum opus praescriptum; quoniam autem lex hominibus imposita est, actus humanos postulat, qui scilicet scienter et voluntarie ponantur. Aliud non requiritur, quia finis a legislatore intentus hoc modo sufficienter obtineri potest.

a. Quoad observationem legis notandum est axioma: *parum pro nihilo reputatur*: leges enim humano modo servandae sunt; in morali autem hominum aestimatione non censetur violata lex, quae modice tantum laeditur. Sic qui in recitando officio vel in auditione sacri modicum quid omittit, legem non violat. Attamen excipiendae sunt leges, in quibus modus eas observandi physicus a natura aut a iure aut a voluntate humana determinatur ut in ieiunio naturali ante com-

— The mind is too good though

munionem servando, vel in aetate ad professionem religiosam vel ad sacros ordines requisita.

b. Requiritur quidem voluntas ponendi opus praescriptum, quando opus ipsum, non solum effectus operis praecipitur; sed non requiritur intentio satisfaciendi praecepto, et multo minus intentio obtinendi finem a legislatore intentum, quare axioma invaluit: *finis praecepti non cadit sub praecepto*. Finis a legislatore intentus per ipsos actus praeceptos a subditis impletos obtinetur, quin ab eis intendatur.

Ab hac igitur obligatione scienter ponendi opus a lege praescriptum excipiendus est casus, quo lex aliquid dare praecipiat, ut in solutione tributi vel debiti: in hoc namque casu lex aliud non intendit, nisi effectum externum, qui per actionem mere externam sufficienter obtineri potest. Ideo etiam ebrius vel coactus eiusmodi praecepto satisfacit¹⁾.

c. Hinc qui dormiens vel nolens et solum coactus assistit sacro, non satisfacit praecepto audiendi missam, quia non agit humano modo; et qui pergit ad ecclesiam, dum ibi fit sacrum, solum ut expectet amicum, pariter non satisfacit praecepto, quia non habet intentionem faciendi opus praescriptum: qui vero ex metu interest sacro, satisfacit praecepto. — Qui ignorans esse diem festum assistit sacro, satisfacit praecepto, et qui opus ex voto debitum vel pro poenitentia impositum persolvit sine intentione implendi obligationem, eidem satisfacit, modo opus non applicet in alium finem, qui cum fine praecepti componi nequeat: quilibet enim censetur habere intentionem prius satisfaciendi debitis quam ponendi opera supererogatoria. — Satisfacit praecepto, qui formam ieiunii observat, etsi laute comedat et mortificationem corporis neque intendat neque obtineat, quia finis praecepti non cadit sub praecepto.

3. Ad satisfaciendum legi non requiritur, ut lex *in statu gratiae* impleatur, nisi status gratiae ad substantiam operis pertineat; quin etiam impleri potest *per actum* ex circumstantiis *peccaminosum*, modo substantia actus praecepti moraliter honesta sit: lex enim solum substantiam actus praecipit, nullatenus autem eius modum, nisi ad substantiam actus pertineat.

a. Si opus praeceptum est actus externus, sufficit, ut iste humano modo ponatur e. g. auditio missae cum intentione eam audiendi; et si opus praeceptum est actus mixtus, requiritur, ut tota substantia moralis actus praescripti i. e. actus externus cum debito actu interno

¹⁾ Cf. *Struggl* q. 2. n. 14.

ponatur, ideo per sacrilegam confessionem aut communionem non satisficit praecepto ecclesiae¹⁾. Satisficit autem per actum ex circumstantiis peccaminosum, ut si quis assistat sacro in determinata ecclesia, ut ibi habeat occasionem furandi. Satisficit praecepto ieiunii, qui a cibo abstinet, etsi ex avaritia id faciat; item qui ieiunat vel confitetur ex vana gloria.

b. Qui advertit se non recitasse horas, non implese poenitentiam, non interfuisse sacro ea, qua voluisset et debuisset, devotione ideoque proponit repetere opus ad satisfaciendum praecepto, postea vero illud non repetit, satisficit praecepto, etsi voluntatem repetendi opus non revocet, quia iam posuit opus praescriptum, etsi cum defectu.

Num satisficiat praecepto ponens quidem opus praescriptum, sed cum intentione non satisfaciendi praecepto.

Distinguendum est: si obligatio legis ab intentione legislatoris dependet, satisficit; qui ergo audit missam cum intentione nunc satisfaciendi devotioni et praeceptum postea implendi, non tenetur aliam missam audire: nam totum id iam posuit, quod legislator praecepit; si autem obligatio ab intentione agentis dependet, ut in voto vel promissione, non satisficit: sicut namque ab intentione agentis pendet, ut obligatio existat, ita ab eadem agentis intentione dependet, ut extinguatur vel permaneat.

4. Qui totam legem implere nequit, ad nihil tenetur, si materia praecepta est indivisibilis ut pia peregrinatio; tenetur autem ad partem, si materia est divisibilis, et in parte, quae impleri potest, salvatur ratio praecepti. Ratio praecepti salvari censetur, si pars, quae praestari potest, ad finem praecepti aliquid confert.

a. Qui recitare non potest integrum officium, potest autem unam alteramve horam, ad has partes tenetur, in paucis autem versiculis vel etiam in uno psalmo non salvatur ratio praecepti, ideo ad eorum recitationem non tenetur. Qui in quadragesima ieiunare nequit, tenetur abstinere a carnibus, si potest.

b. Si quis totam legem implere non potest, dubitat autem, num possit implere partem, plerumque etiam ab implenda parte excusatur,

¹⁾ Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisficit praecepto ecclesiae. Prop. 14. Alexandri VII. Praecepto communionis annuae satisficit per sacrilegam Domini manducationem. Prop. 55. Innocentii XI.

ut e. g. infirmus, qui dubitat, num possit partem officii recitare: alias enim multis scrupulis et anxietatibus ansa daretur.

147. 1. Eodem actu pluribus praeceptis satisfieri potest, nisi constet aliam fuisse mentem legislatoris: nam uno actu totum opus poni potest, quod diversis legibus praecipitur. Mentem autem legislatoris non esse contrariam recte coniiicitur, si praecepta quae ad eandem materiam referuntur ex eodem motivo iniungantur.

Qui officium recitare debet ratione ordinis et ratione beneficii, una recitatione satisfacit; qui tempore paschali sumit viaticum, utrique praecepto communicandi in paschate et communicandi in morte satisfacit. Cui vero pro poenitentia iniuncta fuit largitio eleemosynae ad pias causas, non satisfacit, si eam det pro eleemosyna ex voto debita; et si cui pro poenitentia imposita fuit auditio sacri eam implere non potest die festo simul audiendo sacrum ex praecepto ecclesiae debitum, nisi confessarius expresse permiserit, quia diversum est utriusque praecepti motivum.

Nota. His continetur aliqualis norma recte coniiiciendi de mente legislatoris, nisi ex adiunctis aliud constet. Sic semper excipienda est *materia iustitiae*: qui enim ex pluribus obligationibus alteri debet centum, non satisfacit, si semel dat centum, quia in debitis iustitiae attenditur aequalitas rei ad rem; sed non potest una solutione centum aequari debitum plurium centum; ideo alia in his est intentio legislatoris. — Item qui votum emisit semel communicandi in honorem alicuius sancti, nequit una communionem satisfacere obligationi voti et annuae communionis, licet idem sit utriusque motivum, quia alia censetur fuisse intentio votantis, praeterquam quod novo religionis vinculo se obligare intendisset ad communionem paschalem. — E contrario missa die 2. novembris, quae dicenda est pro defunctis ex praecepto ecclesiae (ex motivo religionis), dici etiam potest pro stipendio accepto (ex iustitia), quia constat legislatorem id permittere.

2. Eodem tempore pluribus praeceptis satisfieri potest: *a.* nisi opera praecepta se invicem impediant; *b.* nisi legislator opera diverso tempore ponenda intenderit. Hinc eodem tempore aliquis missam praeceptam audire et horas recitare vel poenitentiam iniunctam implere potest.

Cui pro poenitentia impositae sunt duae vel tres missae, eas absolute eodem tempore, dum simul celebrantur in pluribus altaribus,

audire potest, quia ad plures simul attendere potest; ordinarie tamen mens confessarii erit, ut poenitens missas successive, non eodem tempore audiat.

148. Quando impleri debeat. 1. Si legi implendae *determinatum fuit tempus*, illud certe observandum est; quodsi tempore praescripto lex observata non fuit, cessat obligatio, si tempus determinatum fuit *ad finiendam obligationem*, non cessat autem, si determinatum fuit *ad urgendam obligationem*. Utrum tempus ad finiendam, an vero ad urgendam-obligationem determinatum sit, ab intentione legislatoris dependet, quae ex fine aut ex verbis legis aut ex consuetudine eruitur.

Qui non ieiunavit die vigiliae, non tenetur alio die ieiunare; qui die dominica non audivit sacrum, non tenetur illud audire die sequenti, quia determinatio temporis addita est ad finiendam obligationem. Qui autem tempore paschali non suscepit sacram communionem, tenetur postea eam suscipere; qui die statuto debitum non solvit, illud solvere tenetur postea, quia determinatio temporis addita non est ad finiendam obligationem.

2. *Tempore, quo urget praeceptum*, hoc quandocumque observari potest e. g. sacra communio toto tempore paschali sumi potest; qui autem lege iam urgente praevidet impedimentum eam postea implendi, legi prius satisfacere debet; qui autem lege nondum urgente praevidet impedimentum illam implendi, non tenetur praevertere tempus legis.

Qui ergo tempore paschali serius s. communionem sumere nequit, tenetur prius; qui autem tempore paschali non potest, non tenetur ante tempus paschale communicare. — Qui serius horas recitare nequit, tenetur prius; sed anticipare non tenetur. — Qui die festo post horam sextam sacro interesse nequit, tenetur illud audire ante horam sextam, modo praebeatur occasio.

3. Non potest impleri praeceptum eo *tempore, quo ipsum non urget*, nisi eiusmodi sit, ut paulo ante obligationem totum opus praescriptum poni possit.

Qui missam audit die sabbati, nequit implere praeceptum dominicale, quia missa die dominico audienda praecipitur. — Qui mane ante ordinationem recitat officium, ad quod post ordinationem demum

tenetur, satisfacit obligationi, quia officium eo die recitandum praecipitur. Item qui missam audit in loco, ubi nullum celebratur festum, et postea se confert ad locum, in quo celebratur festum universale de praecepto, non tenetur ibi missam audire, quia obligationi eo die missam audiendi iam satisfacit¹⁾.

Quaestio octava.

De cessatione obligationis.

Obligatio legis, manente ipsa lege communi, in particulari casu tripliciter cessare potest: *a.* per causas a lege deobligantes; *b.* per dispensationem; *c.* per privilegium.

Articulus primus.

De causis a lege deobligantibus.

149. Notiones. Causae a lege deobligantes aliae sunt eximentes, aliae excusantes seu impediennes. *Eximentes* illae dicuntur, per quas aliquis desinit esse subiectum legis, ut si quis se recipit extra territorium, quod lege afficitur, vel si per privilegium a lege eximitur; causae igitur eximentes a legis obligatione prorsus immunem constituunt. Causae *excusantes* seu *impediennes* eae dicuntur, propter quas aliquis, etsi maneat subiectum legis, eam tamen observare non tenetur, ut si quis propter infirmitatem vel propter arduum laborem a ieiunio excusatur. Duplex quaestio hic tractanda est: *a.* de causis a lege excusantibus et *b.* de appositione causarum a lege deobligantium.

¹⁾ Cf. *Lugo*, De euchar. disp. 16. sect. 2. n. 39 s. *Tamburini*, De communione c. 5. § 2. n. 4 ss.

150. De causis a lege excusantibus. *Causae* ab observatione legis *excusantes* sunt ignorantia et impotentia tum physica tum moralis. Ignorantiam invincibilem et impotentiam physicam ab obligatione legis excusare, manifestum est: ad impossibile enim nemo tenetur. Immo ex natura legis constat, impotentiam quoque moralem seu grave damnum vel incommodum, quod per accidens cum observatione legis coniunctum est, ab eius obligatione excusare (n. 116). Sed cum leges sint diversae speciei, iam quaeritur, *num in quavis lege gravis metus seu grave damnum vel incommodum ab observatione eius excuset.*

1. A *lege naturae negativa* non excusat ne quidem periculum mortis: haec namque lex prohibet, quod in se et intrinsecus malum est; atqui ne ad mortem quidem vitandam licet facere, quod in se malum est ut blasphemare, peierare, mentiri.

2. A *lege affirmativa* sive divina sive humana non excusat ne quidem periculum mortis, si eius violatio cederet *a.* in damnum commune; *b.* in extremum damnum spirituale hominis particularis; *c.* in odium Dei aut religionis vel in contemptum ecclesiae.

Ratio *primi* est, quia bonum commune praefendum est bono vitae hominis privati; ideo parochus tempore pestis etiam cum periculo vitae tenetur suis parochianis adesse.

Ratio *secundi* est, quia ordinata caritas exigit, ut supremum bonum spirituale proximi praefatur proprio bono temporali vitae; ideo tenemur cum periculo vitae conferre baptismum puero moribundo.

Ratio *tertii* est, quia, qui facit, quod in odium Dei et religionis vel in contemptum ecclesiae exigitur, eo ipso consentit intentioni praecipientis et contemnit Deum vel ecclesiam, id quod in se malum est. Ideo non licet carnes comedere die prohibito, si id in contemptum ecclesiae exigitur, etsi sub comminatione mortis¹⁾.

3. Demtis hisce casibus *damnum vel incommodum proportionate grave* a lege tum naturali affirmativa tum divina tum humana excusat.

Ratio *primi* est, quia, cum hae leges non sint in singulis casibus absolute necessariae, Deus non censetur velle obligare cum gravissimo

¹⁾ Cf. 2. Mach. 6, 18 ss.

incommodo. Ideo non tenemur cum periculo vitae aut gravis mali depositum servare, votum implere, proximo extremam necessitatem corporalem patienti succurrere, rem iniuste ablatam restituere.

Ratio *secundi* est, quia, cum harum legum materia ad ordinem servandum non sit necessaria, Deus non censetur earum observationem cum tanto rigore exigere, etsi eam exigere posset. Ideo Christus ipse excusat Davidem, qui in periculo gravis mali comedit panes propositionis laicis iure divino prohibitos¹⁾. Item non tenemur cum gravissimo incommodo externo integre confiteri.

Ratio *tertii* est, quia lex humana moraliter impossibilis non obligat, immo legislatori humano non competit potestas ferendi eiusmodi leges nimis difficiles (n. 116).

In singulis autem praeceptis determinandum est, quantum debeat esse damnum vel incommodum, ut ab eorum observatione aliquis excusetur, quia diversa praecepta sunt diversae gravitatis diversiq;ue rigoris. In genere affirmari potest, leges negativas gravius obligare quam positivas, divinas gravius quam humanas.

151. De appositione causarum a lege deobligantium. *Notiones.* a. Causae a lege deobligantes apponi dicuntur *directe*, si unice vel saltem principaliter ea intentione ponuntur, ut quis a legis observatione se deobliget; et apponi dicuntur *indirecte*, si ex alio fine apponuntur, licet impossibilitas implendae legis praevideatur.

b. Insuper causa *proxime impediens* dicitur, si lex iam actu aut post breve tempus urget, et dicitur *remote impediens*, si solum post notabile tempus urget. Quando autem causa censeri debeat proxime et quando remote impediens, non regula generali, sed potius ex prudentum iudicio et ex praxi timoratorum ratione habita gravitatis legis et frequentiae obligationis determinari debet.

Qui sabbato vespere vel die festo iam inchoato auditioni missae impedimentum ponit, causam proxime impediens ponit, qui feria sexta id facit, causam remote impediens ponit. Impedimentum, quod obligationem legis aliquot dierum spatium praecedat, ordinarie remote impediens censetur.

¹⁾ Matth. 12, 3. 4. coll. cum 1. Reg. 21.

152. *Principia.* 1. Licitum est legi etiam directe et proxime apponere *causas eximentes*: lex enim obligat quidem ad sui observationem, quamdiu eiusdem subditi sumus, at non obligat, ut legis subditi maneamus.

Ideo quilibet in eum statum vel locum se transferre potest, in quo lex non obligat, excepto duplici casu, quo id expresse prohibitum est, quoad reservationem et quoad legem de clandestinitate matrimonii. Potest ergo unusquisque licite e loco, ubi est ieiunium, ire in locum, ubi ieiunium non est, ne debeat ieiunare.

2. Non licet legi *directe* apponere causam sive proxime sive remote *impedientem*: qui enim legi directe apponit causam impedientem, legem explicite violare intendit; atqui nunquam licita est expressa voluntas legem violandi, quamdiu quis subditus est legi.

3. Semper licitum est legi *indirecte* apponere causam *remote impedientem*, quia legislator non censetur velle, ut subditi iam multo ante obligationem legis teneantur praevidere et omittere omne id, quod observationem legis impediatur: esset enim incommodum nimis grave; quare nulla peculiaris ratio requiritur, ut quis iter suscipere possit e. g. feria quinta vel sexta, etsi praevideat, se non posse sequenti dominica missam audire.

4. Sine iusta causa non licet legi *indirecte* apponere causam *proxime impedientem*: qui enim tenetur ad legem, tenetur etiam cavere impedimenta proxime impedientia. Ex *causa proportionate gravi* autem licet legi indirecte apponere causam *proxime impedientem*: qui enim hoc facit, legem non violat, sed eius violationem permittit; atqui id ex iusta causa licitum est. Dicitur: *ex causa proportionate gravi*, itaque:

a. Quo gravior est lex et quo rarius eius obligatio reddit, eo citius incipit obligatio futuram legis observationem non reddendi impossibilem. Sic potest quis sabbato mane, non autem sabbato vespere, multo minus summo mane diei festi recreationis causa iter suscipere vel venatum exire, si praevideat se non posse audire sacrum.

b. Quo gravior est lex et quo propinquius ea urget, eo gravior debet esse causa, ob quam impedimentum observationi eius licite apponi possit. Sic non licet ipso die ieiunii recreationis causa venari et sic ad

ieiunandum se impotem reddere; licet autem ex graviore causa id facere; at pridie diei ieiunii licet etiam recreationis causa venationi vacare cum praevisione postero diei ieiunium impossibile fore.

c. Multo gravior causa requiritur, ut quis frequenter vel continuo se impotem reddat ad servandam legem, quam ut semel tantum aut raro id fiat. Hinc certe non licet toto tempore autumnali sabbato mane venatum exire cum praevisione sequenti die auditionem missae fore impossibilem, etsi id semel vel iterum liceat.

Articulus secundus.

De dispensatione legis¹⁾.

153. Notio. 1. *Dispensatio* definitur relaxatio legis in particulari casu a legitima auctoritate facta. Per dispensationem ergo manente legis obligatione quoad reliquos ex voluntate superioris quoad particulares aliquas personas eius obligatio aufertur.

a. *Dispensatio* est *actus iurisdictionis*, qui actu voluntatis exercetur; quare superior dispensationem concedere non potest, nisi sciens et volens; valet autem dispensatio metu extorta, modo superior voluntatem dispensandi habuerit, quia metus non tollit voluntarium, nec lex positiva eiusmodi dispensationem irritam declarat.

b. Differt a *licentia*, qua lex non relaxatur, sed potius adimpletur: licentia enim locum habet, quando lex aliquam rem non absolute, sed solum sub condicione prohibet, ne scilicet sine consensu superioris fiat. Sic si lex prohibet, ne religiosus domo egrediatur sine superioris licentia, is, qui licentiam petit, non petit legis relaxationem, sed legem observat. Differt a *declaratione*, qua iudicatur aliquem casum particularem a lege excipiendum esse. Declaratio sine ulla potestate a quovis privato fieri potest, sic medicus declarare potest aliquem a ieiunio excusari, si merito iudicat ieiunium ei ob debilitatem nocere posse. Differt a *privilegio*, quod ex se perpetuum et non semper contra legem est, dispensatio econtra ex se ad tempus conceditur et semper contra legem est.

c. Discrimen inter dispensationem et licentiam eo potissimum cernitur, quod nunquam valet *praesumpta dispensatio*, valet autem *praesumpta licentia*. Cuius rei *Suarez* hanc rationem assignat. Ubi aliquid prohibetur, ne fiat sine licentia, actio non est simpliciter pro-

¹⁾ *Stiegler*, Dispensation, Dispensationswesen und Dispensationsrecht im Kirchenrecht (Mainz, Kirchheim 1901).

hibita, sed solum ne fiat sine consensu superioris, qui consensus ex communi usu etiam praesumi potest. Ubi vero requiritur dispensatio, actio ipsa prohibita ideoque mala est, quare per actum voluntatis ipsius superioris prohibitio et malitia auferri debent¹⁾.

2. *Dispensatio effectum sortitur* eo momento, quo petenti conceditur; attamen ut hic licite dispensatione uti possit, ei vel per litteras vel per internuntium notificari debet, ne praesumens dispensationem se exponat periculo legem frangendi, si forte concessa non fuisset.

154. Divisio. Ex multis dispensationis divisionibus una solum notanda est, cum aliae e. g. debita et non debita, valida et invalida ex ipsis terminis intelligantur, ea scilicet, qua dividitur in *obreptitiam*, si in petitione falsum quid asseritur, et in *subreptitiam*, si reticetur, quod manifestandum erat. Saepius autem hae voces indiscriminatim adhibentur.

Nulla existit necessitas in petitione allegandi dispensationem negatam prius ab eodem superiore vel ab alio superiore, antecessore vel ab inferiore. Num sit subreptitia petitio, si dispensatio negata a pontifice non allegatur, in petitione ad episcopum directa disputant quidem; at negandum est, nisi s. pontifex expresse in aliquo casu restringat episcopi facultatem²⁾.

§ 1. De potestate dispensandi.

155. Quis dispensare possit. 1. Legislator propria potestate dispensare potest in lege propria et in lege praedecessorum suorum: sicut enim obligatio legis per voluntatem legislatoris inducitur, ita per eandem voluntatem etiam aufertur.

2. Inferior in lege superioris dispensare nequit, nisi ab eo potestatem vicariam acceperit. Superior autem hanc potestatem ea solum conditione communicare censetur, ut dispensatio fiat *ob iustas causas*.

3. *Potestas* dispensandi, cum sit favor, late interpretanda est, *dispensatio* autem, saltem particularis, cum sit

¹⁾ Cf. De legibus l. 6. c. 13. n. 20.

²⁾ Cf. *Lehmkuhl*, Casus consc. I. n. 125.

odiosa, strictae est interpretationis; attamen dispensatio integrae communitati concessa, censetur favorabilis et proinde latae interpretationis.

Qui accipit potestatem dispensandi a ieiunio, etiam ab abstinentia dispensare potest, quia ieiunium pleno sensu acceptum utrumque comprehendit; qui vero dispensatus est a ieiunio, non item ab abstinentia dispensatus est, quia haec in illo non necessario continetur.

156. In quibus legibus dispensare possit. 1. *Summus pontifex* dispensare potest: *a. potestate propria in omnibus legibus ecclesiasticis* tum generalibus tum particularibus, sive latae sunt a concilio sive ab alio pontifice sive ab apostolis; *b. potestate vicaria in quibusdam legibus divinis*, in quibus scilicet obligatio iuris divini a voluntate humana dependet ut in votis, in iuramentis, in matrimonio rato non consummato et in professione religiosa. In aliis autem legibus divinis solum voluntatem supremi legislatoris interpretari seu declarare potest.

2. *Episcopus potestate propria* dispensare potest in omnibus legibus et statutis dioecesis suae; potestate autem vicaria ordinaria etiam in quibusdam legibus universalibus ecclesiae, sed in particulari casu tantum, ergo nec cum tota communitate nec illimitate in perpetuum, scilicet:

a. In dubiis, num res indigeat dispensatione: in his enim aut in cautelam dispensare aut declarare potest legem non obligare: etenim proprie non requiritur dispensatio, cum licitus sit usus opinionis probabilis.

b. In casibus frequenter occurrentibus ut in ieiunio, abstinentia, horis canonicis, festis, immo etiam in votis et iuramentis non reservatis: nimis enim durum esset fidelibus, si in casibus adeo frequentibus semper ad s. sedem recurrere deberent; consuetudo hanc potestatem confirmat.

c. In casibus urgenti necessitatis, quando periculum est in mora ut in impedimentis matrimonii, in irregularitatibus, in votis reservatis: hoc enim exigit bonum commune.*

d. Si in lege dicitur indefinite dispensari posse: sic enim implicate facultas dispensandi traditur.

e. Si in iure expresse conceditur facultas dispensandi ut in proclamatione bannorum et in irregularitatibus occultis (excepto homicidio)¹⁾.

¹⁾ Cf. Concil. trid. sess. 24. c. 1. 6.

Praeter has facultates ordinarias episcopi plerumque habent alias *extraordinarias* ex speciali summi pontificis concessione *delegatas* ad tres, ad quinque, ad decem aut plures annos.

Ordinarias facultates episcopi aliis *delegare* possunt, de extraordinariis idem dicendum videtur, nisi eis in indultis adempta sit haec potestas, tum quia delegati sunt summi pontificis, tum quia delegati sunt ad universitatem causarum.

3. *Parochus* potestate *vicaria ordinaria* dispensare potest *in legibus universalibus ecclesiae levioribus et frequenter occurrentibus* ut in ieiunio, in abstinence et in operibus die festo prohibitis, etsi facilis esset ad episcopum recursus, sed solum in particularibus casibus. Cum tamen haec potestas dispensandi derivetur a consuetudine, ad determinandum eius ambitum in singulis locis attendendum est ad usum dioecesis.

Parochi hanc suam potestatem utpote ordinariam etiam aliis *delegare* possunt; ideo e. g. capellanus delegari potest ad concedendam dispensationem ab abstinence, ab operibus servilibus etc.

4. *Praelati regulares* potestate *vicaria ordinaria* cum subditis suis dispensare possunt *in nonnullis legibus universalibus ecclesiae*: recitandi officium, ieiunii, abstinentiae, operum servilium, librorum prohibitorum et irregularitatum, sed in particularibus casibus tantum¹⁾, quia in subditos suos potestatem quasi-episcopalem habent.

a. *Praelati regulares* dicuntur, qui in ordine exempto iurisdictionem exercent, cuiusmodi sunt superiores ordinis universi, singularum provinciarum et singularum domorum (superiores locales: priores, guardiani, rectores).

b. Quia in subditos *potestatem quasi-episcopalem* habent, in illos generatim eam potestatem exercere possunt, quam episcopi in suos dioecesanos iure ordinario (non item vi specialium facultatum) exercent. *Generatim*: quia in nonnullis casibus ampliorem, in aliis strictiorem potestatem habent quam episcopi, quod indicabitur, ubi de singulis praeceptis sermo erit.

5. *Confessarii* dispensare *non possunt*, nisi potestatem delegatam ad id acceperint. Ubi autem existit sufficiens causa, doctrinaliter declarare possunt, poenitentes in pe-

¹⁾ S. C. C. 17. dec. 1725.

culiaribus eorum circumstantiis ad observandam legem non teneri.

Si facultas delegata dispensandi conceditur *confessario ab oratore eligendo*, nihil impedit quominus orator variare et uno iam electo alium eligere possit, qui prioris dispositionem aut confirmet aut corrigat. Haec enim censetur esse intentio poenitentiarum facultatem concedentis, quia potestas pro foro conscientiae concessa sequitur naturam huius fori, in quo poenitens libere alium confessarium adire potest¹⁾.

157. Quos episcopi dispensare possint. Cum dispensatio sit actus iurisdictionis, patet dispensari non posse *nisi subditum*. In specie vero haec notanda sunt:

1. Episcopus dispensare potest: *a. cum subditis suis*, etiamsi extra dioecesim versentur; *b. cum iis, qui in dioecesi quasi-domicilium habent*; *c. cum vagis*, quamdiu in dioecesi versantur; *d. cum peregrinis*, qui in casu necessitatis ad proprium episcopum recurrere non possunt, idque ex tacito consensu proprii peregrinorum episcopi.

Peregrini per se in legibus communibus, in votis vel iuramentis dispensari non possunt ab episcopo loci, in quo morantur, quia non sunt eius subditi, in quos proinde iurisdictionem exercere non potest; quodsi igitur valide dispensentur, id solum ex delegatione proprii peregrinorum episcopi fieri potest. Hic autem potestatem dispensandi delegare non censetur sicut potestatem absolvendi, excepto casu, quo ad proprium episcopum recurri non potest, quia ad absolvendum requiritur praesentia poenitentis, dispensari autem potest etiam absens. Quare in casu necessitatis, ubi nimirum indigent dispensatione, ad proprium autem episcopum recurrere non possunt, hic tacite consentire censetur.

2. Cum *religiosis exemptis* episcopi proprie dispensare non possunt, cum non sint eorum subditi; attamen cum superiorum consensu religiosi uti possunt dispensationibus episcopalibus e. g. in abstinentia vel ieiunio.²⁾

3. Dispensatio concedi potest *absenti*, immo etiam *ignoranti* et absolute loquendo etiam *invito*; verum ordinarie ad validam dispensationem requiritur consensus seu acceptatio eius, cum quo dispensatur: gratia enim et beneficium non conceditur nisi volenti, id quod praesertim

¹⁾ Cf. *Schmalzgrueber*. Titl. XVI. n. 243. *Sanchez*, De matrimonio l. 8. disp. 27. n. 40.

valet de dispensationibus matrimonialibus. Quilibet dispensationem petitam acceptare censetur, nisi de contraria voluntate constet.

a. Confessarius habens potestatem dispensandi etiam cum *peregrinis* dispensare potest, sive potestatem habet a summo pontifice sive ab episcopo: neuter enim censetur delegare potestatem ad certas personas restrictam, sed potestatem, quae se extendat ad omnes, quos ipsi delegantes dispensare possunt.

b. Facultas dispensandi, quae alicui conceditur tamquam *confessario*, in eos tantum valet, in quos iurisdictionem habet; et potestas, quae alicui conceditur tamquam *missionario*, valet pro toto tempore, quo missionibus habendis destinatus est, etsi actu non occupetur in danda missione.

158. *Num habens potestatem dispensandi cum aliis secum ipse dispensare possit.* Qui habet potestatem generalem (non pro particulari casu) sive ordinariam sive delegatam dispensandi cum aliis, dispensare potest etiam *secum ipse*, idque *directe*: dispensatio enim non est actus iurisdictionis contentiosae nec iurisdictionis voluntariae, qua obligatio iniungitur, sed iurisdictionis voluntariae, qua gratia conceditur; ad actus vero huius iurisdictionis non requiritur persona distincta.

Qui generalem dispensandi facultatem habet, omnium consensu potest etiam secum ipse dispensare. Hanc tamen dispensationem non omnes eodem modo explicant. Alii censent superiorem solum *indirecte* secum dispensare posse, idque duplici modo. Vel enim cum tota communitate dispensat; quodsi tota communitas a lege solvitur, aequitas postulat, ut etiam illius caput ab ea solvatur. Vel superior alicui concedit facultatem dispensandi, et deinde ipse ab eo petit dispensationem. Ad hanc sententiam amplectendam ducuntur hocce argumento: dispensatio est actus iurisdictionis; nemo autem in semetipsum exercere potest iurisdictionem, quia exercitium iurisdictionis subditum adeoque personam distinctam exigit. Nihilominus alii rectius contendunt superiorem *directe* secum dispensare posse, quia ad gratiam conferendam non requiritur persona distincta.

159. *Num summus pontifex dispensare possit in lege divina.* — In lege divina *positiva* dispensare nequit, eam vero *authentice* declarare et interpretari potest (n. 100). Quoad legem divinam *naturalem* certum est summum pon-

tificem quandoque auferre illius legis obligationem: re ipsa enim dispensat, ut dici solet, in votis et iuramentis, in matrimonio rato et in professione religiosa. Verum haec non est proprie dicta dispensatio in lege naturae, sed potius ablatio condicionis, a cuius existentia obligatio legis naturae in particulari casu dependet; hac ergo condicione ablata cessat etiam obligatio (n. 95).

Ut hoc declaretur, notanda sunt, quae sequuntur:

1. Obligationes legis naturae sunt duplicis generis, aliae singulos afficiunt independenter ab actu voluntatis humanae ut Deus colendus, parentes honorandi, non mentiendum etc.; aliae vero singulos afficiunt solum dependenter ab actu voluntatis humanae, eiusmodi sunt obligationes, quae ex contractibus, votis, iuramentis oriuntur.

2. In obligationibus primi generis summus pontifex dispensare nequit; in obligationibus secundi generis proprie non dispensat, quia obligationem legis naturalis (votum esse implendum, promissum esse servandum) non relaxat, sed pro potestate, qua utitur in voluntatem humanam, permittit, ut actus voluntatis, quo obligatio legis naturalis in particulari casu inducta est, mutari seu retractari possit, quo facto ipsa obligatio in hoc individuo cessat. Sed quia obligatio contracta est erga Deum, actus voluntatis humanae inducens obligationem non pro arbitrio, sed solum Deo consentiente mutari et retractari potest. Dum ergo summus pontifex ex iusta causa dispensat, ipse declarat Deum in mutationem voluntatis consentire.

3. Ex his patet summum pontificem habere potestatem dispensandi in lege naturali divina aliud non significare, nisi s. pontificem declarare posse, quando Deus in mutationem voluntatis, ex qua orta est obligatio legis, consentiat. Deus autem s. pontificem hac potestate instructum esse voluit, quia id fidelibus non solum expedit, sed quandoque plane necessarium est. Considerata enim hinc rerum mundanarum inconstantia, inde hominum imprudentia et inconsideratione non raro fit, ut obligationes ex voluntate humana contractae hominibus magis nocivae quam utiles sint¹⁾.

§ 2. De causis dispensationis.

160. Necessitas causae. Si petitur dispensatio, *causae dispensationis* allegari debent. Causae istae gravitati legis debent esse proportionatae; quaenam autem sint sufficientes, iudicio prudenti dispensantis relinquendum est; attamen

¹⁾ Cf. *Ballerini-Palmieri* I. n. 406 ss.

non adeo graves esse debent, ut per se a lege excusent: etenim in hoc casu opus non esset dispensatione.

Fieri potest, ut lex ob aliquam causam impediendam aut certo aut probabiliter non amplius obliget; non solum in primo, sed etiam in hoc secundo casu opus non est dispensatione, cum obligatio legis sine dispensatione cesset. Si vero legi obstant causae impediendae, quae per se quidem ab obligatione legis non excusant, quae tamen certe aut saltem probabiliter sufficiunt, ut superior dispensare possit, opus est dispensatione.

Num superior existente iusta causa dispensare debeat.

1. Dispensatio existente iusta causa quandoque debita est sive ex praecepto sive ex iustitia.

Casus, in quibus debita est dispensatio, hi enumerari solent: *a.* si ius commune vel praeceptum particulare exigit, ut ob eam causam dispensetur; *b.* si necessarium est ad bonum commune, quo in casu iustitia (legalis) exigit, ut dispensetur, sic ob necessitatem ecclesiae debita esse potest dispensatio ab interstitiis; *c.* si necessarium est ad bonum spirituale petentis, ob quam causam dispensatio in votis potest esse debita; *d.* si necessarium est ad avertendum grave damnum vel publicum scandalum, sic debita esse potest dispensatio a proclamationibus matrimonii.

2. Negata dispensatione, etsi iniuste id factum fuerit, non licet contra legem agere. Quodsi negata fuerit ab inferiore, patet recursus ad superiorem; et si superior quoque eam negaverit, servanda est lex, nisi tanta sit observationis difficultas, ut haec per se a lege observanda excuset.

161. Distinctio causarum. 1. Causae dispensationis aliae sunt *internae*, quae oriuntur ex difficultate observandi ipsam legem, ut si ob debilitatem a ieiunio dispensatur¹⁾; aliae *externae*, quae oriuntur ex adiunctis personae dispensandae vel personae dispensantis vel ex bono communi.

¹⁾ Nonnullae leges ut e. g. lex integritatis in confessione ita sunt comparatae, ut natura sua magnam difficultatem habeant; haec difficultas in particulari casu ab observatione legis non excusat. Aliae leges ut e. g. lex ieiunii pariter natura sua aliquam sed non adeo magnam difficultatem habent. Quodsi in particulari casu difficultas haec magna est, ea per accidens cum observatione legis coniungitur, etsi interna sit, et proinde ab observatione legis excusat (n. 116).

a. Causae externae dispensandi sunt dignitas petentis aut superioris, utilitas communis aut privata, solutio pecuniae in utilitatem ecclesiae¹⁾. Et sane concedi solet dispensatio ad remunerandum meritum alicuius personae, ut persona ecclesiae devinciatur, ad prospiciendum necessitati vel utilitati personae, ad ostendendam liberalitatem vel benignitatem ex parte legislatoris etc.

b. Quodsi quandoque dispensatio concedi dicitur *sine causa*, id intelligendum est sine causa interna, aut sine alia causa externa praeter solutionem pecuniae. Ubi nempe videatur deesse alia causa dispensandi externa, pro dispensatione imponitur eleemosyna in pium opus impendenda, quo bonum ecclesiae promoveatur. In hoc casu utilitas ecclesiae est causa dispensandi.

2. Causae dispensationis aliae sunt *motivae* (finales), quae per se sufficiunt ad concedendam dispensationem, aliae *impulsivae*, quae per se non sufficiunt ad concedendam dispensationem, motivas tamen adiuvant, ut facilius concedatur dispensatio. Ergo illis non existentibus superior non dispensasset; his non existentibus tamen dispensasset.

162. Principia. 1. Qui potestate *propria* dispensat, etiam sine causa valide dispensare potest, quia obligatio legis prorsus ab eius voluntate dependet; qui autem potestate *vicaria* dispensat, sine causa valide dispensare nequit: superior enim non censetur concedere inferiori facultatem dispensandi sine iusta causa (n. 155).

2. Ad *licite* dispensandum semper requiritur *causa* aut certo aut saltem probabiliter *sufficiens*. Qui potestate propria sine causa dispensat, committit vitium acceptionis personarum, ideoque graviter non peccat nisi forte ratione scandali vel damni aliorum; qui autem potestate vicaria sine causa dispensat, in materia gravi graviter peccare potest, quia abutitur potestate sibi concessa. In dubio, num causa sufficiat, non solum ipse legislator sed etiam inferior legislatoris tum valide tum licite dispensationem concedit, alias superiori nimium onus iniungeretur.

Si inferior in lege superioris dispensans per errorem existimat, causam esse sufficientem, dispensatio valida est: in casibus enim dubiis

¹⁾ Cf. s. *Alphonsus* n. 195.

Handwritten notes at the bottom of the page: "dispenis 'motivum movens'", "Impulsiva non est una causa which has a...", "In disp. il committit vitium..."

de sufficientia causae concessa est potestas valide dispensandi, etsi causa reipsa non sit sufficiens, ne oriri possint scrupuli circa valorem dispensationum; quodsi vero per errorem existimat adesse causam, cum reipsa nulla adsit, invalida est dispensatio.

3. Ut valida sit dispensatio, requiritur, ut una saltem causa motiva sit *vera*: dispensatio enim conceditur hac condicione: *si preces veritate nitantur*, quia superior non censetur sine causa dispensare velle, etsi id per se posset; levis tamen causae ceteroquin verae exaggeratio, dispensationem non reddit invalidam.

a. Sufficit, ut causa vera sit eo tempore, quo conceditur dispensatio, etsi vera non sit tempore, quo petitur: preces enim nituntur veritate, quando conceditur dispensatio. Num etiam vera esse debeat tempore, quo ponitur actio, ad quam licite ponendam impetrata fuit dispensatio, pendet tum ab ipsa lege tum ab intentione dispensantis, ut ex infra dicendis patebit.

b. Invalida est dispensatio, si causa vera quidem est tempore, quo petitur, non autem tempore, quo conceditur dispensatio, quia preces veritate non nituntur. Nihil refert, utrum bona an mala fide in petitione falsitas irreperit.

c. Pariter invalida est dispensatio, si causa vera non est tempore, quo petitur et conceditur, vera autem tempore, quo communicatur dispensatio: *non enim firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit*.

4. Si in petenda dispensatione *mala fide* falsitas exprimitur vel veritas celatur, invalidum est rescriptum, et quidem (saltem pro foro externo) quoad omnes suas partes; quodsi *bona fide* falsitas exprimitur vel veritas celatur, rescriptum invalidum non est, nisi error versatur circa causam motivam¹⁾.

Probabilis est sententia, quae docet, pro foro interno rescriptum invalidum esse solum quoad eam partem, in qua dolus occurrit, non item quoad partem ab illa prorsus distinctam²⁾.

5. Non solum is, qui sine causa dispensat, sed etiam is, qui sine causa dispensationem petit, illicite agit, quia dispensantem inducit ad rem illicitam; qui tamen utitur dispensatione valida, sed illicite petita, non peccat: qui enim valide dispensatus est, non tenetur legem observare.

¹⁾ C. Super litteris 20. *De rescriptis* (I. 3).

²⁾ Cf. *Sanchez*, De matrimonio l. 8. disp. 21. n. 70.

In dubio, num causa sufficiat, licet dispensationem petere, alias subditis nimium onus imponeretur, cum eiusmodi dubia, quae solvi nequeant, crebro occurrant.

§ 3. De cessatione dispensationis.

Dispensatio iam concessa cessare potest: a. revocatione dispensantis; b. cessatione causae; c. renunciatione dispensati; d. morte concedentis.

163. Revocatione dispensantis. a. Qui dispensavit *potestate propria*, dispensationem etiam sine iusta causa *valide* revocare potest: obligationem enim, quam dispensando abstulit, semper iterum valide imponere potest.

Dispensatio *in roto* semel absolute concessa a nullo superiore *valide* revocari potest. Item dispensatio, qua unico actu *inhabilitas* vel impedimentum e. g. irregularitas vel impedimentum matrimonii penitus aufertur, si semel absolute concessa est, revocari nequit.

Qui *potestate vicaria* dispensavit, ex iusta causa dispensationem revocare potest; sine iusta causa revocatio *invalida* est: qui enim potestate vicaria dispensat, sicut solum secundum voluntatem superioris dispensationem concedere, ita etiam solum secundum eiusdem voluntatem dispensationem revocare potest; sed revocatio sine iusta causa contra eius voluntatem esse censetur.

b. Ad *licite* revocandam dispensationem semper requiritur iusta causa; revocatio tamen facta sine iusta causa venialem culpam non excedit.

164. Cessatione causae. Duplex casus distingui debet¹⁾:

¹⁾ Exemplo in hac quaestione sit Bertha, quae petit dispensationem a voto castitatis ad contrahendum matrimonium ex duplici causa, ut proles concepta legitimetur, ut facilius sublevari possit Berthae mater annosa. Iam finge aut matrem aut prolem aut utramque mortuam esse matrimonio nondum contracto. — Clericus, qui dispensationem a titulo ordinationis accepit ob paupertatem, manet dispensatus, etsi ante ordinationem ei dives hereditas obveniat. — Caius ob morbum a recitatione officii et a ieiunio quadragesimali dispensatus est; iam finge morbum durante quadragesima penitus cessasse.

*In forma specialia = if disp is granted at Rome
for its validity the cause must there & then be present.*

1. Si causa motiva *cessat totaliter ante concessionem dispensationis*, non valet dispensatio.

2. Si causa motiva *cessat totaliter post concessionem sed ante usum saltem completum dispensationis*, distinguendum est. Si superior dispensare intendit *absolute*, non cessat dispensatio; quodsi superior dispensare intendit sub conditione: *si causa perdurat*, cessat dispensatio. Ad discernendum, utrum superior absolute an sub conditione dispensaverit, auctores hanc regulam tradunt¹⁾:

a. Si dispensatio habet *effectum successivum* ut in lege abstinentiae, in lege recitandi officium divinum, cessante causa cessat dispensatio, cum superior supponi non possit sine causa dispensare velle.

Requiritur autem, ut causa *certe* cessaverit; qui ergo ob infirmitatem ab abstinentia vel a divino officio dispensatus est, dispensatione uti potest, donec perfecte convaluit.

b. Si dispensatio habet *effectum totum simul* ut in irregularitatibus, in impedimentis matrimonii, cessante causa non cessat dispensatio, quia lex per dispensationem semel ablata reviviscere nequit, nisi per voluntatem legislatoris; huius autem voluntatis nullum indicium assignari potest.

a. Sunt, qui hunc casum excipiant: si quis dispensationem obtinuit a voto castitatis, ut possit inire matrimonium *ad legitimandam prolem*, et proles ante matrimonium moritur: etenim si legitimatio prolis unica causa dispensationis est, matrimonium licite iniri non potest, nisi dependenter ab illa causa tempore matrimonii existente²⁾. Verum alii censent dispensationem etiam in hoc casu valere: etsi enim proles post dispensationem factam moriatur, impedimentum tamen vel obligatio voti semel ablata non reviviscit³⁾.

β. Si causa et usus dispensationis simul cessant, e. g. si quis a voto castitatis dispensatus fuit, ut matrimonium inire possit ad legitimandam prolem, et paulo post initum matrimonium decedit altera pars, aliud matrimonium inire potest, nisi dispensatio pro uno tantum matrimonio data fuerit: si enim dispensatio illimitate facta est, per

¹⁾ Cf. *Suarez*, De leg. l. 6. c. 20. n. 18.

²⁾ *Lehmkuhl* II. n. 173.

³⁾ *Laymann* l. 1. tr. 4. c. 22. n. 15.

eam simpliciter aufertur obligatio voti, qua ablata ulteriori matrimonio nihil obstat.

165. Renuntiatione dispensati. *a.* Dispensationi factae quilibet renuntiare potest, nisi renuntiatio cedat in damnum aliorum: ut autem per renuntiationem cesset dispensatio concessa, superiori innotescere ab eoque acceptari debet: obligatio enim per voluntatem superioris ablata non potest denuo oriri, nisi per voluntatem eiusdem superioris. *b.* Non-usus dispensationis per se non est signum renuntiationis: non-usus enim simul consistere potest cum voluntate postea utendi dispensatione; qui ergo dispensatus est a ieiunio vel a divino officio, potest dispensatione uti, etsi obtenta iam dispensatione per aliquod tempus officium recitaverit vel ieiunaverit.

Neque actus contrarius per se renuntiationis signum est; sic si quis dispensatus ad matrimonium ineundum cum Bertha ducit Semproniam, hoc ipso non renuntiat dispensationi acceptae.

166. Morte dispensantis tum solum cessat dispensatio, si concessa fuit hac vel simili clausula: ad nostrum arbitrium vel donec placuerit, quia morte concedentis desinit quodcumque eius beneplacitum atque arbitrium; non cessat autem, si data fuit absolute aut hac vel simili clausula: donec revocetur, quia est gratia facta; gratia autem facta non expirat morte concedentis, etsi nondum executioni mandata fuerit, nisi ex terminis concessionis aliud constet.

De formula tamen *ad beneplacitum nostrum* notandum est eam saepe adhiberi tamquam aequivalentem formulae *usque ad revocationem*, atque in hunc sensum S. C. Ep. et Reg. 19. iun. 1866 in particulari casu decidit facultates datas sub hac formula morte episcopi concedentis non cessare¹⁾.

Num liceat uti dispensatione extra dioecesim. Non licet uti dispensatione, quae in lege communi generali indulto pro tota dioecesi concessa est: haec enim aequae ac praeceptum commune territorialis est; dispensatione autem

¹⁾ Cf. *Ballerini-Palmieri* V. n. 355.

If they are given in the original, they are not binding.

particulari, quae ex speciali causa personae singulari concessa est, ubique terrarum uti licet, quia haec personae inhaeret, cui concessa est, eamque comitatur.

Articulus tertius.

De privilegio.

167. Definitio. 1. Privilegium *obiective* consideratum est lex privata specialem favorem contra vel praeter ius commune concedens.

a. Privilegium rationem *legis* habet, quia est *norma*, secundum quam aliquis ex concessione superioris permanenter operari potest contra vel praeter ius commune, praesertim vero, quia tota communitas agnoscere tenetur privilegium et privilegiatum non impedire, quominus eo utatur.

b. Lex *privata* dicitur, quia non conceditur toti communitati, sed vel uni personae vel parti communitatis, quae ipsa lege tenetur.

2. *Privilegium subjective* consideratum est facultas specialis et permanens a superiore in favorem concessa contra vel praeter ius commune.

a. *Permanens* dicitur, quia non datur ad actum transeuntem vel ad breve tempus sicut dispensatio aut facultas generatim accepta, sed quia natura sua quandam stabilitatem habet, etsi non semper sit perpetuum. *A superiore concessa*, quia privatus non potest privilegia concedere, sed solum licentias dare, nec contra legem.

b. Privilegium *a dispensatione differt*: α . dispensatio solum est contra legem, privilegium potest etiam esse praeter legem; β . dispensatio plerumque ad actum transeuntem conceditur, privilegium vero est facultas stabilis et permanens; γ . dispensatio concedi potest aut integrae communitati aut singulari personae sive physicae sive morali; privilegium solum personae singulari sive physicae sive morali conceditur. Dispensatio ergo singulari personae concessa a privilegio contra legem non differt.

168. Divisio. Privilegia multipliciter dividuntur,

1. *Ratione materiae*: *a.* in privilegia *contra legem*, si per illa alicui legi derogatur, ut est exemptio a solvendis tributis; et *praeter legem*, si per illa nulli legi derogatur, ut est potestas dispensandi; *b.* in privilegium *favorabile*,

quod privilegiato affert commodum, nulli autem incommodum ut privilegium dicendi missam in oratorio privato; et *odiosum*, quod uni affert commodum, alteri vero incommodum ut exemptionio a solvendis tributis, ab ordinarii iurisdictione.

2. *Ratione subiecti*, cui conceditur, in privilegium personale et reale. *Personale* confertur directe et immediate alicui personae ratione sui ipsius ob scientiam, dignitatem etc. Hoc personam sequitur et cum ea expirat ut potestas absolvendi a censuris. *Reale* directe et immediate confertur non personae sed rei, a qua in personam redundat. Hoc privilegium adhaeret rei, cum ea transit ad personam, ad quam res pertinet, et cum re etiam expirat.

Nomine *rei* intelligitur non solum res corporea ut ecclesia vel monasterium, sed etiam res incorporea ut persona moralis (collegium, communitas), munus, dignitas, status, qualitas a persona separabilis ut doctoratus etc. Huc e. g. pertinent indulgentiae annexae ecclesiae, altari, cruci, rosario etc., insuper privilegia concessa variis communitatibus (ordinibus religiosis, confraternitatibus) vel diversis statibus (clericis, episcopis etc.).

3. *Ratione causae*, ob quam confertur, in *gratiosum*, quod ex mera gratia, in *remuneratorium*, quod intuitu alicuius meriti aut servitii a privilegiato vel aliis e. g. parentibus praestiti conceditur, et in *onerosum*, quod interveniente aliquo pacto ad obtinenda servitia conceditur.

4. *Ratione modi*, quo conceditur, in privilegium datum *motu proprio*, quod conceditur sine petitione, et datum *ad instantiam*, ad quod concedendum superior inducitur precibus supplicantis.

5. *Ratione finis*, ob quem conceditur, in privilegium *commune*, quod communitati primo et per se in bonum communitatis conceditur, adeo ut eius usus cedat in bonum communitatis ut privilegium canonis, quod clericis, aut exemptionis, quod ordinibus religiosis concessum est, et in privilegium *privatum*, quod personae privatae vel etiam communitati, sed in bonum singulorum conceditur.

169. De concessione privilegii. 1. Privilegium concedere potest solus legislator aut eius successor aut utriusque superior, sive est privilegium contra sive praeter legem. Etenim si est contra legem, solus legislator subditum a lege eximere potest, et si est praeter legem, solus legislator communitati imponere potest obligationem privilegatum in usu privilegii non impediendi.

2. Privilegium concedi potest vel *directe* per legitimum superiorem, vel *indirecte* per communicationem privilegiorum, quando scilicet privilegium uni concessum etiam ad alterum extenditur, sic existit communicatio privilegiorum inter quosdam ordines religiosos.

3. Privilegium *contra legem* concedi potest solum *subdito*, quia concessio haec est actus iurisdictionis, qui solum in subditos exerceri potest; privilegium autem *praeter legem* etiam aliis *non subditis* concedi potest, dummodo materia sit subiecta legislatori privilegium conferenti, quia haec concessio habet rationem donationis, cuius etiam non subditus capax est.

4. Ut privilegium *validum* sit, non requiritur *iusta causa* illud concedendi, quia mere a voluntate legislatoris dependet, num aliquem velit a communi lege esse exemptum; sed ut privilegium *licitum* sit, requiritur *iusta causa*. Privilegium enim *contra legem* sine *iusta causa* concessum laedit iustitiam legalem et distributivam; et privilegium *praeter legem* sine *iusta causa* concessum est actus prodigalitatis, qui illicitus est.

170. De usu privilegii. 1. *Privilegio communi*, quod scilicet principaliter in bonum commune concessum est, unusquisque uti tenetur nec ei renuntiare potest, quia non licet agere quidquam contra bonum commune; huiusmodi sunt privilegia communia clericorum, episcoporum, regularium etc.

2. *Privilegio privato*, quod *personae privatae* in bonum privatum concessum est, per se nemo uti tenetur, sicut nemo tenetur uti iure suo, quia privilegium datur ut

favor, non ut onus; per accidens tamen eo tenetur uti privilegiatus, si non-usus in damnum alterius cederet, ut si quis nollet uti facultate absolvendi a reservatis.

Si sacerdos infirmus, qui domo exire non potest ad celebrandum, privilegium accepit instituendi oratorii privati, non tenetur illud instituere, ut diebus dominicis et festis celebrare possit; et si oratorium erexit, in rigore non tenetur diebus praeceptis celebrare, sed ab audiendo et celebrando sacro excusatur¹⁾.

3. *Privilegio privato*, quod *communitati* datum est in bonum singulorum, singuli renuntiare non possunt, sed sola communitas id potest; singuli autem per se non tenentur eo uti, per accidens tamen ad id teneri possunt, tum si superior legitimus usum privilegii singulis iniungit, tum ratione conformitatis cum aliis.

171. De interpretatione privilegii. 1. Privilegium *favorabile* est *late* interpretandum, nunquam vero tam late illud interpretari licet, ut interpretatio fiat iniusta aut ob similitudinem rationis ad personas vel causas extendatur in privilegio minime comprehensas.

2. Privilegium *odiosum*, quatenus est odiosum, est *stricte* interpretandum; restrictio tamen non debet esse tanta, ut privilegium reddatur inutile.

Privilegium tamen odiosum late interpretandum est: *a.* si a superiore motu proprio concessum est; *b.* si datum est in favorem cultus divini; *c.* si datum est alicui ordini vel communitati religiosae. Ratio huius ultimi est, quia tale privilegium censetur esse remuneratorium pro servitiis praestitis et proinde maxime favorabile.

3. In interpretatione privilegii cuiuscunque semper servanda est proprietas verborum, etsi modo iuxta latiorrem, modo iuxta strictiorem significationem accipienda sint: privilegia enim non plus operantur, quam verba significant.

172. De cessatione privilegii. Privilegium aequae ac dispensatio cessat *cessante causa*, ob quam datum est. Insuper:

¹⁾ Cf. *Lehmkuhl*, *Casus consc.* L. n. 128 ss.

dispensatio. hinc ad hunc modum in casibus 297. in casibus 298. et 299. et 300. et 301. et 302. et 303. et 304. et 305. et 306. et 307. et 308. et 309. et 310. et 311. et 312. et 313. et 314. et 315. et 316. et 317. et 318. et 319. et 320. et 321. et 322. et 323. et 324. et 325. et 326. et 327. et 328. et 329. et 330. et 331. et 332. et 333. et 334. et 335. et 336. et 337. et 338. et 339. et 340. et 341. et 342. et 343. et 344. et 345. et 346. et 347. et 348. et 349. et 350. et 351. et 352. et 353. et 354. et 355. et 356. et 357. et 358. et 359. et 360. et 361. et 362. et 363. et 364. et 365. et 366. et 367. et 368. et 369. et 370. et 371. et 372. et 373. et 374. et 375. et 376. et 377. et 378. et 379. et 380. et 381. et 382. et 383. et 384. et 385. et 386. et 387. et 388. et 389. et 390. et 391. et 392. et 393. et 394. et 395. et 396. et 397. et 398. et 399. et 400. et 401. et 402. et 403. et 404. et 405. et 406. et 407. et 408. et 409. et 410. et 411. et 412. et 413. et 414. et 415. et 416. et 417. et 418. et 419. et 420. et 421. et 422. et 423. et 424. et 425. et 426. et 427. et 428. et 429. et 430. et 431. et 432. et 433. et 434. et 435. et 436. et 437. et 438. et 439. et 440. et 441. et 442. et 443. et 444. et 445. et 446. et 447. et 448. et 449. et 450. et 451. et 452. et 453. et 454. et 455. et 456. et 457. et 458. et 459. et 460. et 461. et 462. et 463. et 464. et 465. et 466. et 467. et 468. et 469. et 470. et 471. et 472. et 473. et 474. et 475. et 476. et 477. et 478. et 479. et 480. et 481. et 482. et 483. et 484. et 485. et 486. et 487. et 488. et 489. et 490. et 491. et 492. et 493. et 494. et 495. et 496. et 497. et 498. et 499. et 500. et 501. et 502. et 503. et 504. et 505. et 506. et 507. et 508. et 509. et 510. et 511. et 512. et 513. et 514. et 515. et 516. et 517. et 518. et 519. et 520. et 521. et 522. et 523. et 524. et 525. et 526. et 527. et 528. et 529. et 530. et 531. et 532. et 533. et 534. et 535. et 536. et 537. et 538. et 539. et 540. et 541. et 542. et 543. et 544. et 545. et 546. et 547. et 548. et 549. et 550. et 551. et 552. et 553. et 554. et 555. et 556. et 557. et 558. et 559. et 560. et 561. et 562. et 563. et 564. et 565. et 566. et 567. et 568. et 569. et 570. et 571. et 572. et 573. et 574. et 575. et 576. et 577. et 578. et 579. et 580. et 581. et 582. et 583. et 584. et 585. et 586. et 587. et 588. et 589. et 590. et 591. et 592. et 593. et 594. et 595. et 596. et 597. et 598. et 599. et 600. et 601. et 602. et 603. et 604. et 605. et 606. et 607. et 608. et 609. et 610. et 611. et 612. et 613. et 614. et 615. et 616. et 617. et 618. et 619. et 620. et 621. et 622. et 623. et 624. et 625. et 626. et 627. et 628. et 629. et 630. et 631. et 632. et 633. et 634. et 635. et 636. et 637. et 638. et 639. et 640. et 641. et 642. et 643. et 644. et 645. et 646. et 647. et 648. et 649. et 650. et 651. et 652. et 653. et 654. et 655. et 656. et 657. et 658. et 659. et 660. et 661. et 662. et 663. et 664. et 665. et 666. et 667. et 668. et 669. et 670. et 671. et 672. et 673. et 674. et 675. et 676. et 677. et 678. et 679. et 680. et 681. et 682. et 683. et 684. et 685. et 686. et 687. et 688. et 689. et 690. et 691. et 692. et 693. et 694. et 695. et 696. et 697. et 698. et 699. et 700. et 701. et 702. et 703. et 704. et 705. et 706. et 707. et 708. et 709. et 710. et 711. et 712. et 713. et 714. et 715. et 716. et 717. et 718. et 719. et 720. et 721. et 722. et 723. et 724. et 725. et 726. et 727. et 728. et 729. et 730. et 731. et 732. et 733. et 734. et 735. et 736. et 737. et 738. et 739. et 740. et 741. et 742. et 743. et 744. et 745. et 746. et 747. et 748. et 749. et 750. et 751. et 752. et 753. et 754. et 755. et 756. et 757. et 758. et 759. et 760. et 761. et 762. et 763. et 764. et 765. et 766. et 767. et 768. et 769. et 770. et 771. et 772. et 773. et 774. et 775. et 776. et 777. et 778. et 779. et 780. et 781. et 782. et 783. et 784. et 785. et 786. et 787. et 788. et 789. et 790. et 791. et 792. et 793. et 794. et 795. et 796. et 797. et 798. et 799. et 800. et 801. et 802. et 803. et 804. et 805. et 806. et 807. et 808. et 809. et 810. et 811. et 812. et 813. et 814. et 815. et 816. et 817. et 818. et 819. et 820. et 821. et 822. et 823. et 824. et 825. et 826. et 827. et 828. et 829. et 830. et 831. et 832. et 833. et 834. et 835. et 836. et 837. et 838. et 839. et 840. et 841. et 842. et 843. et 844. et 845. et 846. et 847. et 848. et 849. et 850. et 851. et 852. et 853. et 854. et 855. et 856. et 857. et 858. et 859. et 860. et 861. et 862. et 863. et 864. et 865. et 866. et 867. et 868. et 869. et 870. et 871. et 872. et 873. et 874. et 875. et 876. et 877. et 878. et 879. et 880. et 881. et 882. et 883. et 884. et 885. et 886. et 887. et 888. et 889. et 890. et 891. et 892. et 893. et 894. et 895. et 896. et 897. et 898. et 899. et 900. et 901. et 902. et 903. et 904. et 905. et 906. et 907. et 908. et 909. et 910. et 911. et 912. et 913. et 914. et 915. et 916. et 917. et 918. et 919. et 920. et 921. et 922. et 923. et 924. et 925. et 926. et 927. et 928. et 929. et 930. et 931. et 932. et 933. et 934. et 935. et 936. et 937. et 938. et 939. et 940. et 941. et 942. et 943. et 944. et 945. et 946. et 947. et 948. et 949. et 950. et 951. et 952. et 953. et 954. et 955. et 956. et 957. et 958. et 959. et 960. et 961. et 962. et 963. et 964. et 965. et 966. et 967. et 968. et 969. et 970. et 971. et 972. et 973. et 974. et 975. et 976. et 977. et 978. et 979. et 980. et 981. et 982. et 983. et 984. et 985. et 986. et 987. et 988. et 989. et 990. et 991. et 992. et 993. et 994. et 995. et 996. et 997. et 998. et 999. et 1000.

1. *Ipso facto* cessat privilegium: *a. Interitu personae*, cui concessum est privilegium personale, vel *interitu rei*, cui adiectum est privilegium reale; requiritur autem, ut res penitus destruat: si enim ecclesia vel altare vel confraternitas in alium locum transfertur, transfertur etiam privilegium. *b. Elapso tempore*, si privilegium ad tempus, et *cessante condicione*, si privilegium sub condicione datum fuerat.

2. *Non-usu* aut usu contrario et quidem spatio temporis, quod ad praescriptionem sufficiat, cessat privilegium, quod iuri aliorum adversatur. Quae enim lege statuta sunt de amissione iuris ope praescriptionis, valent etiam de privilegiis, quae aliis oneri sunt. Alia autem privilegia, quae solum privilegiato favorem conferunt, quin in aliorum gravamen redundant ut celebrandi ante auroram, non cessant ne per non-usum quidem longissimi temporis.

Etiam per *abusum* amittitur privilegium. Ille dicitur abuti privilegio, qui ex eo sumit occasionem peccandi. Abusu tamen non per se et ipso facto, sed plerumque eatenus tantum amittitur privilegium, quatenus concedenti praebetur iusta causa illud revocandi.

3. *Renuntiatione* libera atque expressa ex parte privilegiati.

a. Ut valeat renuntiatio, requiritur, ut privilegio renuntiare possit. Atqui unusquisque renuntiare potest privilegio, quod solum in suum favorem concessum est; at particularis persona renuntiare non potest privilegio, quod principaliter in favorem ecclesiae vel alicuius communitatis concessum est. Ideo clericus non potest renuntiare privilegio canonis, ne quidem pro se ipso.

b. Renuntiatio vel est *tacita* vel *expressa*. Illa fit non-usu aut usu contrario. Ut valida sit renuntiatio expressa, debet concedenti esse nota ab eoque approbari: cum enim solus legislator possit legem imponere, privilegiatus alias non afficeretur denuo obligatione legis.

4. *Revocatione* expressa vel tacita concedentis vel successoris vel superioris eius.

a. Revocatio *expressa* fit per clausulas revocatorias legi insertas, qua ratione a concilio tridentino facta est revocatio multorum privilegiorum.

Clausulae derogatoriae sunt duplicis generis: generales: *non obstantibus privilegiis*, et speciales: *non obstantibus quibuscunque privilegiis, non obstantibus privilegiis etiam speciali mentione dignis* et eiusmodi. Per clausulam generalem non revocantur: *a.* privilegia remuneratoria, qualia censentur privilegia religiosorum; *b.* privilegia concessa cum clausula, quod non revocentur nisi eorum specialis mentio fiat; *c.* privilegia a concilio generali concessa. Per clausulam specialem vero etiam haec revocata censentur.

b. Revocatio *tacita* fit per novam legem, qua revocantur omnia privilegia contraria in iure communi contenta, etiam sine clausula revocatoria. *corpus juris*

Ut per novam legem revocetur privilegium, praesumi debet legislatorem nosse privilegium; iam vero nosse censetur privilegia, quae continentur in iure communi; privilegia autem specialia, quae in iure communi non continentur, ignorare censetur. Ideo per novam legem revocantur privilegia in iure communi contenta, at non revocantur privilegia specialia, nisi eorum specialis mentio fiat.

5. *Morte concedentis non cessat* privilegium: ex generali enim regula gratia facta per mortem concedentis non extinguitur. Morte ergo concedentis cessat privilegium in duplici casu: *a.* si concessum fuit ad tempus vitae concedentis vel cum clausula *ad beneplacitum nostrum*; *b.* si continet gratiam faciendam et res adhuc est integra. *156*

Quaestio nona.

De cessatione legis.

Tripliciter lex ipsa cessare potest: *a.* per abrogationem vel derogationem; *b.* per cessationem finis; *c.* per consuetudinem contrariam.

173. De abrogatione. 1. *Abrogatio* est totalis ablatio legis per ipsum legislatorem facta; *derogatio* est partialis legis ablatio.

2. Legem omnino abrogare vel ei ex parte derogare non potest nisi ipse legislator vel eius successor vel superior: sicut enim existentia legis a voluntate legislatoris dependet, ita etiam eius cessatio.

3. Lex abrogari potest vel declarando legem aliquam iam vi obligandi carere vel ferendo novam legem, quae legi praeexistenti prorsus contraria sit.

174. De cessatione finis. 1. *Declarationes.* a. Finis seu causa motiva legis cessare potest *adaequate*, si tota ratio, quae legislatorem impulit ad legem ferendam, cessat, vel *inadaequate*, si una tantum ratio cessat, dum alia manet.

b. Finis legis adaequatus cessare potest *universaliter* seu pro maiore parte communitatis, vel *particulariter* seu pro singulari persona tantum.

c. Finis legis *contrarie* cessare dicitur, quando observatio eius fit nociva vel iusto difficilior; et dicitur *negative* cessare, quando observatio eius est quidem inutilis, attamen nec valde difficilis nec nociva. Si e. g. prohibitio legendi librum pravum observari non potest sine detrimento fidei, quae defendi nequit, quin legatur liber, finis legis cessat *contrarie*: cessat *negative* si lectio solum legenti nullum damnum affert.

2. *Principia.* a. Cessante causa motiva *adaequate et universaliter* cessat ipsa lex: si enim finis legis cessat, lex fit inutilis ideoque nulla.

b. Cessante causa motiva *inadaequate* non cessat lex, quia lex nondum est inutilis.

c. Si finis legis in casu particulari cessat *contrarie*, cessat lex, sed si finis legis cessat *negative* tantum, lex non cessat.

Ratio est: si finis legis *contrarie* cessat, iure uti possumus epikia, quodsi finis legis solum *negative* cessat, bonum commune

exigit, ut lex, quae propter bonum commune lata est, ab omnibus observetur: etenim nisi ab omnibus observari debeat, brevi efficaciam amittit, quia multi putantes finem legis pro ipsis cessasse legem non observarent et suo exemplo plures alios seducerent. Insuper si singulorum iudicio permittatur, num in particulari casu periculum damni cesset, eiusmodi leges propter periculum hallucinationis plerisque inutiles forent.

Sententia, quae tenet cessare legem, quando finis eius mere negative cessat, et quam nonnulli auctores probabilem habent, in praxim non deducitur. Sic nunquam omittitur proclamatio matrimonii, etsi nullum sit invalidi matrimonii periculum. Num admitti possit huius sententiae probabilitas, alii viderint. *S. Alphonsus* haec habet: „Magis mihi arridet prior sententia, eo quod communiter loquendo fere nunquam cessat omnino periculum hallucinationis. Si vero aliquando casus accideret, quod aliquis omnino certus et securus esset, abesse omne hallucinationis periculum, tunc non auderem secundam sententiam improbare, sed huiusmodi casus rarissime poterit evenire“ (n. 199). In fine tamen negat legi posse libros prohibitos, etiamsi quis putet pro se abesse omne periculum.

Quaestio decima.

De consuetudine.

175. Definitio. Vox *consuetudo* dupliciter accipitur: *a. causaliter* pro actibus a communitate frequenter repetitis; *b. formaliter* pro iure, quod accedente legislatoris consensu ex illis oritur. Hinc consuetudo formaliter *definiri* potest ius quoddam seu lex introducta diuturno communitatis usu approbante eo, qui curam illius communitatis habet.

Probe notandum est discrimen, quod intercedit inter consuetudinem (derogatoriam) et praescriptionem iuris, quacum consuetudo quandoque confunditur: alia enim principia consuetudinem, alia praescriptionem regunt, quare non eadem utrobique condiciones requiruntur. Praesertim vero *a.* ad praescriptionem bona fides requiritur, ad consuetudinem non requiritur; *b.* ad praescriptionem consensus illius non requiritur, contra quem praescribitur, ad consuetudinem vero consensus

legislatoris requiritur; *c.* ad praescriptionem tempus modo longius modo brevius a lege determinatum requiritur; ad consuetudinem inducendam tempus quidem ordinarie requiritur, at iudicio prudentum determinandum, quod tamen ultra decennium non protenditur.

176. Divisio. 1. Ratione extensionis in *universalem* seu generalissimam, quae in universa ecclesia viget; in *generalem* (in se particularis est), quae in tota aliqua provincia viget; in *specialem*, quae in societatibus minoribus, sed tamen perfectis i. e. legum capacibus viget; et in *specialissimam*, quae a personis privatis et societatibus imperfectis, quae nempe legis non sunt capaces observatur. Patet hanc non habere rationem legis, sed ad instar privilegii esse tantum facultatem aliquid agendi vel omittendi¹⁾.

2. Ratione relationis ad legem in consuetudinem *contra* legem, quae legem existentem aut omnino aut saltem ex parte aufert; *praeter* legem, quae novam legem inducit; *secundum* legem, quae legem existentem ipso usu confirmat vel interpretatur.

a. Ex hac divisione patet triplicem esse consuetudinis effectum: α . interpretandi legem; β . inducendi novam legem; γ . abrogandi legem existentem.

b. De duplici tantum consuetudine hic agendum est: α . de consuetudine *derogatoria* contra legem et β . de consuetudine *obligatoria* praeter legem.

Articulus primus.

De consuetudine derogatoria.

177. Eius vis derogatoria. 1. Consuetudinem ecclesiasticam, de qua sola hic agitur, habere vim *abrogandi legem* constat ex iure canonico, quod consuetudini hanc efficaciam expresse tribuit²⁾. Et sane eadem est vis con-

¹⁾ Cf. *Wernz* l. c. n. 187.

²⁾ C. Quum tanto (11) fin. *De consuetud.* (I. 4), cuius ultima verba haec sunt: „licet etiam longaevae *consuetudinis* non sit vilis-

suetudinis et legis: lex autem posterior abrogare potest priorem; ergo etiam consuetudo id potest, modo debitis vestita sit condicionibus.

2. Consuetudo abrogare non potest legem *naturalem*, quia haec est immutabilis, nec legem positivam *divinam*, quia vis consuetudinis ab auctoritate humana derivatur, nempe a consensu legislatoris humani; atqui auctoritas humana nihil potest contra legem divinam; sed abrogare solum potest legem *ecclesiasticam*.

Etsi consuetudo non habeat vim abrogandi *legem divinam*, eam tamen *interpretari* i. e. indicare potest, quomodo lex ex mente legislatoris intelligenda et observanda sit. Haec tamen consuetudo, interpretis legis divinae, regi debet infallibili iudicio ecclesiae, quae sola est authentica interpres institutionum et mandatorum Christi.

* 3. Nulla est *lex ecclesiastica*, quae contraria consuetudine abrogari non possit: textus enim iuris probantes consuetudinem sunt prorsus universales.

Ergo legitima consuetudo abrogare potest etiam:

a. *Legem expresse prohibentem* contrariam consuetudinem.

Manentibus quidem iisdem adiunctis, ob quae prohibita fuit consuetudo, haec vim obtinere nequit, quippe quae tunc esset irrationabilis; mutatis autem hisce adiunctis nihil impedit, quominus contraria consuetudo vim legis accipiat, quia rationabilis esse et per consensum legislatoris approbari potest¹⁾.

b. *Legem irritantem*: lex enim irritans abrogari potest per aliam legem: ergo etiam per consuetudinem, quae eiusdem est auctoritatis.

Ideo etiam impedimenta matrimonii irritantia iuris humani per legitimam consuetudinem contrariam abrogari possunt.

c. *Consuetudinem* aliquam existentem.

Ergo consuetudo universalis abrogare potest consuetudinem universalem, et consuetudo particularis particularem; universali autem consuetudini particularis derogare potest ex parte, in eo scilicet loco, in quo particularis consuetudo invaluit.

auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel iuri positivo debeat praeiudicium generare, *nisi fuerit rationabilis et legitime sit praescripta*²⁾.

¹⁾ Paucorum theologorum doctrina, contra decreta disciplinaria concilii tridentini nullam admitti consuetudinem, sufficientibus argumentis demonstrari nequit. Cf. *Biederlack*, Die Gewohnheiten gegen die Disziplinardekrete des Trienter Konzils. (Zeitschrift für kath. Theol. VI. (1882) S. 438 ff.) *Wernz* I. n. 194.

there are some who suppose that since the law is abrogated in practice they are morally impeded from observing it. It is true, but would not be but not licitly. He would not dare to meddle with it. The Church would not change them on that score.

178. Condiciones, quae requiruntur, ut consuetudo legem abroget:

1. *Consensus legislatoris*; sufficit autem consensus legalis.

a. Lex enim induci non potest nisi auctoritate legitima, quae quidem nequit esse voluntas populi consuetudinem exercentis, sed solum voluntas ipsius legislatoris.

Ex quo patet consensum legislatoris esse veram causam efficientem consuetudinis, quae legitimum valorem habeat.

b. Ut consuetudo vim legis obtineat, non requiritur consensus personalis, sed sufficit *legalis*: nihil enim impedit, quominus legislator lege universali statuatur, consuetudinem debitae qualitatis praeditam vim legis habere; quod si legislator fecerit, consuetudo vim legis accipit sine ulteriore consensu; id autem ipso iure statutum est¹).

a. Consensus potest esse *personalis*, quo superior ipse, aut *legalis*, quo ius vel lex universalis consuetudinem approbat. Personalis supponit cognitionem consuetudinis, legalis eam non exigit. Consensus personalis est *expressus*, si legislator dat licentiam inducendi consuetudinem, et est *tacitus*, si legislator consuetudinis conscius ei non resistit, cum facile resistere posset. Quare consuetudo, quam legislator prudenti silentio tantummodo tolerat, vim legis obtinere nequit.

β. *Consensus legalis* definiri solet praevia approbatio facta per voluntatem universalem in iure expressam approbandi quamcunque consuetudinem condicionibus vestitam.

γ. Si pro consuetudine habetur *consensus personalis* etiam tacitus tantum, non requiritur legitimum tempus ad consuetudinem inducendam, sed statim cessat obligatio legis.

2. Ex parte *materiae*, ut consuetudo sit rationabilis.

Ut sit rationabilis, non requiritur, ut sine peccato inchoetur: qui enim consuetudinem legi contrariam inducunt, initio plerumque peccant; nec requiritur, ut sit positive rationabilis, i. e. ut speciali ratione commendetur vel ut lege contraria melior atque perfectior sit; sed sufficit, ut negative rationabilis sit, i. e. ut nulla ratione (nec iure naturali nec iure divino) reprobetur, nec licentiam et occasionem peccandi praebeat, nec corruptelam morum contineat, ideoque aliquo modo conferat ad bonum commune.

3. Ex parte *communitatis*: a. ut consuetudo inducatur a communitate, cui lex imponi possit, qualis est regnum,

¹) C. Quum tanto (11) fin. *De consuetud.* (I. 4).

any custom binding the Church cannot arise
thereby - these not approved of them. eg. rights

provincia, civitas, dioecesis, parochia (non autem familia aut persona privata), ordo religiosus et probabiliter etiam ordinis religiosi provincia; *b.* ut exerceatur a maiore communitatis parte: consuetudo enim inducitur a communitate ex consensu principis; atqui solum maior pars communitatem moraliter repraesentat.

4. Ex parte *actuum*: *a.* ut sint *liberi*, i. e. ut neque ex metu neque ex errore vel ignorantia procedant: nam sine consensu populi non potest per consuetudinem lex stabiliri; iste autem consensus deest, si actus non sunt liberi; *b.* *legitimo tempore praescripti*: nam ius ipsum certam durationem consuetudinis requirit, ut legalem valorem habeat: *nisi sit legitime praescripta*; *c.* *facti cum intentione se a lege deobligandi*. Ad hoc autem non requiritur, ut communitas legem saltem *initio cognoscat* eamque nihilominus non observet, sed sufficit, ut cum opinione legem non existere eam bona fide non observat. Quocirca id, quod fideles ex inconsideratione vel levitate omittunt, nunquam vim legitimae consuetudinis obtinere potest.

α. Quantum tempus ad inducendam consuetudinem requiratur, nullibi reperitur definitum. Ut consuetudo *obligatoria* vim legis obtineat, *decennium* requiritur et sufficit; ut consuetudo *derogatoria* valorem habeat, *quadraginta* anni requiruntur, e recentioribus autem theologis complures opinantur *decennium* sufficere¹⁾.

β. Supposito *dubio positivo* circa consuetudinem, adeo ut ex una parte vere probabile sit omnia haberi, quae ad legitimam consuetudinem inducendam requiruntur, et pari modo ex altera parte probabile sit aliquid eorum deesse, quae ad legitimam consuetudinem requiruntur, ita distinguendum est: *a.* in dubio circa consuetudinem *praeter legem* consuetudo nondum obligat: dubium namque est, num consuetudo vim legis obtinuerit; *lex autem dubia non obligat*; *b.* in dubio circa consuetudinem *contra legem* *lex non amplius obligat*: eo enim, quod consuetudo *contraria* probabiliter a lege deobligat, ipsa lex facta est dubia, lex autem dubia non obligat.

¹⁾ Cf. *Benedictus XIV.* De synodo l. 13. c. 5. n. 4. *Wernz* I. n. 190. IV.

Articulus secundus.

De consuetudine obligatoria.

179. Eius vis obligandi. 1. Consuetudinem vim habere inducendi legem eo constat, quod ex iure supra allegato consuetudo rationabilis et legitime praescripta vim legis habet.

Lex per consuetudinem introducta vocatur *lex non scripta*, ut distinguatur a lege scripta, quae expressa legislatoris ordinatione constituitur et promulgatur.

2. Consuetudo imponere potest quamcunque legem: praeceptivam, irritantem, immo etiam mere poenalem: consuetudo enim efficere potest, quod efficit ipsa lex; atqui lex quamcunque obligationem imponere potest.

Constat legem *omnes* clericos in sacris constitutos ad recitationem officii obligantem et nonnulla impedimenta matrimonii dirimentia ut impedimentum disparitatis cultus consuetudine inducta esse.

180. Condiciones requisitae. Ut consuetudo obligatoria vim legis accipiat, eadem *condiciones* requiruntur, quae ad legem per consuetudinem abrogandam:

a. consensus legislatoris saltem legalis, sine quo obligatio imponi nequit;

b. materia rationabilis, quae scilicet ad bonum commune conferat, proindeque a legislatore lege lata praecipari possit:

c. communitas, quae capax sit, cui lex imponatur;

d. actus a communitate libere exerciti i. e. neque ex metu neque ex errore vel ignorantia, sed cum cognitione nullam circa hanc materiam existere legem;

e. exerciti cum intentione se obligandi; quocirca ea, quae a fidelibus ex mera devotione exercentur ut terna salutatio angelica, vim consuetudinis obligatoriae obtinere nequeunt;

f. legitime praescripti.

Num nova lex auferat contrarias consuetudines vigentes.

Constitutionibus pontificiis addi solent *clausulae*, quibus consuetudines contrariae reprobantur; atqui de his clausulis notari debet: *a.* Lex universalis aufert contrariam consuetudinem universalem, at non aufert consuetudines particulares, nisi addatur clausula, quae consuetudinem contrariam vigentem reprobet. *b.* Haec clausula: *non obstante quacunque consuetudine* aufert omnes consuetudines praeter immemorales, at non impedit originem novae consuetudinis contrariae. *c.* Clausula: *non obstante quacunque consuetudine etiam immemoriali* omnes prorsus consuetudines contrarias aufert, at originem novae consuetudinis contrariae neque ipsa impedit¹⁾. *d.* Clausula legi addita: *exclusa quavis consuetudine contraria in futurum* difficiliorrem quidem reddit consuetudinem novae legi contrariam, at eius originem non omnino impedit: etenim haec ipsa clausula est lex disciplinaris; atqui de ratione legis disciplinaris est, ut admittat consuetudinem contrariam²⁾.

¹⁾ Consuetudo *immemoralis* ea est, cuius initii memoria non existit. Non dicitur: cuius initii cognitio non existit; ideo consuetudo immemoralis esse potest, etsi eius initia ex historia probe nota sint, modo eius existentia hominum nunc viventium memoriam (sexaginta circiter annos) transcendat.

²⁾ Cf. *Aichner*, Compendium iuris eccles.⁹ (Brixinae. Weger. 1900) p. 31 ss.

Lib er q u a r t u s .

De conscientia¹⁾.

Quaestio prima.

De natura conscientiae.

Articulus primus.

De conscientia in genere.

181. Definitio. *Conscientia moralis est: iudicium mentis de moralitate actionis proxime practicum, quod quidem iudicium dictamen (conscientiae) vocari solet.*

a. Denotat actum mentis, qui non simplici apprehensione, sed *iudicio* continetur: conscientia enim dicitur scire atque nescire eiusque munera sunt: testificari, dirigere, obligare, accusare, laudare et huiusmodi, quae quidem solum de iudicio affirmari possunt.

b. Non tamen omne iudicium mentis nomine conscientiae insignitur, sed illud tantum, quod versatur circa bonitatem vel malitiam moralem actionis humanae: nullum enim aliud iudicium obligare, accusare, laudare etc. dicitur.

c. Iudicium mentis, quod pro obiecto habet actionis humanae moralitatem, aliud est *remote practicum* seu *speculativum*, quod actiones

¹⁾ *S. Thomas* I. II. q. 19. *S. Alphonsus* l. 1. tr. 1. n. 1—89. *Sporer-Bierbaum*, Theologia mor. decalog. (Paderbornae. Typographia bonifac. 1897) I. tr. 1. n. 1—109. *Reuter*, Theolog. mor. p. 1. tr. 2. n. 59 ss. *Bouquillon* l. c. p. 2. n. 247 ss. *Lehmkuhl* I. n. 41 ss. *Ballerini-Palmieri*, Opus theolog. mor.³ (Prati. Giachetti. 1898) I. n. 130—235. *Simar*, Das Gewissen und die Gewissensfreiheit². (Freiburg. Herder. 1902).

in abstracto et in genere respicit, ut furtum esse vitandum, egeno esse succurrendum; aliud *proxime practicum* seu simpliciter *practicum*, quod refertur ad actiones morales in concreto et in particulari hic et nunc ponendas simul cum omnibus adiunctis, in quibus reperiuntur, et voluntatem agentis immediate dirigit, e. g. hanc rem a me non esse auferendam utpote alienam, huic homini nunc mihi esse subveniendum utpote egeno; non illud sed hoc vocatur conscientia.

182. Synteresis. A conscientia distinguenda est *synteresis*, quae definiri solet habitus primorum principiorum moralium. Est igitur *synteresis* quaedam proprietas intellectus, qua hic magna facilitate cognoscit prima principia moralia seu suprema principia legis naturalis. Deinde vero *synteresis* etiam ipsa haec principia significat.

a. Eiusmodi principia sunt e. g. bonum faciendum, malum vitandum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; supremum numen colendum est; promissa servanda sunt; praecepta impleri debent et alia suprema principia legis naturalis. Ex his principiis universalibus scientia moralis deducit veritates, quas ipsa docet, e. g. bonum faciendum est; sed miseris subvenire bonum est; ergo miseris subveniendum est.

b. Veritates tum *synteresis* tum scientiae moralis *universales* sunt; conscientia econtra versatur circa singularem actionem nunc ponendam, eius proinde dictamina *particularia* sunt, immediate tamen ex veritatibus scientiae moralis, mediate ex veritatibus *synteresis* deducta.

c. Ideo dictamen conscientiae semper est conclusio alicuius syllogismi, cuius maior continet legem moralem, minor actionem hic et nunc ponendam, cui lex applicatur, et conclusio exhibet convenientiam vel disconvenientiam actionis cum lege, e. g. furtum est illicitum; haec actio est furtum; ergo haec actio mihi non est licita.

183. Conscientiae vis. 1. Conscientia est *proxima norma actionum moralium*: voluntas enim, cum sit potentia caeca, indiget convenienti directione; atqui directionem voluntas accipere solum potest a conscientia: nam illa potentia, a qua voluntas naturaliter in suis operationibus dependet, est ratio; ratio autem, quae in particulari casu dictat, hoc esse faciendum, quia bonum, illud omittendum, quia malum, est conscientia. Dicitur regula *proxima*, quia voluntati magis propinqua est quam lex, et dicitur regula *subiectiva* et *interna*, ut distinguatur a lege, quae est norma obiectiva et externa.

Ergo. quod probe notandum est, actiones humanae suam bonitatem aut malitiam moralem (formalem) non sumunt a norma moralitatis vel a lege, ut in se est, sed a lege, prout per dictamen conscientiae voluntati proponitur seu a conscientia; quare absque ratione de praeteritis actionibus bona fide positae anguntur, qui postea audiunt eas fuisse malas.

2. Conscientiae vere *convenit vis obligandi*: legi enim vere proprieque dictae convenit vis obligandi; ergo etiam conscientiae, quae non est nisi lex ad singulas actiones humanas applicata. Eadem est igitur vis obligatoria conscientiae, quae est legis; et quoniam omnis obligatio legis a voluntate Dei est derivanda, conscientia tum *voluntas Dei* tum *vox Dei* vulgo neque inepte appellatur.

Quoniam autem Deus voluntatem suam nobis manifestat per rationem nostram suapte natura fallibilem, dictamen conscientiae potest esse erroneum; hinc fieri potest, ut sequi teneamur conscientiam malum praecipientem.

184. Divisio. Conscientia multipliciter dividitur:

1. *Ratione actuum*, ad quos refertur, in *antecedentem* et *consequentem*, prouti actus aut mox ponendi aut iam positi sunt; illa iudicat, quid bonum vel malum, quid faciendum vel omittendum sit, haec actum praeteritum approbat vel accusat vel etiam, si id fieri potest, excusat.

a. Iudicium approbans dicitur *testimonium* conscientiae; iudicium accusans et reprobans *remorsus* seu vermis conscientiae.

b. Conscientia antecedens est proxima regula morum, de qua sola nobis hic sermo est, ad quam proinde divisiones pertinent, quae sequuntur.

2. *Ratione obligationis*, quam manifestat, in *praecipientem*, *prohibentem* et *permittentem*.

3. *Ratione assensus* in *certam* et *dubiam*; *probabilem* et *improbabilem*.

4. *Ratione conformitatis cum obiecto* in *veram* et *erroneam*. Erronea subdividitur in *laxam* et *angustam*.

a. *Laxa* illa dicitur, quae levioere de causa rationem peccati aut negat aut minuit. Ad *laxam* reducitur etiam conscientia *cauteriata* (das abgestumpfte Gewissen)¹⁾, quae

¹⁾ Cf. 1. Tim 4, 2.

ex diuturno habitu peccandi orta etiam peccata gravia parvipendit, et conscientia *pharisaica*, quae magna praecepta parvi, parvas autem et externas observantias magni facit.

b. *Angusta* illa dicitur, quae levioere de causa rationem peccati affirmat vel auget. Ad angustam reducitur conscientia *scrupulosa*, quae rationem peccati nimis auget, et conscientia *perplexa*, quae ex utraque parte peccatum apprehendit.

Articulus secundus.

De conscientia vera et erronea.

185. Notiones. *a.* Conscientia *vera*, quae etiam *recta* dicitur, est illa, quae dictat rem, prout in se est, *erronea* illa, quae dictat aliter, ac res in se est.

b. Conscientia erronea alia est *invincibilis* et inculpabilis, cuius error moraliter vinci non potest; alia *vincibilis* et culpabilis, cuius error adhibita morali diligentia deponi potest, sed ex incuria non deponitur.

* Conscientia erronea dupliciter potest esse invincibilis, aut quia agenti ne suspicio vel dubium quidem de errore in mentem venit, aut quia orta quidem de errore est dubitatio, attamen ne adhibita quidem morali diligentia error deponi et veritas inveniri potest. Sic is quoque invincibiliter errat, qui dubitans, num tali die sit abstinentia, adhibita morali diligentia ignorat reipsa praeceptam esse abstinentiam.

186. Principia. 1. *a.* *Per se* solam conscientiam *rectam* sequi possumus et *b.* ubi praecipit vel prohibet sequi tenemur; *c.* *per accidens* conscientiam *invincibiliter erroneam* sequi tenemur, ubi praecipit vel prohibet *d.* eandemque sequi sine peccato possumus, ubi aliquid permittit.

Ratio *primi* est, quia sola conscientia recta ordini morali conformis est; ratio *secundi* est, quia non licet contra conscientiam agere, quippe quae sit regula actionum humanarum; ratio *terti* est, quia non licet contra conscientiam agere, etsi erronea sit; ratio *quarti* est, quia sequens conscientiam permittentem vult actionem, quam iudicat licitam, id quod nequit esse peccatum.

(1) where no doubt of satisfaction can be had
 (2) where there is doubt + moral obligation is not lost
 ex. d. de sacrosanctis.

a. Afirmatio supponit eum, qui agit cum conscientia invincibiliter erronea, conservare libertatem. In iis enim, quae vitari nequeunt, non potest ex conscientia erronea committi peccatum, quia actio vel omissio est prorsus involuntaria. Qui putat inhonestas vel blasphemias cogitationes iam esse peccata, non peccat, etsi eiusmodi cogitationes habeat, quia efficere nequit, ne mentem subeant. Item incarceratus, qui erronee putat se peccare, eo quod omittit sacrum, reipsa non peccat.

b. „Hinc si cui conscientia dictet se teneri ad mentiendum, ut proximo periclitanti subveniat, peccat contra caritatem, si non mentiatur.“ — „Qui putat esse ieiunium, quando non est, ob erroneam conscientiam peccat, si non ieiunet“¹⁾.

c. Qui opus ex se malum ponit, quod ex conscientia erronea existimat esse bonum, non solum non peccat, sed ex multorum sententia opus bonum exercet et suppositis supponendis per illud etiam meretur.

d. Peccatum ex erronea conscientia commissum est eiusdem gravitatis et speciei, ac si ex vera conscientia commissum esset. Qui ergo erronee putans audiendum esse sacrum istud omittit, graviter peccat contra ecclesiae praeceptum et in confessione sufficit dicere: sacrum omisi. Qui percutit hominem erronee putans esse sacerdotem, aequè sacrilegium committit, ac si reipsa sacerdotem percussisset. Si tamen confessarius advertit poenitentem peccasse ex conscientia erronea, eum interroget, num reapse iudicaverit se graviter peccare, eumque de rei veritate instituat²⁾.

e. Si ergo conscientia dictet licitum esse furari ad subveniendum pauperi, furtum ex conscientia invincibiliter erronea non esset peccatum.

2. Conscientiam *vincibiliter erroneam*, sive praecipit sive permittit, nec sequi licet nec contra eam agere, sed errorem ante actionem quisque deponere tenetur: agendo enim se exponeret periculo peccandi. Si tamen ageretur de actu bono, quem quis existimat esse praeceptum, posset sequi conscientiam vincibiliter erroneam, nec teneretur errorem deponere.

„Qui putat, sed cum dubio, sibi furandum esse a divite, ut succurrat egenti, peccat, sive cum eiusmodi conscientia furetur, sive non furetur. Debet ergo ante actionem, si fieri possit, errorem deponere inquirendo veritatem“³⁾. — Sed qui cum dubio putat hodie sibi audien-

¹⁾ Gury, Compendium theologiae mor. I. n. 38.

²⁾ Cf. Lugo, De poenit. disp. 16. n. 499 ss.

³⁾ Gury I. c. n. 38.

...abile esse... G. he will... the will... the... He is also...
 necessary... of... when the conscience commands...
 lib... dubio... he will... the... [in the...]
 21... it... 200...

dum esse sacrum et pergit ad audiendum sacrum, non tenetur inquirens veritatem deponere errorem.

Nota. Ut confessarius dignoscere possit, utrum conscientia fuerit invincibiliter an vincibiliter erronea, interroget poenitentem: *a.* num aliquam indecentiam in actu adverterit vel saltem de eius liceitate dubitaverit; *b.* num conscientia ipsi dictaverit aliquem ea de re interrogandum esse. Quodsi utrumque neget, error fuit invincibilis: si alterutrum affirmet, error vincibilis et culpabilis fuit, et quidem graviter culpabilis, si rem, de qua agebatur, ut rem magni momenti apprehenderit.

^{alibi} **187. De conscientia laxa.** Conscientia *laxa* quandoque *habitus* denotat, illam nempe animi dispositionem, quae tendit in moralem libertatem plus aequo extendendam; si *actum* significat, est iudicium, quod ex leviori motivo iudicat licitum esse, quod illicitum, vel leve peccatum esse, quod grave est. Et conscientia laxa *consequens* est iudicium, quod ex levi motivo iudicat non fuisse grave peccatum, ubi reipsa grave commissum fuit.

Principia. *a.* Ordinarie graviter peccant, qui scienter ex conscientia laxa praeceptum in re gravi transgrediuntur: vel enim confusam gravis peccati cognitionem habent, vel si hanc non habent, qui in re gravi scienter sequuntur conscientiam laxam, scienter se exponunt periculo praeceptum grave violandi. Neque eos excusat error, quo iudicant non esse peccatum, quia error voluntarius est.

Qui nesciunt se esse laxae conscientiae et ad malitiam actionis ne in confuso quidem advertunt, propter ignorantiam a peccato excusantur. Immo etiam ille, qui scit se esse laxae conscientiae, a peccato mortali immunis esse potest, ubi nempe neque ad malitiam actionis neque ad obligationem accuratius in eius malitiam investigandine in confuso quidem advertit.

b. In dubio de pleno consensu in peccatum praesumendum est eos plene consensisse, quemadmodum illi, qui timoratae sunt conscientiae, in dubio non consensisse praesumuntur: ex ordinarie enim contingentibus morali certitudine ad particulare factum recte concluditur.

c. Qui laxa conscientia laborat, sub gravi eam deponere tenetur, quia deponere tenetur habituale periculum, in quo versatur, graviter peccandi.

Halax conscientia dicitur propter... otherwise the...

188. De conscientia perplexa. Regulae ab eo servandae, qui conscientiam *perplexam* habet, ex *s. Alphonso* (n. 10.) sunt hae:

a. Si sine gravi damno actionem differre potest, tenetur eam differre, donec sapientes e. g. confessarium consuluerit: quilibet enim vitare tenetur, quod putat esse peccatum.

b. Si actionem differre non potest, illud eligere tenetur, quod sibi videtur minus malum: nam vitare potius debet transgressionem legis naturalis quam positivae.

* c. Si minus malum discernere non potest, quidquid eligat, non peccat; atque id quidem etsi per errorem existimet se peccare, quia actus, quem ponit, non est voluntarius.

Exemplo sit homo, qui die festo assistens infirmo existimat se peccare, si remaneat, et pariter se peccare, si accedat ad ecclesiam, vel sacerdos, qui sacrum faciens putat se peccaturum, si repetat formam consecrationis, et pariter se peccaturum, si eam non repetat, vel confessarius, qui timet se peccaturum denegando absolutionem, quia poenitentem a sacramentis prorsus absterret, et se peccaturum concedendo absolutionem, quia sacramentum indigno administrat; faciat, quod voluerit: nulla enim existit necessitas peccandi.

Articulus tertius.

De conscientia scrupulosa¹⁾.

189. Notiones. 1. *Scrupulus* est timor peccati ex inani apprehensione ortus. Itaque scrupulus natura sua non est iudicium sanae mentis, sed est timor de peccato ortus ex inani apprehensione mentis perturbatae.

¹⁾ *S. Alphonsus* l. 1. n. 11—18. *Reuter*, Neoconfessarius n. 255 ss. *Stoz*, Tribunal poenit. l. 1. pr. 5. n. 171 ss. *Laymann*, Theologia moral. l. 1. tract. 1. c. 6. *Lacroix*, Theologia moral. l. 1. n. 519 ss. *Scaramelli*, Director. ascet. l. 2. n. 421 ss. *S. Ignatius*, Exercitia spiritualia: Regulae de scrupulis.

de la santé de l'âme + l'absence de tout scrupule la preuve
d'une conscience libre et saine: "no scrupules no liberty"

Conscientia scrupulosa quandoque habitualem animi dispositionem ad eiusmodi inanes apprehensiones propensam, quandoque actum significat. Hoc sensu conscientia scrupulosa est apprehensio, quae ex inani ratione sive ante sive post factum formidat adesse peccatum, ubi non est.

Conscientia scrupulosa differt *a.* a conscientia *tenera*, quae etiam minimos defectus ut tales cognoscit et ex reverentia erga divinam maiestatem magni facit, probe tamen retenta distinctione inter peccatum mortale et veniale. Differt *b.* a conscientia *erronea*, quae est mentis iudicium, etsi falsum.

2. Scrupulus consistere potest cum conscientia certa de honestate actionis: cum enim ex inani motivo ortus sit, non tollit certam persuasionem. Ideo licet agere cum conscientia scrupulosa, seu licet contra scrupulos agere, modo agens sciat se habere scrupulos eosque esse contemnendos.

a. Non licet quidem contra conscientiam agere; at conscientia scrupulosa, cum sit inanis apprehensio et vanum dubium, non est proprio sensu conscientia.

b. Non licet agere cum dubio practico; at dubium ex scrupulis ortum non est dubium practicum sed vanus timor, qui spernendus est.

190. Causae scrupulorum variae sunt, aliae internae aliae externae.

a. Naturalis dispositio sive animi sive corporis: indoles melancholica, indoles ad timores et suspiciones propensa, capitis debilitas praesertim in mulieribus, functiones vitae organicae male affectae facile scrupulos progignunt. Scrupuli, qui ex hoc fonte oriuntur, diu durare et vario modo se manifestare solent; insuper non solum in rebus moralibus, sed etiam in aliis vitae humanae actionibus se produunt.

b. Deus scrupulos permittit sapienti providentiae consilio ad determinatum finem obtinendum: vel enim Deus intendit, α . ut homines a peccato praeserventur, vel β . ut anima a peccatis purgetur, vel γ . ut timorem peccati concipiat, vel δ . ut ad magna pro Dei gloria praestanda praeparetur. Scrupuli, qui a Deo permittuntur, post aliquod

tempus cessant, horrorem peccati conciliant et cum Deo intimius coniungunt.

Deus proprie et directe auctor scrupulorum dici nequit, cum errorem contineant et animae malum constituent. Directe aut a natura humana per peccatum vitiata aut a malo daemone procedunt, Deus autem eos admittit atque sapientia sua ita moderatur ac dirigit, ut effectum bonum vitae spiritualis producant.

c. Malus daemon permittente Deo scrupulos excitat, ut homini noceat, praesertim vero ut a divinis, ab oratione et ab usu sacramentorum eum avertat. Scrupuli, qui a daemone proveniunt, non eodem modo se manifestant, hominem a virtute retrahunt, in tepiditatem et desperationem coniiciunt.

d. Lectio librorum, qui nimis rigidi, instructiones et consilia confessariorum et concionatorum, qui in exaggerationes et rigorem propensi sunt, scrupulos progignere possunt.

In juvenibus et puellis timoratae conscientiae scrupuli de materia sexti praecepti non raro ex mera ignorantia proveniunt. Huiusmodi scrupulosi prudenti instructione de iis, quae ipsis scitu necessaria sunt, frequenter a morbo sanantur.

191. Signa conscientiae scrupulosae: *a.* Si quis putat se peccare in iis rebus, in quibus homines pii et timoratae conscientiae nullum peccatum reperiunt. *b.* Si quis iudicio confessarii non acquiescit, identidem circa eandem rem consilium quaerit, nec tamen obedit, complures consulit et nulli acquiescit. *c.* Si quis in examinandis suis actionibus modum excedit, ad minutissima adiuncta attendit, non solum ad ea, quae fuerunt, sed etiam quae adesse potuerunt, ideoque in confessione minima quaeque explicat. *d.* Si quis confessiones semper de novo repetere conatur. *e.* Si quis preces anxie persolvit, iugiter de novo incipit et saepius repetit. *f.* Si quis externis signis inopportunis utitur ad repellendas tentationes.

192. Remedia scrupulorum. *a.* Considerare scrupulos tamquam morbum animi, id quod revera sunt, et firmum

propositum concipere eos deponendi et remedia adhibendi, quibus removeantur. *b.* Precibus se Deo commendare ad triplicem hanc gratiam impetrandam: consequendi finem, propter quem Deus scrupulos immittit aut immitti permittit; patienter ferendi scrupulorum crucem, quae in timoribus et anxietatibus internis consistit; obtinendi huius mali liberationem, si Deo placuerit. *c.* Scrupulos contemnere, contra illos agere *i. e.* non facere aut omittere, quod scrupulus ingerit; cogitatione eos non fovere. *d.* Iudicio confessarii acquiescere et eius monitis promte obedire: obedientia praecipuum est huius infirmitatis remedium. *e.* Ante actionem non iudicare aliquid esse peccatum, nisi absque deliberatione certo et evidenter cognoscat esse peccatum, post actionem non iudicare se commisisse peccatum, nisi absque examine certo et evidenter sciat se consensisse. *f.* Nunquam iudicare sibi obligationem incumbere, nisi certo et evidenter eam percipiat. *g.* Nunquam otiari, sed semper labore praesertim externo occupari; non esse solitarium, ut mens a cogitationibus, quae scrupulos foveat, distrahatur; non uti austeritatibus, quae vires corporis debilitent, sed in omnibus servare temperantiam.

193. Modus agendi confessarii. *a.* Scrupulosi magna caritate et patientia tractandi sunt: sunt enim infirmi commiseratione digni, qui sibi consulere non possunt. Nec tamen ex nimia benignitate eis id concedendum est, quod scrupulos auget, immo constanti quodam rigore ab eis exigi debet, quod ad morbum minuendum vel sanandum opportunum videbitur.

b. Cognoscere studeat, num poenitens vere scrupulosus sit, quaenam sit scrupulorum origo, utrum in uno tantum an in pluribus scrupulosus sit. Confessarii est iudicare, num poenitens scrupulosus sit; scrupulosi ipsi fere semper putant timores suos non esse inanes.

c. In consiliis et responsis tradendis brevis sit, non ambigue et dubitanter, sed definite et determinate loquatur, regulas generales (non particulares) suppeditet,

once removed from scrupulous persons, allow them to speak but little. Inscrutable himself if he is to be. Do not

secundum quas in particularibus casibus scrupulosi se dirigant, nec eorum, quae praescribit rationem eis reddat.

d. Scrupuli circa haec tria potissimum versantur:

* α. Timent scrupulosi, ne pravis cogitationibus, praesertim contra fidem aut castitatem, assensum praebuerint. In hoc casu scrupulosi docendi sunt, non cogitationem aut sensum, sed solum consensum esse peccatum, cogitationes et sensus contemnendos esse; insuper monendi sunt, ne pravas cogitationes in confessione accusent, nisi adeo certe sciant se consensisse, ut de consensu iurare possint. β. Timent, ne confessiones praeteritae aut invalidae aut sacrilegae fuerint sive propter defectum integritatis sive propter defectum doloris. In hoc casu scrupulosus semel confessionem generalem instituere permittatur, si nullam antea instituit; facta autem semel confessione generali ne permittatur de praeteritis, quae ante ultimam confessionem acciderunt, verbum facere, nisi certissime sciat se peccatum grave commisisse illudque nunquam dixisse, immo quandoque absolute interdicendum est, ne de praeteritis quidquam accuset. γ. In omni actione peccatum vel peccati periculum timent. In hoc casu scrupulosus iniungendum est, ut scrupulos et timores contemnant, libere agant, immo contra scrupulos operentur, nisi evidentem in actione peccatum cognoscant. In confessione vero permittendum non est, ut fuse exponant, praesertim si de turpibus agitur, quid cogitaverint, quae fecerint, quoties contra conscientiam egerint: praestat enim si in genere tantum de his se accusent, nisi de peccato plane constet.

e. Tandem confessarius attendat ad duo, quae dicuntur privilegia scrupulorum: α. scrupulosos nimirum non teneri ad eam diligentiam in examine conscientiae, quam alii adhibere debent, quia accuratius examen nihil prodest, sed magis eos perturbat; β. scrupulosos non teneri ad confessionem eorum, quae ipsi se commisisse existimant, sive ex praeterita vita sive ex ultima confessione, sed solum ad confessionem eorum, quae obvio examine evidentem gravia peccata esse cognoscuntur, etsi hac ratione integritas con-

did think... the thought... really are bad thoughts

fessionis quandoque deficiat, quia propter nimium incommodum ab integritate excusantur.

Num sit obligatio agendi contra conscientiam scrupulosam. Quandoque obligatio est agendi contra conscientiam scrupulosam: scrupuli enim sunt morbi animae, qui damnum afferunt vitae tum corporali tum spirituali; si ergo ex iis grave damnum imminet, existit obligatio contra scrupulos certandi. Licet haec obligatio per se possit esse gravis, nunquam tamen gravis est quoad singulos actus; immo ipsi scrupulosi a gravi culpa fere semper excusantur ob eam, qua laborant, infirmitatem¹⁾.

Articulus quartus.

De conscientia certa et dubia.

§ 1. De conscientia certa.

194. Notio ac divisio. Conscientia *certa* ea est, qua mens firmiter absque errandi formidine iudicat actionem esse bonam et licitam vel malam atque illicitam.

a. Ratione motivi distinguitur certitudo *stricta* seu perfecta, quae omne dubium omnemque formidinem errandi etiam imprudentem penitus excludit, et certitudo *lata* seu imperfecta, quae solum omne prudens dubium excludit, eiusmodi tamen motivis innititur, quae assensum, qui prudentem formidinem errandi excludat, vere merentur.

Certitudo lata seu imperfecta dici solet certitudo *moralis*. Haec in multis rebus etiam summi momenti nobis sufficere debet, quia maiorem et perfectiorem in iis habere non possumus e. g. de validitate baptismi vel ordinationis sacerdotalis. Attamen confundenda non est cum certitudine morali, quae improprie hoc nomine vocatur et aliud non significat nisi maiorem quandam gradum probabilitatis, quin limites probabilitatis excedat.

b. Ratione obiecti distinguitur certitudo *speculativa*, quae versatur circa veritates abstractas vel circa liceitatem actionis in genere, e. g. arare est opus servile, vel die festo

¹⁾ Cf. Stoz, Tribunal poenit. l. 1. pr. 5. n. 182.

when the person makes up his mind to avoid sin.

prohibita sunt opera servilia; et certitudo *practica*, quae versatur circa liceitatem actionis hic et nunc ponendae, e. g. hodie, etsi sit dies festus, pingere mihi licet.

c. Ratione *modi*, quo acquiritur, distinguitur certitudo directa et indirecta seu reflexa. *Directa* dicitur, quae oritur ex principiis internis rationis, quae ipsam rei veritatem et actionis honestatem demonstrant; *indirecta* ea dicitur, quae oritur ex principiis externis (reflexis), quae non ipsam rei veritatem et actionis honestatem demonstrant, ex quibus tamen rei honestas certo colligitur.

Exemplo sit iudex, qui reum condemnare, innocentem vero absolvere debet. Iam si ex actis iudicialibus accusatus demonstratur reus, iudex habet certitudinem directam commissi criminis et format dictamen conscientiae directe certum: accusatus iste mihi est condemnandus. Quodsi ex actis iudicialibus graves rationes accusatum ostendunt reum, sed aliae rationes graves eum ostendunt innocentem, directam certitudinem de crimine commisso et dictamen directe certum de accusato condemnando vel absolvendo non acquirit; applicando autem hoc principium reflexum: *in dubio favendum est reo*, format dictamen indirecte certum: accusatus iste mihi est absolvendus.

195. Principia. 1. Sola conscientia *certa* est recta norma actionum nostrarum: ex Apostolo enim *omne, quod non est ex fide*, i. e. quod non est ex certa persuasione, id, quod agitur, honestum et licitum esse, *peccatum est*¹⁾. Sane, qui operatur cum conscientia, quae non est certa, voluntarie periculo se exponit transgrediendi voluntatem divinam; atqui ita agens virtualiter consentit in transgressionem praecepti, ideoque formaliter peccat. Quare nunquam licet agere sine conscientia certa de honestate actionis.

2. Ut conscientiam sequi possimus, sufficit, ut ea sit *moraliter* certa certitudine imperfecta: nam sufficere debet in actionibus nostris moralibus ea certitudo, qua maiorem ipsa rerum natura non admittit; atqui res morales ut plurimum aliam certitudinem praeter moralem seu latam non admittunt. Insuper ad licite operandum sufficit persuasio

¹⁾ Rom. 14, 23.

flex principis certitudo by which the change is effected from speculative doubt to practical certitude. Thus the undation & probability

vere certa de honestate actionis; atqui conscientia moraliter certa est vere certa.

Conscientiae certitudinem non impedit *dubium negativum*, quod vel nulla vel solum leviore atque inani ratione fundatur et ab agente ut talis cognoscitur. Qui ergo cum eiusmodi dubio agit, nihilominus conscientiam practice certam habet. Ex quo patet *dubium negativum* spernendum et solum positivum in re morali attendendum esse.

3. Ad licite operandum sufficit quaevis conscientia practice certa *etiam indirecta*: ad licite operandum enim aliud non requiritur nisi certa persuasio, actionem hic et nunc ponendam esse honestam; atqui hanc persuasionem suppeditat quaevis conscientia practice certa sive certitudine directa sive reflexa.

§ 2. De conscientia dubia.

196. Notio. Conscientia dubia ea est, qua mens iudicium de actionis honestate suspendit vel format quidem, sed cum formidine errandi.

a. Dubium in genere acceptum est status mentis circa aliquam propositionem, quo mens caret certitudine: dubius enim dicitur, qui non est certus, sive iudicium suspendit, sive ad unam partem inclinatur, sive uni parti cum formidine de opposito assentit. Ergo dubium hoc sensu acceptum soli certitudini opponitur.

b. Duplex distinguendum est dubium, *strictum* et *latum*: mens enim, quae firmum iudicium de actionis honestate non possidet, duplici modo se habere potest: vel enim neutri parti, nec pro licitate nec contra licitatem, assentit, sed assensum suspendit (*dubium strictum*), vel uni parti magis quam alteri assentit, sed cum formidine errandi (*dubium latum*).

c. Dubium proprie et stricte dictum, cum sit suspensio iudicii seu suspensio assensus circa aliquam propositionem, opponitur omnibus mentis statibus, quibus mens aliquo modo propositioni assentit: suspicioni, opinionem et certitudini. In *suspensione* enim mens in unam partem inclinatur, quin plene ei assentiat; in *opinionem* mens uni parti assentit, sed cum formidine: in *certitudine* tandem assentit sine formidine.

d. Dubium proprie et stricte sumtum ex duplici ratione evenire potest: aut quia ex utraque parte vel nullae vel leves tantum rationes adsunt, aut quia ex utraque parte aequales vel fere aequales rationes militant. In dubio igitur stricte accepto mens est veluti lingula statera, quae in aequilibrio posita neque in unam neque in alteram par-

tem deflectit. Sed ubi ex utraque parte adsunt rationes probabiles, voluntas mentem movere potest, ut alterutri assentiat.

197. Divisio. 1. Dubium ratione motivi dicitur *negativum*, si aut nullae aut leves tantum rationes assentiendi occurrunt; et dicitur *positivum*, si adest gravis ratio assentiendi, quae tamen non excludit prudentem formidinem errandi.

Dubium *positivum* duplici modo evenire potest: vel enim ex utraque parte adest gravis ratio assentiendi vel ex una parte tantum, ex altera vero nulla apparet ratio assentiendi. Idem dicendum est de dubio *negativo*: vel enim ex utraque parte deest ratio assentiendi vel ex una parte tantum, ex altera vero adest ratio plus minusve firmiter assentiendi, ut si sacerdos dubitat, num rite consecraverit, quia reflexe non recordatur consecrationis factae.

2. Dubium ratione obiecti aliud est *speculativum*, quod versatur circa rei vel propositionis veritatem, e. g. num pingere sit opus servile, vel circa actionis liceitatem in genere, e. g. num pingere die festo liceat; aliud est *practicum*, quod versatur circa actionis nunc ponendae liceitatem, e. g. num mihi hodie licitum sit pingere.

Ergo dubium *practicum* dici non solet illud, quod versatur circa actionis liceitatem in genere, sed illud, quod versatur circa liceitatem actionis hic et nunc ponendae.

3. Dubium *speculativum* aliud est dubium *facti*, quod versatur circa rem particularem, e. g. num horas recitaverim, num puer sit baptizatus, num hic cibus sit caro; aliud est *iuris*, quod immediate versatur circa *legem*, aut circa *facultatem* aliquid faciendi, aut circa *valorem* actus, e. g. num die festo prohibitum sit venari, num parochus a ieiunio dispensare possit, num talis baptismus sit validus.

Dubium *practicum* semper supponit dubium *speculativum* sive *iuris* sive *facti* atque ex dubio *speculativo* oritur: nec enim dubitarem, num mihi licitum sit hodie pingere, nisi dubitarem, num pingere sit opus servile, nec dubitarem me hunc puerum baptizare posse, nisi dubitarem, num iam sit baptizatus. Patet fieri posse, ut manente dubio *speculativo* haberi possit conscientia *practice* certa, nempe indirecte.

198. Principia. 1. Nunquam licet operari cum conscientia practice dubia: qui enim hoc modo operatur, vo-

* *speculativum* dicitur is dubitatio about some fact - bringing you to
practical if you doubt whether your action is

lens actionem, etsi mala esset, in malum consentit, ideoque peccat: *omne enim, quod non est ex fide i. e. ex certa persuasione liceitatis, peccatum est*¹⁾.

a. Peccatum, quod agens cum dubio practico committit, eiusdem est speciei et gravitatis, ac peccatum cum certa conscientia commissum. Qui ergo dubitat, num id, quod facturus est, sit grave peccatum, et nihilominus agit, graviter peccat; et qui in dubio, num hodie sit abstinendum a carnibus, nihilominus comedit, peccat contra praeceptum abstinentiae. Quare in confessione sufficit dicere: die vetito carnes comedi.

b. Inepti tamen sunt, qui post factum angi et in libris vel a confessario inquirere incipiunt, num peccaverint; item qui in dubio agunt, et postea cognoscentes actionem positam non esse malam, non amplius anguntur: nam moralitas actionis tota pendet a dictamine conscientiae antecedente et concomitante ipsam actionem; dubium vel cognitio subsequens moralitatem actionis positae mutare nequit.

2. Qui dubitat de liceitate actionis ponendae, antequam agat, *dubium deponere et conscientiam practice certam sibi formare debet.* Duplex autem extat via et methodus deponendi dubium sibi que efformandi conscientiam practice certam, directa et indirecta.

a. *Directe* dubium practicum conatur deponere, qui in rei veritatem vel actionis liceitatem, circa quam dubium speculativum versatur, inquiret, eo quod investigat rationes internas consulens libros vel doctores etc. *Indirecte* seu reflexe dubium practicum deponitur ope alicuius principii reflexi: nam horum ope deveniri potest ad conclusionem practice certam, hoc vel illud licitum esse permanente dubio speculativo (n. 194).

b. Si dubium versatur circa legem vel praeceptum, quod hic et nunc obligat, modus directus deponendi conscientiam dubiam primo loco adhibendus est, inquirendo scilicet morali diligentia in rei veritatem vel actionis liceitatem: quaelibet enim lex imprimis ad sui cognitionem obligat. Quocirca qui ex negligentia in inquisitione veritatis periculo se exponit legem transgrediendi, hoc ipso peccat. In hac autem veritatis investigatione non debet adhiberi diligentia summa, usurpando scilicet omnia media, quae adhiberi possunt: hoc enim esset onus intolerabile, sed sufficit, ut adhibeatur diligentia moralis, quae sola humanae naturae accommodata est (n. 41).

¹⁾ Rom. 14, 23.

* If the doubt can't be solved, then the principle can be used as a guide
+ then only then can the principle be used as a guide

3. Quodsi conscientia dubia neque directe neque indirecte deponi possit, actio differenda vel, si urgeat agendi necessitas, *pars tutior eligenda est*: nisi enim in hoc casu pars tutior eligeretur, fieret actio cum conscientia practice dubia, quod semper peccatum est; qui vero amplectitur partem tutiorem, certo legem observat, etsi forte non teneretur.

Pars tutior ea est, quae stat pro observatione legis et quae propterea excludit omne periculum ea actione peccandi. In dubio igitur, num liceat actionem ponere, quae licite omitti potest, actio omittenda et in dubio, num liceat actionem omittere, quae licite poni potest, actio ponenda est.

Articulus quintus.

De opinione probabili.

199. Declaratio. 1. Nomen *opinionis* subiective et obiective usurpari potest. *Opinio subiective* considerata est mentis assensus, quo haec propter motiva suadentia propositioni adhaeret, at cum formidine de opposito; et *opinio obiective* considerata est ipsa res seu propositio, cui mens propter motiva suadentia cum formidine de opposito adhaeret. Hoc sensu obiectivo nomen opinionis in hoc tractatu accipitur.

Ex his definitionibus patet: *a.* opinionem subiective consideratam et *conscientiam probabilem* reipsa non differre: conscientia enim probabilis proprie est iudicium, quo mens iudicat aliquam actionem esse licitam vel illicitam sed cum formidine errandi; *b.* *dubium positivum* lato sensu acceptum et *opinionem* subiective consideratam pariter non differre: quodvis enim dubium positivum est opinio.

2. *Probabilitas* alicuius opinionis (sententiae) est illa eiusdem proprietates, qua propter motiva, quibus fulcitur, viri prudentis assensum meretur, etsi cum formidine de opposito. Ergo sententiae alicuius probabilitatem rationes constituunt, quibus ea suaderi et probari potest.

Opinionis natura sua convenit maior minorve probabilitas pro diversitate rationum, quibus ea inicitur. Ideo multiplices divisiones probabilitatis aequae de opinione omnes dicuntur: loquimur enim de

opinione speculative vel practice, interne vel externe, solide vel tenuiter, certe vel dubie, absolute vel comparative probabilis.

200. **Divisio.** Probabilitas multipliciter dividitur:

1. In *speculativam* et *practicam*: illa convenit opinioni in se et in abstracto consideratae, haec convenit opinioni consideratae in concreto cum adiunctis, quae illam in casibus particularibus afficiunt.

Ex his intelligitur fieri posse, ut opinio speculative probabilis practice non sit probabilis propter scandalum vel periculum peccandi, quod in concreto timendum esset, si quis secundum illam opinionem ageret. Sic sententia haec, mulierem vi oppressam ob metum mortis passive se habere posse speculative, non autem practice probabilis dicitur, quia ob summam hominis lapsi propensionem in res venereas imminet periculum consentiendi in turpem delectationem¹⁾.

2. In *internam* et *externam*: illa fundatur in rationibus ex ipsa rei natura desumptis, haec proxime fundatur in auctoritate doctorum. Externa probabilitas per se supponit internam, scilicet doctores ad veritatem amplectendam ex rationibus internis determinatos fuisse.

a. Prout maius vel minus est pondus rationum vel auctoritatis, quibus sententia aliqua fulcitur, etiam maior vel minor est gradus probabilitatis sive internae sive externae. b. Probabilitas autem externa non tam ex numero auctorum quam ex eorum doctrina et prudentia nec non ex studio et diligentia, qua in veritate indaganda uti sunt, aestimari debet.

3. In *solidam* et *tenuem*: illa fallibili quidem, attamen gravi et firmo motivo constituitur, quod viri prudentis assensum vere meretur, haec levi et inani motivo innititur, adeo ut imprudens esset, qui ei assensum praeberet.

Opinio igitur *tenuiter probabilis* vera probabilitate destituta reipsa *probabilis non est*. Sunt tamen auctores, qui nomine *tenuis* probabilitatis levem aliquam, sed tamen veram probabilitatem significant.

4. In *certam* et *dubiam* prout certo aut dubie vel probabiliter tantum opinioni convenit grave et solidum fundamentum, quod ad veram probabilitatem constituendam sufficiat.

¹⁾ Cf. *Lelmkuhl* I. n. 72.

tenuiter probabilis est non probabile

5. In *absolutam* et *comparativam* seu relativam: illa habetur, quando opinionis motiva in se considerantur independenter ab opinione opposita; haec habetur, quando opinionis motiva simul cum opposita eiusque motivis considerantur.

His addenda est *probabilitas solitaria*, quae tunc habetur, quando nullae sunt rationes oppositae, quin tamen ipsa certitudinem attingat. Quare opinio *unice vel solitarie probabilis* ea dicitur, cuius opinio opposita nulla ratione fulciri potest, quin tamen ipsa sit certa. Sic ubi vir probus, cuius nec fidelitas nec infidelitas hucusque experientia probata est, aliquid serio promittit, eius promissio est grave motivum fiduciae, quod certitudinem non praebet, nulla tamen ratione contraria infirmatur. Rarae sunt in theologia morali opiniones unice probabiles, si quae tamen sint, eo ipso quod ex parte opposita nulla ratio apparet, valde augetur earum probabilitas, ita ut ad moralem certitudinem fere accedat.

201. De opinionibus comparative consideratis.

1. Si opiniones invicem comparantur ratione *securitatis* non peccandi, ubi aliquis eas sequitur, notandae sunt hae distinctiones:

a. Opinio *tuta* dicitur illa, quae excludit periculum formaliter peccandi; *b. tutior* dicitur illa, quae magis excludit peccatum; *c. minus tuta* illa, quae minus excludit peccatum. In concursu igitur opinionum, quarum una stat pro lege, altera pro libertate, *tutior* est, quae stat pro obligatione, quia periculum peccandi simpliciter excludit, *minus tuta* est, quae stat pro libertate, quia non omne periculum peccandi excludit.

Patet ergo fieri posse, ut sententia probabilior simul sit *minus tuta*, et sententia *tutior* sit *minus probabilis*, quia fieri potest et reipsa quandoque fit, ut opinio, quae stat pro libertate, gravioribus fulciatur motivis, quam opinio, quae stat pro lege.

* 2. Si opiniones invicem comparantur ratione *probabilitatis*, hae distinctiones habentur:

a. Opiniones *aeque probabiles* dicuntur illae, quae rationibus fulciuntur aequae vel fere aequae gravibus: modicus enim excessus, quo una magis quam altera fulcitur, non impedit, quominus dicantur aequae probabiles.

b. *Opinio probabilior* ea dicitur, quae motivis gravioribus innititur quam eius opposita, quae simpliciter *probabilis* vel *minus probabilis* vocatur.

Nota. 1. Apud s. *Alphonsum* insuper occurrit a. *opinio probabilissima*, quae fundamentis gravissimis innititur; eius opposita propter motiva debilia *tenniter vel dubie probabilis est*; b. *certe et notabiliter probabilior*, cuius fundamenta certo et sine ulla haesitatione sunt multo graviora; eius opposita *tenniter vel dubie probabilis* est. *= moral. certum*

2. Cum opinio notabiliter probabilior et probabilissima parum inter se distent, *practice aequiparantur*.

3. Quamvis opinio probabilissima in se non sit moraliter certa, sed solum supremum probabilitatis gradum occupet, *practice* tamen sententiae lato sensu *moraliter certae aequipollet*.

Quaestio secunda.

* De systemate morali¹⁾.

Articulus primus.

De variis systematibus.

202. Ad quid inserviat. Systema morale fungi debet officio suo, quoties adest dubium de obligatione legis, quod directe solvi non potest. Innumera sunt adiuncta vitae humanae, in quibus dubium de obligatione legis ac proinde de liceitate actionis oritur, quin ad certam cognitionem obligationis deveniri possit. Hic se offert quaestio, quomodo in eiusmodi adiunctis homo ex voluntate Dei se

¹⁾ Cf. *Fr. Mannhart*, De ingenua indole probabilismi (Augustae Vindel. 1759). *Ludwigs*, Zur Frage über das Moralsystem (Zeitschrift f. k. Theol. 1878 S. 1. ff.) *Der Katholik* 1874, Probabilismus und probabilistische Systeme. *Kirchenlexikon*², Moralsysteme.

the change of special Ave. should not be ...
probabilist ... it would be good to ...
and therefore a sin.

gerere debeat. Quaeritur nempe, utrum ex voluntate Dei, supremi legislatoris, servari debeant etiam leges dubiae, de quarum obligatione cum certitudine non constat, an ex eiusdem voluntate sufficiat, ut serventur leges, de quarum existentia certam cognitionem habemus. Et si constiterit, ex voluntate Dei necesse non esse, ut serventur etiam leges dubiae, ulterius quaeritur, qua ratione manente dubio de obligatione legis ad conscientiam practice certam perveniri possit. Ex dubio enim de obligatione legis immediate oritur conscientia practice dubia; sed non licet agere cum conscientia practice dubia. Duplicem ergo quaestionem quodvis systema morale solvendam sibi proponit: de obligatione legis dubiae et de via ac methodo perveniendi ad conscientiam practice certam existente dubio de licetate actionis in genere.

203. Quid sit. Nomine *systematis moralis* intelligitur complexus principiorum, quorum ope ex dubio speculativo de obligatione legis deveniri possit ad conscientiam practice certam.

Dicitur *systema morale*: *a.* quia complura principia logico nexu inter se cohaerentia continet, quorum ope praecipua quaestio theologiae moralis solvitur; *b.* quia in totam theologiam moralem eiusque indolem maximum influxum exercet, cum systematis principium sit fecundissimum theologiae moralis principium, quod normam iudicandi de existentia praecepti atque ideo normam agendi in quaestionibus quam plurimis suppeditet.

204. Quot sint. Systemata moralia numerantur omnino sex, quae propositas quaestiones diverso modo solvunt: *tutiorismus absolutus, tutiorismus mitigatus, probabiliorismus, aequiprobabilismus, probabilismus et laxismus.* Ut intelligatur formula, qua singula systemata exhibentur, hoc notandum est: quoties existentia seu obligatio legis dubia est, duae opiniones plus minusve probabiles sibi opponuntur, quarum altera stat pro obligatione legis, altera pro libertate a lege. Formulae singulorum systematum dicuntur eorum principia, quae in hunc modum exhiberi solent:

Meding et al. 19th century started this controversy by asking doubtful questions & laws

1. *Tutiorismus absolutus* docet: sequi debemus opinionem tutiorem (pro lege), etiamsi contraria pro libertate sit probabilissima.

2. *Tutiorismus mitigatus* docet: sequi debemus opinionem tutiorem, nisi contraria pro libertate sit probabilissima.

3. *Probabiliorismus* docet: sequi possumus opinionem minus tutam pro libertate, si probabilior est quam contraria pro lege.

4. *Aequiprobabilismus* docet: sequi possumus opinionem minus tutam pro libertate, si aequae probabilis est atque opposita pro lege.

5. *Probabilismus* docet: sequi possumus opinionem minus tutam pro libertate, si vere probabilis est, etsi opposita pro lege sit probabilior.

6. *Laxismus* docet: sequi possumus opinionem minus tutam pro libertate, etiamsi tenuiter vel dubie tantum probabilis sit.

Si principia horum systematum invicem conferimus, haec manifesta sunt:

a. Omnia systemata ad duas classes referri possunt, quarum altera continet systemata tutioristica seu antiprobabilistica, duo scilicet priora, altera systemata probabilistica, scilicet quatuor posteriora. Illa magis legi, haec magis favent libertati; illa sunt systemata iansenistarum, haec systemata catholicorum.

b. Duo haec genera systematum eo potissimum ab invicem differunt, quod systemata tutioristica non admittunt nisi conscientiam directe certam, proindeque usum opinionis probabilis reiiciunt; systemata vero probabilistica admittunt conscientiam indirecte certam, ideoque etiam usum opinionis probabilis ad formandam conscientiam indirecte certam licitum declarant.

c. Horum systematum duo: Tutiorismus absolutus et laxismus illicita sunt, utpote ab ecclesia reprobata; alia quatuor *licita* quidem sunt, quippe ab ecclesia non reprobata, sed *verum* esse nequit nisi unum, quia se mutuo excludunt.

§ 1. De tutiorismo absoluto.

205. *Tutiorismus absolutus* docet: nunquam licet sequi opinionem pro libertate, etsi sit probabilissima.

"ut licet sequi opinionem contra legem. You must follow the law though there is doubt."

1. Hanc doctrinam supra modum rigoristicam defendit *Sinnichius* († 1666), doctor lovaniensis, eamque tuentur ianseniani. Cum enim ianseniani docerent esse praecepta, quae hominibus sunt impossibilia, nec dari gratiam, qua fierent possibilia, ad tuendam hanc doctrinam onera et praecepta fidelibus imposita augere conati sunt.

2. *Argumenta* eorum haec sunt; *a.* Est axioma receptum: in dubio pars tutior eligenda est; pars tutior autem stat pro lege; ergo semper tenemur servare legem, nisi certum sit legem nunquam extitisse aut iam cessasse. *b.* Non licet sua actione se exponere periculo peccandi; atqui etiam is, qui sequitur opinionem probabilissimam, operando se exponit periculo peccandi: nam etiam opinio probabilissima potest esse falsa.

3. *Refutatio.* *a.* Haec doctrina ab ecclesia reprobata est: nam ab *Alexandro VIII.* damnata est haec propositio (3): non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. *b.* Qui simpliciter docet in dubio faciendum esse, quod tutius est, falso affirmat praeceptum esse, quod est de consilio: Deus enim non obligat ad id, quod tutius, sed ad id, quod simpliciter tutum est. *c.* Qui affirmat etiam leges dubias esse observandas, contra voluntatem Dei fidelibus imponit iugum intolerabile et praecepta divina eis facit impossibilia; atqui nemini licet obligationes imponere, a quibus Deus fideles vult esse immunes, ne praecepta eis reddantur impossibilia. *d.* Quod tutioristae addunt nemini licere agendo se periculo peccandi exponere, verum est, si de periculo formaliter peccandi agitur; at necesse non est, ut etiam periculum materialiter peccandi semper sit exclusum, id quod inferius patebit.

§ 2. De tutiorismo mitigato.

206. **Tutiorismus mitigatus** docet: non licet sequi opinionem pro libertate, nisi ea sit probabilissima.

1. Hoc systema, quod pariter exaggeratum rigorismum involvit, tuebantur saeculo 17. et 18. doctores lovanienses,

ut licet agere contra de nonnullis legibus...

Iansenio plus aequo addicti: *Opstraet* († 1720), *Steyaert* († 1701), *Henricus a s. Ignatio* († 1719) etc. Hi quidem duritiam doctrinae iansenianae in hunc modum emollire conati sunt, quod admitterent opinionem probabilissimam pro libertate. Ceterum iisdem argumentis doctrinam suam defendunt ac ianseniani. Recenti tempore huic sententiae, quam nunc nemo amplius tenet, cardinalis *Gerdil* (1802) accessit¹⁾.

Complures sunt probabilioristae (*Antoine, Gazzaniga, Paluzzi, L. Habert* etc.), qui maiorem, quam ad licite agendum contra legem requirunt probabilitatem, adeo exaggerant, ut opinio probabilior evadat probabilissima eorumque probabiliorismus degeneret in tutorismum²⁾.

2. *Refutatur* iisdem argumentis ac tutorismus absolutus; insuper notandum est: a. tutorismus mitigatus non est quidem ab ecclesia proscriptus, at necessario in doctrinam proscriptam recidit, nisi affirmare velit licitum esse agere cum conscientia practice dubia. Ideo b. cum ipse principia reflexa et proinde conscientiam indirecte certam non admittat, hoc argumento refutari potest: opinio probabilissima, quam sequi licet contra legem, vel parit conscientiam certam vel non; si primum, incidimus in tutorismum damnatum; si alterum, licitum est agere cum conscientia practice dubia, quod falsum est.

§. 3. De probabiliorismo.

207. Probabiliorismus docet: licet sequi opinionem pro libertate, si ea sit probabilior quam opposita pro lege.

Quoad gradum maioris probabilitatis, quam prae se ferre debet opinio probabilior, ut eam sequi liceat, probabilioristae non conveniunt: alii enim exigunt, ut sit notabiliter probabilior ideoque fere moraliter certa, alii, ut in tantum sit probabilior, ut mens ei assentiri possit. Insuper alii assumunt reflexum principium ad informandam conscientiam, alii nullum admittunt contententes ad honeste operandum conscientiam non debere esse practice certam.

¹⁾ *Gerdil*, Opere edite ed inedite (Firenze. Celli. 1850). Vol. VII. c. 3. et 4.

²⁾ Cf. *Bouquillon* l. c. p. 517. not. 4.

Noldin, De principiis.

"ut liceat agere sententia probabilioris
probabilior quam altera"

1. Haec doctrina usque ad medium saeculum 17. inter moralistas fere ignota erat. Ex eo tempore theologi ordinis praedicatorum tanto consensu probabiliorismum propugnarunt, ut usque ad initium elapsi saeculi vix reperiri possit theologus dominicanus, qui non sit probabiliorista. His complures alii theologi tum sacerdotes saeculares tum aliorum ordinum regulares se adiunxerunt.

Inter dominicanos eminent: *Mercurus, Gonetus, I. Martinez, Vincentius Baronius, Contensonius, Natalis Alexander, Concina, Bil-
luart et Patuzzi*, quem acerrimum adversarium nactus est s. Alphonsus. Hoc eodem tempore alii etiam theologi cuiusvis ordinis tam saeculares quam regulares huic doctrinae accesserunt, e quibus nominandi sunt: *Prosper Fagnanus, Collet, Cabassutius*. E theologis societatis Iesu probabiliorismo addicti sunt: *Blancus, Thyrsus Gonzalez, Camargo, Estrix, Gibert, Elizalde, Malatra et Antoine*. Nunc temporis, praesertim post approbationem ecclesiasticam, quam nacti sunt libri morales s. Alphonsi, vix erit theologus, qui probabiliorismum defendat.

2. *Argumentum* eorum est: sicut in dubio circa veritatem amplecti tenemur eam sententiam, quae magis accedit ad veritatem et magis excludit periculum errandi, ita in dubio circa honestatem sequi tenemur sententiam, quae magis accedit ad veritatem et magis excludit periculum peccandi; atqui opinio probabilior magis accedit ad veritatem et magis removet a peccato.

3. *Refutatio.* a. Vel admittunt principia reflexa ad formandam conscientiam certam vel non admittunt; si primum, logica necessitate deveniunt ad probabilismum, si alterum, necessario tandem incidunt in tutiorismum absolutum, cum non liceat agere cum conscientia practice dubia.

Qui admittunt principium reflexum, in hunc modum formant conscientiam practice certam: non peccat, qui facit, quod prudenter iudicat esse licitum; atqui qui sequitur opinionem probabilioris, facit quod prudenter iudicat esse licitum; ergo qui sequitur probabilioris, non peccat. — Iam vero minorem alio modo efficaciter probare non possunt, nisi per argumentum desumptum ex ignorantia invincibili legis: sed hoc argumentum consequenter ducit ad probabilismum: lex enim invincibiliter ignoratur, sive opinio contra legem est probabilior sive probabilis.

the the... is practical doubt or theore... Tutoris
 point is
 If there is a p. b. i. p. v. for non-existent law yet though there
 may be... the law

b. Nequit esse verum systema morale, quod non solum intolerabile onus imponit fidelibus, sed insuper hoc incommodum affert, quod eius usus tam confessariis quam fidelibus est impossibilis; eiusmodi autem est probabiliorismus. Nam ad licitum usum alicuius opinionis necessarium esset inquirere, quatenus opinio sit probabilior; atqui id plerisque est impossibile. Insuper omnes, qui timoratae sunt conscientiae, coniicit in scrupulos et perplexitates innumeras, praesertim quia, quod uni certo probabilius est, id alteri ad summum probabile videtur, et quod eidem hodie probabile apparet, cras videtur esse probabilius.

c. Eorum argumentum, quod multos fefellit, duo continet, quae falsa sunt. *α.* Falsum est opinionem probabilioris propius accedere ad veritatem: nam ut id affirmari posset, deberet nota esse veritas. Dicendum: opinio probabilior habet maiorem speciem ac similitudinem veri, sed tamen aequae falsa esse potest atque opposita probabilis. *β.* Confunditur ordo cognitionis cum ordine operationis: si in dubio de veritate agitur de consensu praestando alterutri opinioni, quandoque illi assentire debemus, quae propter graviores rationes apparet probabilior; si autem in dubio circa legem de honestate actionis agitur, non est necesse, ut alterutri opinioni adhaereamus, sed solum quaeritur, num opinio contra legem vere probabilis sit.

The practice of the present day. can do more to whet the conscience of the people.

§ 4. De laxismo.

208. Probabilismus laxus seu laxismus docet: licet sequi opinionem pro libertate, etsi dubie vel tenuiter tantum probabilis sit.

1. Probabilismum laxum his terminis seu tanquam principium et systema morale nemo docuit: etenim qui affirmant sufficere etiam exiguam probabilitatem, eam dicunt, quae tamen prudentem assensum mereatur. Nihilominus sunt auctores, qui laxistae dicantur, ut *Sancius* (*Ioannes Sanchez*), *Bauny*, *Leander*, *Diana*, *Moya*, praeser-

a slight reason for saying the law does not demand

tim vero *Caramuel*, quem s. Alphonsus principem laxistarum appellat.

2. *Laxistae* igitur dicuntur, non quia systema nimis benignum defendunt, sed a. alii, quia principium probabilismi ita exhibent, ut in partem benigniorem accipi possit: dicunt enim licitum esse sequi minus probabilem, quin excludant dubie vel tenuiter probabilem; b. alii, quia principium probabilismi non satis restringunt ad propriam eius materiam, sed ad alias etiam extendunt, in quibus licite adhiberi non potest; c. alii tandem, quia reapse in particularibus quaestionibus opiniones tamquam licitas admittunt, quae utpote dubie vel tenuiter tantum probabiles nimis benignae sunt.

3. *Refutatio*. a. Principium laxismi ab ecclesia damnatum est propositione 3. Innocentii XI.: „generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.“ b. Servanda est lex, cuius obligatio non est vere dubia; atqui dubia vel tenuis probabilitas, quae est contra legem, eam non reddit vere dubiam.

Lehmkuhl § 5. De systemate probabilismi.

209. Probabilismus docet: ubi de sola honestate actionis agitur, licet sequi opinionem vere et certe probabilem, etsi opposita pro lege sit probabilior. Hoc principium nunc tenent *Gury, Ballerini, Lehmkuhl, Sabetti, Bucceroni, Bouquillon, Delama, Rappenhöner, Goepfert, Van der Velden, Raphael a s. Josepho, Waffelaert, Haine, Génicot* et alii.

Ubi agitur de solo licito vel illicito. His verbis determinatur ambitus probabilismi.

1. Sunt actiones vel omissiones, in quibus de sola earum honestate seu liceitate agitur, et sunt actiones vel omissiones, in quibus non de sola earum liceitate, sed insuper de fine vel effectu necessario per eas obtinendo.

probable opinion
 "In all doubts about licity & illicitity of acts it is lawful to follow the opinion in favor of liberty though the opinion agree"

aut de malo necessario vitando agitur. Dubia igitur circa actiones ponendas vel omittendas sunt duplicis generis, alia respiciunt actiones, in quibus de sola liceitate actionis agitur, alia actiones, in quibus etiam de effectu necessario per eas obtinendo vel de malo necessario vitando agitur.

Si dubium est, num iste cibus sit caro, et proinde num die vetito illum comedere liceat, de sola liceitate huius actionis quaeritur. Si dubium est, num haec materia sit aqua, et proinde num licitum sit in ea baptizare, non solum de liceitate huius actionis agitur, sed simul quaeritur, num producere valeat effectum, qui per baptismum necessario obtineri debet, et num per eam caveatur malum, quod necessario cavendum est, damnum animae, quod ex frustratione sacramenti oritur. Si nescias, utrum id, quod latet in dumeto, sit homo an fera et proinde num licitum sit in illud explodere, non agitur de sola liceitate huius actionis, sed simul quaeritur, num per eam caveatur malum necessario vitandum nempe occisio hominis. In dubiis posterioris generis non tam quaeritur, num licita sit actio, sed potius, num actio sit aptum medium obtinendi effectum necessarium, num eius positione satis caveatur malum necessario vitandum.

2. Principium probabilismi in dubiis circa actiones primi generis, non autem in dubiis circa actiones posterioris generis adhiberi potest: nam in illis dubia est lex seu obligatio, in his vero lex seu obligatio non est dubia, sed omnino certa et proinde actio vel omissio certe illicita aut certe praecepta. Solum ergo in illis dubiis, in quibus de honestate actionis agitur, licet sequi opinionem probabilem, quia in his solis dubia est lex et obligatio. Cum in aliis dubiis sit certa obligatio, ea vagantur extra ambitum probabilismi, quippe qui suapte natura circa leges dubias versetur. In omnibus ergo dubiis, in quibus agitur de fine necessario obtinendo, pars tutior eligenda est, ut finis necessarius certo obtineatur.

Sic in exemplis allatis certo non licet baptizare, quamdiu dubium est, an materia sit aqua, quia baptismus certo validus esse debet; et certo non licet explodere, quamdiu dubium est, num explosio cadat in hominem, quia non licet periculum occisionis adducere. Et sane: qui tenetur ad finem, tenetur etiam adhibere media, per quae finis certo obtineatur, et qui absolute cavere debet malum, cavere debet etiam actionem, qua mali periculum adducatur.

*Ipse dicitur in insolubile + sapientia de illa...
 le appelle
 signum de p...
 aut...*

210. Quando pars tutior eligenda. In duplici casu agendum est iuxta principium: *in dubio pars tutior eligenda est*: *a.* in dubio practico, si quis de actione hic et nunc ponenda conscientiam certam sibi formare nequit (n. 198, 4.); *b.* in omnibus illis casibus, in quibus lex praeter honestatem actionis iniungit obligationem obtinendi aliquem effectum vel vitandi aliquod malum. Casus autem, in quibus agitur de fine absolute obtinendo vel de malo necessario vitando, ad tria capita revocari possunt:

a. Ubi agitur de medio ad salutem necessario: ex praeepto caritatis enim aeterna salus necessario obtineri, aeterna damnatio necessario vitari debet; ubi ergo agitur de condicione, a qua aeterna salus dependet, illa condicio ita adhiberi debet, ut salus aeterna non adducatur in periculum.

β. Ubi agitur de valore sacramenti: ex virtute enim religionis et caritatis quin et iustitiae minister sacramenta valide administrare debet, ne Deo iniuria neve homini damnum inferatur; ubi ergo agitur de re, a qua valor sacramenti dependet, eligendum est medium certum, nisi adsit necessitas, vel nisi ecclesia defectum suppleat; de qua duplici exceptione in tractatu de sacramentis dicitur.

γ. Ubi agitur de certo iure alterius: ex iustitia enim ius proximi illaesum servari debet, ideo omittenda est quaevis actio, qua certum ius proximi in periculum adducatur. Quocirca medicus adhibere tenetur media tutiora et certiora, quamdiu haberi possunt, tum ut obtineatur effectus necessario obtinendus, tum ut caveatur malum necessario vitandum. Idem dicendum est in similibus casibus ut de venatore, cui non licet explodere, ubi solum probabiliter indicat occisum iri feram et non hominem.

Sunt, qui hos casus, in quibus eligenda est pars tutior, minus apte dicant *exceptiones a principio probabilismi*: principium enim non patitur exceptiones; et re ipsa non sunt exceptiones, cum ad propriam probabilismi materiam non pertineant, sed prorsus extra eius ambitum positi sint. Sane principium probabilismi refertur ad illos casus, in quibus occurrit lex dubia; ubi autem agitur de fine necessario obtinendo, dubium versatur circa efficaciam medii ad finem obtinendum, nullatenus vero circa obligationem.

211. Declaratio principii. 1. Ut quis tuta conscientia sequi possit opinionem probabilem, requiritur: *a.* ut ea sit vere et solide probabilis, et quidem illi ipsi, qui eam sequitur: alias enim lex non est ei vere dubia atque incerta; *b.* ut opinio sit certe probabilis: dubia enim probabilitas non est vera probabilitas; insuper opinio, quae non sit certe probabilis, inservire nequit ad formandam conscientiam practice certam de honestate actionis.

Eo igitur quod opinio debet esse *vere* probabilis, excluditur usus opinionis *tenuiter* probabilis; eo quod esse debet *certe* probabilis, excluditur usus opinionis *dubie* probabilis.

2. Ut opinio aliqua dici possit *vere et solide probabilis*, haec tria requiruntur; *a.* ut motivo vere gravi rationis vel auctoritatis innitatur; *b.* ut ei nec definitio ecclesiae nec certa ratio adversetur; *c.* ut eius motiva cum motivis sententiae oppositae comparata probabilitatem suam retineant; at non requiritur, ut gradus probabilitatis unius cum gradu probabilitatis alterius comparetur.

Num opinio probabiliter probabilis habenda sit vere et solide probabilis, pendet a sensu, qui termino probabiliter probabilis subiicitur: etenim si probabiliter probabilis ea opinio dicitur, quae ob rationem vere gravem ac prudentem affirmatur, ea profecto vere et solide probabilis est: quodsi probabiliter probabilis ea opinio dicitur, quae ob rationem affirmatur, quae non certo, sed dubie et probabiliter tantum vere gravis et prudens est, ea vere (certe) et solide probabilis dici nequit¹⁾.

3. *Etsi opposita sit vere probabilior*: tamdiu enim negligi potest opinio probabilior pro lege, quamdiu ipsa intra terminos probabilitatis versatur, quin sit moraliter certa.

a. Abstinendum duxi ab affirmatione: *etsi opposita sit certe probabilior*, quia nonnulli auctores opinionem *certe probabilior* equiparant opinioni notabiliter probabiliori, cuius opposita non est vere et certe probabilis, quamvis ipse terminus *certe probabilior* vi sua nullatenus significet opinionem notabiliter probabilior^{moral certior}; quare opinioni certe probabiliori pro lege per se opponi potest opinio vere et certe probabilis pro libertate. Immo ex regulis logicae per se nihil obstat, quominus etiam opinioni multo vel notabiliter probabiliori opponatur ex altera parte opinio vere et certe probabilis; in rebus tamen mora-

¹⁾ Cf. *Ballerini-Palmieri* I. n. 190.

libus vix fieri potest, ut opinio cognoscatur vere et certe probabilis, cuius opposita certe demonstratur multo vel notabiliter probabilior.

b. Contra hanc affirmationem excipiunt probabilioristae: *maior probabilitas unius opinionis elidit seu destruit minorem probabilitatem oppositae*: ergo minus probabilis in concursu probabilioris non est probabilis. — Maior probabilitas elidit minorem duo significare potest: aut maior vis argumentorum ex una parte eo ipso efficit, ut minor evadat vis argumentorum alterius partis; aut maior vis argumentorum ex una parte prorsus destruit probabilitatem alterius partis. Iam vero si probabilitas utriusque opinionis ex eodem principio desumitur, augmentum unius eo ipso deprimit probabilitatem alterius; quodsi probabilitas ex diversis principiis desumitur, maior unius non minuit eo ipso minorem alterius, sed haec retinet suam vim, etsi maior sit opposita, quia ex aliis principiis sua argumenta deducit, „prout“, ait s. Alphonsus, „pondus decem librarum minime efficit, ut pondus octo librarum in altera lance positum non sit et vere etiam grave dicatur“¹⁾. At vero in utroque casu, sive probabilitas ex eodem sive ex diversis principiis desumitur, maior probabilitas destruit oppositam, si eius excessus adeo notabilis est, ut proxime accedat ad moralem certitudinem: tunc enim opposita fit dubie vel tenuiter probabilis.

212. De probabilitate externa. Nullum est dubium, quin *probabilitas externa* opinionem constituere possit vere et certe probabilem: si enim complures iique graves auctores opinionem dicant probabilem, ordinarie fieri non potest, quin probabilibus rationibus internis fulciatur. Ideo per se licitum est sequi probabilitatem externam, quae pro aliqua opinione vere militat, quin motiva eius interna cognoscantur.

a. Non solum sententia, quae a plerisque theologis probabilis dicitur, sed etiam sententia, quam quinque vel sex theologi probitate, scientia et prudentia insignes pro vera aut probabili habent, censi debet vere et certe probabilis, nisi eorum auctoritas infirmetur aut declaratione ecclesiae aut manifesta ratione.

b. Unus auctor ordinarie non sufficit ad constituendam sententiam vere probabilem contra aliorum auctoritatem; ideo damnata est propositio 27. ab *Alexandro VII.*²⁾. Nihilominus negari nequit fieri

¹⁾ Dissertatio scholastico-moralis pro usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris ann. 1755. n. 13.

²⁾ *Si liber sit alicuius iunioris et moderni, debet opinio censi probabilis, dum non constet reiectam esse a sede apostolica tamquam*

posse, ut etiam unus auctor opinionem vere probabilem reddat: si nempe auctor gravis et magni nominis quaestionem aliquam serio et diligenter ex professo tractet, sententiam suam gravibus rationibus confirmet, quas alii non attulerint, et aliorum contrarias rationes sufficienter solvat, eius auctoritas sufficit ad conciliandam sententiae veram probabilitatem. Id hodie eo fidentius affirmari potest, quia s. sedes expresse declaravit non esse inquietandum confessarium, qui sequitur doctrinam s. Alphonsi solum propter eius auctoritatem, quin rationes eius perpendit.

c. Quandoquidem externa probabilitas essentialiter in interna fundatur, non licet provocare ad probabilitatem externam, quando sententia falsa et proinde probabili ratione destituta cognoscitur, etsi magni nominis auctores eam sententiam teneant. Externa probabilitas cum praecisione ab interna tum solum invocari potest, quando agitur de re obscura et difficultatibus implexa, quae ab auctoribus nondum satis declarata est.

d. Ex his iam sequitur: α. si theologus sufficienti doctrina instructus sententiam diligenter et absque inordinato affectu expendit eamque gravi ratione innixam deprehendit, eam ut sibi probabilem sequi potest; β. homo rudis stare potest sententiae confessarii vel parochi, quem scit esse probum atque prudentem: γ. confessarius vel parochus in quaestionibus practicis sequi potest auctoritatem theologorum probatorum, immo etiam unius vere gravis et probati doctoris, praesertim vero s. Alphonsi.

213. Demonstratur principium. 1. *Ex ratione.*

a. Lex dubia non obligat; atqui lex, contra quam habetur vera et solida probabilitas, est vere dubia; ergo lex, contra quam habetur vera probabilitas, non obligat.

Ad maiorem. Solum lex cognita obligationem inducere potest: lex enim nequit immediate et per se voluntatem obligare, sed ut voluntas obligata maneat, lex per cognitionem ei exhiberi et applicari debet; ergo solum lex cognita voluntatem obligare potest, id quod s. Thomas his verbis docet: *nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti*¹⁾; atqui quamdiu in-

improbabilem. Falsa est haec propositio, quia affirmat ad probabilitatem opinionis sufficere, ut a moderno auctore probabilis dicatur nec ab ecclesia reiecta fuerit.

¹⁾ De verit. q. 17. a. 3.

tellectus de existentia legis dubitat, legem non cognoscit: sola enim certa cognitio vera est cognitio; qui de aliqua veritate dubitat, cognoscit dubium circa eam et obligationem in eius existentiam inquirendi, ipsam veritatem autem non cognoscit; ergo lex dubia voluntatem obligare nequit.

Ad minorem. Certitudo et opposita probabilitas de eadem veritate se mutuo excludunt; quamdiu ergo opinio pro libertate probabilis est, opinio pro lege nequit esse certa. Nihil autem refert, utrum opinio haec sit minus an aequae vel magis probabilis, modo opinio pro libertate sit probabilis.

Alii propositionem maiorem in hunc modum demonstrant: lex, quae non est sufficienter *promulgata*, non obligat: promulgatio enim necessaria est, ut lex vim obligandi obtineat; atqui lex dubia non est sufficienter promulgata. Praestat autem argumentum ex cognitione legis desumere, ut undequaque sit efficax.

b. Lex incerta nequit veram obligationem inducere; atqui lex, contra quam militat opinio vere et solide probabilis, est vere incerta; ergo lex, contra quam militat opinio probabilis, nequit certam obligationem imponere.

Ad maiorem. Ius libertatis idque certum atque innatum praecedit ius legis eiusque obligationem. Sane si invicem comparentur iura legis et iura libertatis humanae, dicendum est secundum ordinem naturae praecedere ius libertatis et subsequi ius legis et obligationis, etsi non tempore, saltem natura et ratione: obligatio enim supponit liberam voluntatem, quae ligetur; atqui ius certum restringi non potest nisi obligatione certa: nequit enim effectus esse maior sua causa; ergo lex incerta certam obligationem producere nequit.

a. Hoc argumentum desumitur ex relatione, quae libertatem inter et legem existit. Quoad legem positivam tum divinam tum humanam libertas *tempore* legi anterior est, cum ea, quae lege positiva prohibentur, ex se licita sint et solum per legem in tempore latam illicita fiant. Ubi autem de lege naturae agitur, quae est lex aeterna, libertas *ratione* legi anterior est. Et sane eo ipso, quod homo a Deo creatus est, secundum totam quidem essentiam suam a Deo dependet eique subiectus est. Ex hac dependentia sequitur debitum contrahendi ob-

ligationes, quas Deus ei iniungere voluerit atque obligatio investigandi et cognoscendi leges, si quas ei daturus sit. Hoc sensu homo non nascitur liber sed Deo subiectus: etenim hoc debitum se subiiciendi omnibus legibus divinis libertatem praecedat vel potius libertati coëxistit. Sed si quaeritur de lege determinata, cui particularis creatura rationalis subiecta est, libertas legem ratione praecedat. Deus enim ratione prius concipit essentiam creaturae eiusque libertatem et ratione posterius legem, cui subiecta est: cum enim lex suapte natura sit medium, quo creatura ad proprium finem dirigatur, imprimis cognosci debet natura, ut determinari possit lex ei conveniens, qua dirigatur ad finem. Ideo ait s. scriptura: *Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui; adiecit mandata et praecepta sua*¹⁾; et s. Thomas: *illud dicitur licitum, quod nulla lege prohibetur*²⁾.

b. Ex his argumentis constat per se solum certam legis cognitionem voluntatem humanam obligare; si tamen opinio pro lege sit *probabilissima* vel *notabiliter probabilior* quam opposita, legem servare tenemur. Etsi enim eiusmodi opinio veram certitudinem non attingat, *practice* tamen aequivalet sententiae certae, quia eius opposita non est vere et certe probabilis ideoque suppeditare nequit normam agendi, cum ad informandam conscientiam *practice* certam non sufficiat. Hinc fit, ut eiusmodi opinio dicatur *quasi moraliter certa* vel *practice certa*.

2. Ex auctoritate. Nequit esse falsum systema morale, quod quovis tempore a maiore theologorum parte exponitur, vindicatur et in quaestionibus particularibus tamquam regula morum adhibetur, cuiusmodi est systema probabilisticum.

Ad maiorem notat s. Alphonsus: si falsum esset principium probabilismi, illud non admisissent tot doctores, neque ecclesia illud tolerasset: ecclesia enim prudenti silentio tolerare potest opiniones erroneas particulares, at non alias. „quae doctrinam generalem continent, ut est sententia benigna, quae importat cunctarum conscientiarum directionem circa omnes particulares casus; unde si esset falsa, universi populi christiani deceptio invecta fuisset“³⁾.

Minorem confirmabit sequens conspectus historicus. a. Primis ecclesiae saeculis explicite haec quaestio non proponitur, qua nempe ratione solvenda sint dubia de obligatione legis, ideo nec prin-

¹⁾ Eccli. 15, 14. 15.

²⁾ In 4. dist. 15. q. 2. a. 4. ad 2.

³⁾ S. Alphonsus, Dissertatio scholastico-moralis pro usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris ann. 1755. ap. *Ballerini-Palmieri* I. p. 194.

cipium aliquod determinata formula conceptum reperitur, per quod resolvatur quaestio; in ecclesiae praxi tamen principii probabilistici plura indicia habentur: in particularibus enim quaestionibus dubia secundum principium probabilisticum resolvuntur¹⁾.

b. Media aetate non solum usus huius principii in quaestionibus particularibus, sed ipsum principium implicite et virtualiter occurrit: traduntur enim veritates, ex quibus principium probabilismi necessaria illatione deducitur, immo formulae occurrunt, quae illud aequivalenter exhibent. Non tamen negatur eodem tempore reperiri etiam formulas, quae potius probabiliorismo et tutionismo favent.

c. Primus omnium principium probabilismi explicite proposuit et argumentis demonstravit (1577) *Bartholomaeus Medina*. Hoc principium theologis cuiusvis ordinis adeo placuit, ut communi consensu illud acceptarent et per integrum fere saeculum vix ullo reclamante libris editis exponerent et ad casus particulares applicarent.

d. Circa medium saeculum 17. impugnationes probabilismi initium sumserunt. Praeter unum alterumve theologum acerbiora ira in illum insurrexerunt ianseniani, quibus in impugnando systemate (1656) communi consensu accesserunt dominicani. Inde factum est, ut theologi quoad morale systema in duas partes scinderentur: alii ex omni schola tuebantur probabiliorismum, alii pariter ex omni ordine tenebant et vindicabant probabilismum. Magna contentione et acri studio utrimque certatum est; maior tamen doctorum pars semper adhaerebat probabilismo.

Tres potissimum rationes assignari possunt, ob quas complures auctores relicto probabilismo amplexati sint probabiliorismum: a. *Licentia opinandi* multorum auctorum, qui opiniones parum probabiles levi ratione ducti tamquam probabiles et practice licitas venditabant. Iam vero huic malo, solum relicto ipso systemate probabilismi, se efficaciter mederi posse existimabant. b. *Impugnationes iansenistarum*, qui odio in societatem Iesu abrepti systema morale, cui plerique societatis theologi addicti erant, tamquam fontem laxismi morumque corruptelam traducebant. c. *Damnatio propositionis 3. Innocentii XI.* (n. 208.): complures enim theologi putabant hac propositione non solum usum sententiae tenuiter probabilis, sed ipsum systema probabilismi tamquam fontem laxismi damnari.

e. In mediis turbis miro providentiae consilio Deus ecclesiae suae misit s. *Alphonsum*, qui operibus suis id effecit, ut lites fini-

¹⁾ Cf. *Christiannus Lupus*, De antiquitate et legitimo usu sententiae probabilis.

rentur et rigor iansenianus et systema probabiliorismi e finibus ecclesiae exularent¹⁾.

3. *Ex approbatione ecclesiae.* Explicite quidem ecclesia probabilismum nunquam approbavit; implicite vero mentem suam clare et indubitanter manifestat peculiari illa approbatione, qua insignivit opera moralia s. *Alphonsi*, qua scilicet eius opiniones declarantur practice tutae; atqui impossibile est approbare opiniones, quae in operibus s. doctoris continentur, quin indirecte et implicite approbetur systema morale, cuius usu et applicatione singulae sententiae deductae et stabilitae sunt; systema autem, quo usus est s. Alphonsus in exaranda theologia morali, est purus et simplex probabilismus, id quod inferius constabit.

Negari nequit approbationem (negativam) ecclesiae ad omnia scripta s. doctoris referri et proinde etiam ad dissertationes, quibus primo probabilismum deinde aut vere aut specietenus aequiprobabilismum tuetur: verum negari pariter nequit positivam et peculiarem approbationem, qua eius scripta magnis encomiis celebrantur, eo quod inter laxiores et rigidiores sententias animarum moderatoribus tutam viam muniverit²⁾, potissimum tribui eiusdem theologiae morali. Quod enim mediam inter laxismum et rigorismum viam sterneret, non suis dissertationibus de morali systemate effecit, sed potissimum solutionem particularium quaestionum, quo prudenti iudicio inter laxas et rigidas opiniones tutas elegit. Atqui in eligendis opinionibus principium probabilismi adhibens id unum investigat, num opinio sit probabilis; opinionem vero, quam *adhuc probabilem* iudicat, lectori tamquam normam agendi proponit atque commendat.

214. De usu opinionis probabilis. 1. Ut opinionem vere probabilem sequi liceat, praeprimis requiritur, ut explicite aut saltem implicite formetur conscientia practice certa de honestate actionis, quod quidem in hunc modum fieri potest: illa actio contra legem est certe licita, pro qua militat opinio vere probabilis: lex dubia enim non obligat;

¹⁾ Cf. *Bonquillon*, Theolog. mor. fundam. n. 298 ss. *Kirchenlexikon*²⁾, Moralsysteme.

²⁾ *Pius IX.* in litteris apost. super confirmatione tituli doctoris 7. iul. 1871.

atqui pro hac actione certe militat opinio vere probabilis; ergo haec actio certe licita est.

Ex hac argumentatione duo redduntur manifesta, quae supra (n. 209.) inuimus: opinionem, quam aliquis sequitur, debere esse certe probabilem: etenim si non esset certe probabilis, conclusio syllogismi atque ideo dictamen conscientiae ex regulis logicae non esset certum; et b. opinionem debere esse *illi ipsi* probabilem, qui eam sequitur: *nam de ipsius operantis conscientia informanda agitur.*

2. Sequi licet opinionem probabilem *contra quamcunque legem* sive naturalem sive divinam sive humanam: de omnibus enim aequae valet principium: *Lex dubia non obligat*, quippe quod ex ipsa natura obligationis demonstratur.

Sunt, qui hanc affirmationem quoad legem naturae infitiati sint existimantes circa legem naturae non posse admitti dubium insolubile seu ignorantiam invincibilem. Verum etsi de primis principiis et proximis conclusionibus non habeatur ignorantia invincibilis, de veritatibus tamen deductis praesertim remotioribus dubium insolubile locum habere potest (n. 93).

3. Licet sequi opinionem vere probabilem pro libertate *in omnibus casibus legis dubiae*, sive opposita pro lege est minus vel aequae vel magis probabilis: cum enim argumenta, quibus demonstratur principium: *Lex dubia non obligat*, ex ipsa natura obligationis deprompta sint, sponte consequitur nec probabilem nec probabiliorem, sed solum certam legis cognitionem voluntatem humanam obligare posse, ideoque licitum esse usum opinionis probabilis, ubi lex vere dubia est.

a. Ergo principium probabilisticum prorsus universale se extendit non solum ad dubium *legis existentis sed etiam legis cessantis*. Dubium namque de lege versari potest aut a. circa *existentiam* legis, si nimirum dubitatur, num lata vel promulgata fuerit lex, num tempus obligationis iam advenerit, num ad hunc casum vel ad has personas se extendat, aut β. circa *cessationem* legis, si nimirum certa est legis existentia et dubitatur, num cessaverit vel eo quod abrogata sit, vel eo quod aliquis ab eius observatione excusatus vel dispensatus sit vel legem iam impleverit etc. Atqui in utroque casu adhiberi potest principium probabilismi. Ergo neque ille, qui probabiliter existimat se non emisisse votum, neque ille, qui votum certe emisit, sed probabiliter existimat se ei iam satisfacisse, ad aliquid stricta obli-

Schubert is too strict on this latter "de lege cessante"

gatione tenetur: eo ipso enim, quod lex probabiliter cessavit, existentia legis fit dubia; atqui lex dubia non obligat.

b. Ergo in dubio de cessatione legis principium probabilismi etiam in *materia iustitiae* licite adhiberi potest, nisi culpabilis negligentia debitoris causa sit, cur dubium de solutione facta existat. Opponunt quidem iustitiam eo differre ab aliis virtutibus, quod ipsa servare debeat aequalitatem; hinc quamdiu res dubia est, saltem pro rata dubii restituendum esse. Verum iustitia exigit, ut servetur aequalitas, eo quod unicuique redditur ius suum, quando de iure alterius certo constat: quando ius alterius dubium est, iustitia non exigit, ut unus potius quam alter, praesertim cum sit possessor bonae fidei, re sua spoliatur¹⁾. Insuper perfecta aequalitas in hoc casu propter ignorantiam invincibilem factae solutionis restitui nequit, etsi denuo solvatur: si enim solutio iam facta est, alter plus habet, quam ei debetur; atqui cum aequalitas certo restitui non possit, non est, cur in dubio potius creditor plus accipiat quam debitor, nisi culpa debitoris causa sit, cur aequalitas restitui nequeat.

215. *Num eidem circa eandem rem licitum sit e duabus opinionibus probabilibus modo unam modo alteram sequi.*

a. Nihil prohibet, quominus aliquis in diversis casibus circa eandem rem pro lubitu modo una modo altera opinione probabili utatur: utraque enim conscientiam aequae reddit tutam. Sic potest idem pro uno testamento uti opinione, qua testamentum carens formalitatibus legis est validum, et pro alio testamento opinione contraria.

b. At in eodem casu non potest circa eandem rem sequi unam opinionem probabilem, quatenus commodum affert, et deinde alteram contrariam, quatenus haec commodum affert. Sic non licet idem testamentum carens formalitatibus legis habere validum, ut adiri possit haereditas, et invalidum, ne solvi debeant legata, quae in illo continentur, quia non potest simul esse validum et invalidum²⁾.

¹⁾ Cf. *Bucceroni*, Casus conscientiae. (Typogr. augustini. 1901) n. 12, 5.

²⁾ Cf. *Lugo*, De eucharist. disp. 15. n. 47 ss., ubi complura eiusmodi exempla afferuntur et diiudicantur.

Non licet voluntarie adducere statum dubii insolubilis circa legem et deinde uti opinione probabili contra legem. Sic si quis dubitet, utrum hora duodecima noctis iam elapsa sit nec ne, non licet ei bibere, ne se exponat periculo saltem materialiter violandi legem ecclesiae. Quodsi nihilominus bibisset, celebrare vel communicare quidem potest, quia non constat ipsum solvisse ieiunium, bibendo autem (venialiter) peccavit, nisi rationabilis causa e. g. magna sitis et impossibilitas explorandi horam noctis eum excusasset. Item non licet sacerdoti hostiam dubie consecratam ante sumtionem pretiosi sanguinis consumere, ne consulto inducat statum dubii de ieiunio naturali cum periculo violandae legis. Saepius hoc modo voluntarie se exponere periculo materialiter violandi legem, mortale esset¹⁾.

216. Difficultates quam plurimae, quibus probabilismus impugnari solet, ex theoria supra exposita sine negotio solvuntur, aliae infra enodandae erunt, ideo hoc loco haec pauca sufficiant.

1. Qui sequitur opinionem probabilem relicta probabiliore, sectatur magis transgressionem quam adimpletionem legis aeternae; atqui hoc Deus permittere nequit. — Hoc argumentum imprimis retorqueri potest in aequiprobabilismum, qui (supposita veritate argumenti) *aeque* sectatur transgressionem quam adimpletionem legis aeternae; atqui sicut Deus permittere nequit, ut *magis* sectemur transgressionem quam adimpletionem legis, ita permittere nequit, ut *aeque* sectemur transgressionem quam adimpletionem legis. Deinde vero qui sequitur probabilem relicta probabiliore vel aequae probabili, non *sectatur* seu prosequitur transgressionem legis aeternae, sed *admittit*, ut materialiter laedatur lex aeterna in casu, quo probabilior vel aequae probabilis pro lege vera esset; atqui hoc Deus permittere potest et reapse permittit²⁾.

2. *Qui sequitur probabilismum, se exponit periculo peccandi.* — Periculum *formaliter* peccandi exclusum est, eo quod is, qui sequitur probabilismum, cum conscientia practice certa agit, scilicet cum certa persuasionem actionem, quam ponit, licitam esse; periculum autem *materialiter* peccandi adest, quia lex, contra quam militat probabilitas, revera existere potest, cum rationes probabiles falsae esse possint; at non est necesse, ut hoc periculum evitetur. Si enim constat licitum esse usum opinionis probabilis contra legem, eo ipso constat Deum nobis non imponere obligationem vitandi hoc periculum materialiter peccandi: etenim intolerabile onus nobis esset impositum, si ad evitandum hoc periculum materialiter

¹⁾ Cf. *Bucceroni* l. c. n. 13.

²⁾ Cf. *Der kath. Seelsorger* (Paderborn. Schöningh. 1900) S. 495 ff.

peccandi, teneremur servare leges omnes incertas: saepissime enim deberemus legem servare, quae non existit.

3. *Probabilismus in praxi ducit ad vitam laxam.* — Inanis est timor laxismi, ubi ad dirigendos mores applicatur principium morale certum atque inconcussum: veritas enim nequit parere vitam laxam. Ceterum in hac re duo distingui debent, scilicet quid faciendum sit ad strictam legem implendam, et quid faciendum sit ad christianam perfectionem adipiscendam. Si homo christianus in servitio Dei nil aliud ageret, nisi quod stricte lex ex principiis probabilismi postulat, profecto vitam ageret parum christifideli dignam; probabilistarum autem praxis haec est: ubi agitur de obligatione imponenda et de peccatis diiudicandis, benigni sunt ad evitanda pericula formaliter peccandi; ubi autem de consequenda perfectione et de exercitio virtutum agitur, ad summa nituntur, servitium Deo debitum non ex obligatione legis, sed ex amore et gratitudine erga divinam maiestatem dimetientes.

§ 6. De aequiprobabilismo¹⁾.

217. 1. **Aequiprobabilismus** docet: in dubio de existentia legis licet sequi opinionem aequae vel fere aequae probabilem pro libertate, non autem minus probabilem in concursu certe probabilioris.

a. Duo sunt, in quibus aequiprobabilismus *theoretice a probabilismo differt*: alterum quidem ad ipsum systematis principium, alterum ad eius usum refertur. Etenim contendit α . opinionem probabilem, quae stat pro libertate, tum solum sequi licere, quando aequae vel fere aequae probabilis est atque illa, quae stat pro lege; si ergo opinio favens legi sit prae opposita certe aut certe et notabiliter probabilior, servanda est lex; contendit β . systema applicari tantum posse, si dubium versetur circa existentiam legis, non autem si dubium sit de cessatione legis; in hoc casu semper servandam esse legem.

b. *Practice* aequiprobabilistae a probabilistis eo differunt, quod systema suum in dubiis de cessatione legis non applicant. Ipsi ergo eum, qui positive dubitat, num votum certo emissum impleverit, ad

²⁾ *Gaudé* C. SS. R., De morali systemate s. Alphonsi etc. (Romae. Cuggiani. 1894). *De Caigny* C. SS. R., Apologetica de aequiprobabilismo alphonciano (Tornaci. Castermann. 1894). *Ter Haar*, De systemate morali antiquorum probabilistarum (Paderbornae. Schöningh. 1894). *Aertuys*, C. SS. R., Probabilismus oder Aequiprobabilismus (Paderborn. Schöningh. 1896). *Huppert*, Probabilismus oder Aequiprobabilismus? (Zeitschrift f. k. Theol. 1895) S. 467 ff. *Noldin*, Aequiprobabilistische Beweisführung (Zeitschrift f. k. Theol. 1896) S. 670 ff.

illud denuo implendum, et eum, qui positive dubitat, num peccatum certo commissum iam confessus sit, ad illud denuo confitendum obligant. In delectu opinionum autem a probabilistis vix differunt: imprimis enim omnes amplectuntur opiniones, quas s. Alphonsus dicit probabiles, etsi sint minus probabiles: quodsi de nova quaestione agitur, quam s. Alphonsus non tractavit, opinionem pro libertate in praxi sequuntur, quando eam solida ratione fulciri intelligunt. Immo etiam in loquendi modo a probabilistis non recedunt: opiniones enim, quas licite sequi possumus, vix unquam dicunt aequae probabiles, sed ad exemplum s. Alphonsi simpliciter probabiles.

2. Aequiprobabilismum tuentur imprimis theologi congregationis ss. Redemptoris *Haringer, Marc, Aertnys, Konings, Vindiciae alphonsianae* etc. persuasum habentes s. Alphonsum fuisse aequiprobabilistam. Istos sequuntur in hac quaestione complures alii theologii: *Gousset, Del Vecchio, Ninzati, Scavini, Pruner, E. Müller, Simar, P. Hilarius* etc.

Attamen aequiprobabilismum non omnes eodem sensu defendunt, quod ut probe intelligatur, notandum est duas esse formulas, quas aequiprobabilismus excludit: *a.* licet sequi opinionem probabilem, etsi opposita sit certe probabilior, et *b.* licet sequi opinionem probabilem, etsi opposita sit certe et notabiliter probabilior. Aequiprobabilistae, qui suum systema ita intelligunt, ut solum secundam formulam excludant, a probabilistis non differunt nisi verbis; qui aequiprobabilismum ita intelligunt, ut utramque formulam excludant, a probabilismo non verbis tantum, sed ipsa re differunt.

218. Argumenta, quibus aequiprobabilistae systema in genere demonstrant, sunt ipsissima argumenta probabilistarum; argumenta deinde, quibus eam partem demonstrant, qua a probabilistis differunt, haec sunt:

1. Servanda est lex, quae sufficienter est promulgata; atqui lex, cui favet opinio certe aut certe et notabiliter probabilior, est sufficienter promulgata; ergo servanda est lex, cui favet opinio certe aut certe et notabiliter probabilior.

a. Propositionem minorem alii aliter demonstrant: alii enim affirmant legem, pro qua militat opinio certe seu certe et notabiliter probabilior, esse sufficienter promulgatam, quia opinio certe seu certe et notabiliter probabilior est moraliter vel quasi moraliter certa. Alii autem contendunt opinionem certe probabiliorem non excedere limites probabilitatis, et nihilominus legem, cui favet eiusmodi opinio, esse sufficienter promulgatam atque sequendam: nam opinio certe probabilior

magis accedit ad veritatem; atqui tenemur amplecti assensu et tamquam normam agendi opinionem, quae magis accedit ad veritatem¹⁾.

b. Ad haec observandum est: *α.* opinio certe et notabiliter probabilior practice aequivalet opinioni moraliter certae: etenim si notabilis est excessus probabilitatis unius opinionis isque certo cognitus, opinio opposita non erit nisi dubie probabilis; atqui non licet sequi opinionem dubie probabilem. Opinio autem certe probabilior per se nec theoretice nec practice aequivalet opinioni moraliter certae, sed est opinio simpliciter etsi magis probabilis. *β.* Non potest quidem affirmari opinionem probabiliorē magis accedere ad veritatem, sed tamen opinio probabilior maiorem speciem et apparentiam veritatis habet quam opposita: ideo concedi potest quoad *mentis assensum* eam esse praefereendam; at vero negandum est eam constituere *normam agendi* necessario sequendam: non enim tenemur servare legem, nisi de eius existentia *certo* constet.

2. Ad licite operandum requiritur certitudo moralis de honestate actionis; atqui talis certitudo nequit haberi, si opinio pro libertate est certe minus probabilis: opinio enim certe minus probabilis non est vere et certe probabilis.

Ad hanc affirmationem: *opinio certe minus probabilis nequit esse vere probabilis* ita respondendum est: non licet sequi opinionem, quae non sit vere et certe probabilis; *si* ergo opinio, cuius opposita est certe probabilior, non est amplius vere et certe probabilis, non licet eam sequi; *num* autem opinio, cuius opposita est certe probabilior, adhuc possit esse vere et certe probabilis, non est quaestio moralis, sed quaestio logica; logici autem docent opinionem posse esse vere probabilem, cuius opposita non est moraliter certa. Quodsi concedatur opinionem minus probabilem esse vere probabilem, ex principio: *lex dubia non obligat*, eam sequi licet.

3. Lex non obligat, si est vere dubia; atqui vere dubium solum est, si circa eam habetur dubium strictum, i. e. si mens suspendit assensum propter rationes ex utraque parte aequales; ergo lex tum solum non obligat, si ex utraque parte, pro lege et pro libertate, habentur rationes aequales vel fere aequales.

Lex non obligat, si est vere dubia; atqui ex argumentis, quibus demonstratur principium probabilisticum patet legem esse vere dubiam,

¹⁾ Recentissimo tempore aequiprobabilistae diversa quidem alia promunt argumenta (cf. *Commer*, Jahrbuch XVIII. S. 106 ff.), quae tamen accuratius inspecta non sunt nisi variationes huius argumenti a probabilioristis inventi (n. 207, 2).

si est simpliciter incerta, sive dubium de eo existens est strictum sive latum; ergo lex non obligat, quoties est simpliciter incerta, sive rationes pro lege sunt aequae sive magis probabiles.

219. Refutatio ipsius systematis. 1. Aequiprobabilistae potissimum nituntur auctoritate s. *Alphonsi*, cuius systema morale ex eorum interpretatione exhibet genuinum aequiprobabilismum. De systemate morali s. *Alphonsi* infra dicetur, hoc loco id notasse sufficiat. Scriptor quilibet, quantum fieri potest, ita interpretandus est, ut sibi non contradicat; atqui cum certum sit systema morale s. *Alphonsi* initio fuisse probabilismum, eius posteriora scripta si fieri potest, ita interpretanda sunt, ut cum systemate probabilismi convenient. Quodsi haec consentiens interpretatio nullo modo admitti posset, inhaerendum esset s. doctoris systemati priori, utpote certe vero et ab ipso s. doctore invictis argumentis demonstrato, quidquid sit et dicatur de eiusdem scriptis posterioribus.

2. Aequiprobabilistae ad stabiliendum suum systema non aliis utuntur argumentis quam probabilistae, scilicet: lex dubia non obligat et lex incerta nequit inducere certam obligationem; atqui ex his argumentis non aequiprobabilismus, sed necessaria illatione sequitur formula probabilismi; ergo aequiprobabilistae non integram, sed dimidiatam tantum conclusionem ex suis ipsorum principiis deducunt.

3. Systema morale, quod ad sui usum necessario exigit, ut ex utraque parte ponderentur momenta rationum et statuatur, utrum opiniones adversae sint aequae an minus vel magis probabiles, est systema practice ineptum: nam fere semper impossibile est determinare, quando ex utraque parte stent rationes aequae vel fere aequae probabiles; auctores autem, qui existimant se illud absque difficultate praestare posse, sibi aliisque illudunt.

4. Opinio certe probabilior vel est quasi moraliter certa vel est simpliciter probabilis; si primum, concedendum est, non licere sequi oppositam, quia haec non est.

vere probabilis, si alterum, nullo iure prohibemur sequi oppositam, cum probabili opponatur pariter probabilis.

220. De usu probabilismi, ubi agitur de cessatione legis.

1. Iam pridem inter theologos agitabatur controversia, num principium probabilismi extendi possit etiam ad dubium de cessatione legis. Auctores magni nominis ut *Suarez, de Lugo, Bonacina, Salmanticenses, Lacroix*, ipse probabiliorista *Billuart* aliique probabilismum adhibent etiam in dubio de cessatione legis.

2. *S. Alphonsus* primis temporibus suum systema probabilisticum pariter extendit etiam ad quaestiones, in quibus de cessatione legis agitur; postea vero hanc sententiam retractavit et complures quaestiones particulares suae theologiae moralis iuxta hanc doctrinam reformatam immutavit.

Quodsi in opere theologiae moralis nihilominus occurrant resolutiones, quae cum hac doctrina non concordant¹⁾, id aut inadvertentiae tribuendum aut dicendum est s. doctorem in particularibus quibusdam quaestionibus noluisse urgere sententiam reformatam.

3. Praeter auctoritatem s. Alphonsi duo potissimum argumenta afferunt, quibus hanc sui systematis partem demonstrent aequiprobabilistae: *a. In dubio melior est condicio possidentis*; atqui in hoc casu possidet lex; ergo servanda est lex. *b. Cum dubium de cessatione legis plerumque ex eo oriatur, quod quis legi probabiliter iam satisfecerit, dicunt: obligationi certae non satisfiit per adimpletionem dubiam; ergo ei denuo satisfaciendum est. Verum haec duo argumenta nullius sunt valoris.*

221. Principium possessionis falso ab adversariis applicatur: nam falsum est in dubio de cessatione legis possidere legem prius certo existentem. Et sane in dubio illud possidet, quod certum est; atqui in dubio de cessatione legis certa est libertas et dubia est lex: etenim si

¹⁾ Cf. l. 1. n. 99; l. 4. n. 150; l. 6. n. 505; l. 3. n. 290. n. 112.

probabile est legem cessasse, existentia legis fit dubia, libertas autem manet certa; ergo respectu dubiae legis possidet libertas.

Nihil prohibet, quominus principium possessionis in foro interno etiam extra materiam iustitiae et quidem quoad iura legis et libertatis adhibeatur; at vero rite applicari debet. Adversarii legem et libertatem veluti duas personas fingunt aequalia iura habentes, quae in casu dubii de cessatione legis aequalia iura retinerent; opinantur ergo legis iura certa manere, etsi lex probabiliter iam cessasset, et legis priorem certam existentiam tribuere ius manendi in possessione. Verum *a.* ius libertatis *in se* iure legis potius est, quia libertas, si non tempore, saltem natura et ratione legem praecedat. *b.* Deinde *in casu dubii* circa cessationem legis iura legis et libertatis non manent aequalia: fieri enim nequit, ut ius legis maneat certum, ubi contra illud ortum est dubium positivum, sed ius legis necessario fit dubium, econtra ius libertatis manet certum. *c.* Tandem existentia legis prius certam nullam pro lege fundare potest praesumptionem: nam praesumptionem fundat possessio (hic existentia legis): possessio autem, ut praesumptionem fundet, debet esse certa, atque id quidem eo tempore, quo praesumptionem fundat: atqui existentia legis prius certa nunc est dubia; ergo immerito ex principio possessionis quidquam in favorem legis deducitur.

222. *Num legi adhuc satisfacere teneatur, qui dubitat, an ei iam satisfecerit.*

a. Si dubium est mere negativum, profecto tenetur, quia obligatio adhuc certa est.

b. Qui legi probabiliter iam satisfecit (sive extra materiam iustitiae sive intra materiam iustitiae), non tenetur: eo ipso enim, quod probabiliter iam satisfecit, obligatio fit dubia; obligatio autem dubia nulla est.

c. Ad argumentum: obligationi certae non satisfit per impletionem dubiam, distinguendum est: per impletionem negative dubiam, concedo; per impletionem probabilem vero non satisfit certe, satisfit autem probabiliter; atqui obligatio, cui probabiliter iam est satisfactum, cessat esse certa, et incerta obligatio est nulla¹⁾.

Nota. His praemissis rem ipsam iam ita absolvere possumus: sententia, quae principium probabilismi extendit etiam ad casus

¹⁾ Cf. *Lugo*, De eucharistia disp. 19. n. 249.

cessationis legis, a multis et probatis auctoribus defenditur, rationibus ex ipsa rei natura desumptis valide comprobatur, argumenta vero contrariae sententiae apte solvuntur, quam ob rem principium probabilismi tuto adhiberi potest etiam *in casu cessationis legis*.

Articulus secundus.

De principiis reflexis.

223. De principiis universalibus. 1. *Principia directa* vocantur illae veritates, ex quibus res ipsa comprobatur et certo cognoscitur; principia vero *reflexa* dicuntur nonnullae veritates generales, quae rem quidem, cuius veritas quaeritur, non probant, attamen ad certitudinem practicam efficiendam inserviunt.

2. *Principia reflexa* sunt duplicis generis: alia sunt *universalia*, quae in quovis dubio ad efformandam conscientiam practice certam adhiberi possunt; alia sunt *particularia*, quae solum in dubio negativo ad eundem finem adhiberi possunt vel in dubio positivo facti ad confirmandam opinionis probabilitatem inserviunt.

3. *Principia universalia* non recensentur nisi duo: *lex dubia non obligat* et *lex incerta nequit inducere certam obligationem*, quae duo principia ex argumentis, quibus formula probabilismi demonstratur, clara sunt. Cum inter haec duo principia vix intercedat reale discrimen, reipsa non est nisi unum principium reflexum, nimirum *lex dubia non obligat*, quod solum ad efformandam conscientiam practice certam in omnibus dubiis sufficit.

224. De principiis particularibus. Principia particularia complura numerantur, quae proprie *in foro externo* indicant, pro qua parte stet praesumptio. Si *in foro interno* applicantur, notandum est, ex praesumptione vel ex communiter contingentibus deduci maiorem minoremve probabilitatem, nisi obstet specialis ratio, quin etiam moralem certitudinem, si accedant aliae rationes positivae.

In priore casu ope principii reflexi universalis formanda est conscientia practice certa, in posteriore ea iam habetur.

Qui vespere persoluto officio divino dubitat, num Sextam recitaverit, cum de eius recitatione nullam prorsus memoriam habeat, ex communiter contingentibus, quia alias nihil soleat omittere, probabiliter iudicat se eam recitasse: quin etiam moraliter certo constat se eam recitasse, si e. g. recordetur se Nonam recitasse, et non soleat horam posteriorem recitare nondum persoluta priore.

1. *In dubio melior est condicio possidentis*, vel potius ut in iure habetur: *in pari delicto vel causa potior est condicio possidentis*¹⁾. Hoc principium proprie et immediate ad materiam iustitiae commutativae et quidem *ad forum externum* pertinet et hunc sensum habet: si inter duos lis existit de proprietate alicuius rei et uterque ius suum aequali probat ratione, iura rem ei tribuunt, qui hucusque eam possidebat, donec alter aut probabilius aut certo probet rem esse suam: possessio enim fundat praesumptionem dominii et proprietatis atque ideo concedit ius retinendi rem, donec de contrario aut probabilius aut certo constet.

Principium istud etiam *ad forum internum* transfertur et quidem in materia iustitiae ab omnibus auctoribus applicatur, et complures propter analogiam etiam ad alias materias fori interni illud extendunt. Iam vero ad solvenda dubia negativa circa obligationem legis illud applicari posse nemo negat. Si e. g. iuvenis quoad obligationem ieiunii negative dubitat, num aetatis annum 21. compleverit, immunis est ab obligatione, quia possidet libertas; quodsi senex negative dubitat, num ad annum 60. pervenerit, ieiunare tenetur, quia possidet lex. Num etiam ad solvenda dubia positiva applicari possit, dictum est supra (n. 221).

2. *In dubio iudicandum est ex communiter contingentibus*: ex communiter enim contingentibus colligi potest, pro qua parte stet praesumptio. Quare in dubio, num quis in peccatum consenserit, si est timoratae conscientiae et non

¹⁾ C. *In pari* 65 reg. iur. in 6°.

solet consentire, censetur non consensisse; si autem non est timoratae conscientiae et alias frequenter peccare solet, consensisse censetur.

3. *In dubio standum est pro valore actus* vel: in dubio praesumitur rite factum, quod de iure faciendum erat. Haec regula iuris hoc modo applicatur: si factum principale certum est, et dubitatur vel de modo debito vel de condicione necessaria, haec rite adfuisse censentur; hinc qui dubitat, num cum sufficienti dolore confessionem instituerit, eam rite instituisse praesumitur et proinde non tenetur iterum confiteri.

4. *In dubio praesumptio stat pro superiore.* Si dubium est, num praeceptum a superiore impositum sit iustum et prudens, obediendum est, quia iustum et prudens esse supponitur: nam ratio boni communis exigit, ut pro superiore praesumatur; insuper adesse possunt praecepti motiva subditis ignota, et de ipsis rationibus notis melius superior iudicare posse censetur quam subditus.

Articulus tertius.

De systemate s. Alphonsi¹⁾.

225. Notae historicae. 1. Aequiprobabilistae praetendunt s. *Alphonsum* esse inventorem novi systematis, quod unice rectam agendi normam suppeditet; hoc autem systema esse ipsum aequiprobabilismum. At vero quantopere sit absona haec affirmatio, evidens est: inde enim sequeretur unice rectam agendi normam usque ad s. Alphonsum in ecclesia fuisse ignotam. Quam ob rem dicendum est vel

¹⁾ *Ballerini*, Dissertatio de genuina s. Alphonsi sententia circa usum opinionis probabilis. (Opus theolog. morale⁹ I. Appendix I. p. 632 ss.) *Arendt*, Crisis apologeticae dissertationis P. de Caigny C. SS. R. (Eriburgi. Herder. 1897). *Noldin*, Die Briefe des hl. Alphons von Liguori und dessen Moralsystem (Zeitschrift f. kath. Theol. 1896) S. 73 ff. *Meffert*, Der hl. Alphons von Liguori (Mainz. Kirchheim. 1901) I. Die moralth. Schriften des hl. Al. v. L. S. 19—136.

s. Alphonsum non esse inventorem novi systematis, vel illud non esse unicam recte agendi normam. Insuper ex historia constat nonnullos fuisse theologos (*Amort, Rassler, Ant. Mayr*), qui systema probabilismi iam ante s. Alphonsum formula aequiprobabilistica exhiberent. Tandem ipse s. Alphonsus in *Apologia* declarat: „Ego nunquam volui nec volo nova systemata cudere“.

2. Primis temporibus s. Alphonsus adhaesit probabiliorismo, quem a magistro suo acceperat; mox vero in audiendis confessionibus probe intelligens probabilioristam non posse cum fructu directionem animarum suscipere accessit ad probabilismum, quem strenue contra probabilioristas defendit, et probabilismum quidem purum, quem antiquiores moralistae tuebantur. Ad propugnandum hunc probabilismum duplicem dissertationem exaravit: *pro usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris*, alteram a. 1749 alteram a. 1755 et secundum principia huius probabilismi opus suum morale composuit, quod quinquies iam editum fuerat, antequam formulam systematis moralis ipse mutaret.

3. Inde ab anno 1762 principium probabilismi mutavit in formulam, qua fere utuntur aequiprobabilistae: *cum opinio minus tuta est aequae vel fere aequae probabilis, potest quis eam licite sequi* (n. 55); et *ubi opinio pro lege videtur certe probabilior, eam sequi tenemur, secus vero, si est eiusdem ponderis, quod habet opinio pro libertate* (n. 67) saepius asseverans se non esse sectatorem probabilismi. Quare concedi debet formulam, qua s. Alphonsus postea suum systema exhibet, a communi formula probabilismi differre.

a. Ad mutationem hanc faciendam inducebatur his potissimum rationibus: α . quia formula, qua initio probabilismum proposuerat: *licet sequi minus probabilem in concursu probabilioris* ambigua erat; β . quia nova formula putabat se efficacius impugnationes adversariorum reiicere et abusus laxistarum praecavere posse; γ . quia unice hac via prohibitionem librorum suorum et suppressionem congregationis a se fundatae ex parte gubernii timendam evitare poterat.

b. Disputant, utrum contradictio, quae inter priora et posteriora scripta s. doctoris reipsa existit, vera an tantum apparens sit. Ne

7. The *Secant* ... *probabilism* ... *officer from the Jesuits order was suppressed* ... *by the Pope at the command of many Governments* ... *St. Ignace College* ... *P. R. C.*

aequiprobabilistae quidem in hac re eiusdem sunt sententiae. Recentiores (*Marc, Gaudé*) autumant s. doctorem probabilismum, cui initio adhaeserat, postea revocasse et equiprobabilismum docuisse; antiquiores vero (*Haringer, Vindiciae alphons.*) opinantur s. Alphonsum sententiam de morali systemate nunquam mutasse, sed semper equiprobabilismo adhaesisse, initio quidem implicite et dubitanter, postea vero explicite et fidenter. Plerique probabilistae praeunte *Ballerini* et ipsi censent, s. doctorem sententiam de morali systemate nunquam mutasse, sed semper adhaesisse simplici probabilismo, quem in prioribus scriptis luculenter exponit atque defendit, in posterioribus solum apparenter retractat, eo quod formula equiprobabilistica eum proponit.

226. Systema s. Alphonsi a simplici probabilismo nec theoretice nec practice differt.

a. Principium, in quo tandem systema probabilismi totum innititur: lex dubia non obligat vel non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet. est ipsum systematis alphonsiani principium, quod sanctus vir in posterioribus scriptis aequae atque in prioribus magno studio confirmat ac tuetur; atqui ex hoc principio formula probabilismi recte fluit, nullatenus vero formula equiprobabilistica.

b. Si deinde docet: non licet sequi opinionem minus probabilem, si opinio pro lege est *certe et notabiliter probabilior*, hac formula nihil aliud vult atque intendit, nisi ut excludatur usus opinionis tenuiter vel dubie probabilis; siquidem hanc solam affert rationem, ob quam id non liceat, quia certe et notabiliter probabilior (certe probabilior ex eius mente semper est notabiliter probabilior) est moraliter vel quasi moraliter certa, et quia minus probabilis eidem opposita non est vere probabilis; iam vero etiam probabilistae prohibent sequi opinionem minus probabilem, si haec non sit vere probabilis, et docent sequendam esse certe probabiliorem, si moraliter certa sit; ergo eius formula solum verbis a probabilismo differt.

c. Si s. Alphonsi systema a probabilismo essentialiter differret, non solum probabilismum antea traditum revocare, sed potissimum theologiam moralem ad normam novi systematis immutare debuisset: exaraverat enim theologiam

moralem longe ante a. 1762, quo formulam aequiprobabilismi primo proposuit; editiones autem theologiae moralis plures, quae postea ipso adhuc superstite prodierant, quoad quaestiones particulares intactae permanserant. Ergo ei persuasum esse debuit, novam formulam quoad rem a priore non differre.

Id sane concedi potest, practice raro fieri, ut sententia aliqua theologo appareat certe et *notabiliter* probabilior, et opposita nihilominus ab eodem habeatur vere et solide probabilis; vel ut sententia pro libertate cognoscatur adhuc vere et solide probabilis, si prae opposita pro lege sit *multo* minus probabilis.

Articulus quartus.

De auctoritate s. Alphonsi.

227. Eius auctoritas. 1. Opera moralia s. doctoris sunt:

a. Theologia moralis, quam ipse novies edidit saepius emendatam¹⁾; *b. Homo apostolicus*, compendium theologiae moralis; *c. Praxis confessarii* ad bene excipiendas confessiones; *d. Dissertationes*, quarum nonnullae postea operi theologiae moralis insertae sunt.

2. *Auctoritas interna* doctrinae moralis s. Alphonsi dependet ab auctoris scientia et ab argumentis, quibus doctrinam suam communivit. Iam vero negari non potest esse theologos morales ingenio, mentis acumine et copia doctrinae s. Alphonso non inferiores; his tamen praerogativis eius theologia moralis excellit: securitate, qua difficiliore de moribus quaestiones ad genuina principia reducit atque ex eis resolvit, prudenti iudicio, quo libratis hinc inde rationum momentis opiniones eligit, ac tandem eruditione, qua omnium fere auctorum opera perlustrat eorumque argumenta examinat. Ad haec accedit singularis sapientia, qua mediam viam docens hinc quidem rigorismum iansenianum, inde vero contrarium laxismum profligavit.

3. *Auctoritatem externam* potissimum constituit iudicium, quod de eius doctrina morali tulit ecclesia. Iudicia

¹⁾ Cf. Elenchus quaestionum reformatarum in fine operis.

publica s. sedis, quae vel ad opera s. Alphonsi universim vel ad theologiam moralem in particulari referuntur, haec sunt:

a. Declaratio s. rituum congr. ad effectum canonisationis 25. maii 1802: *Nihil censura dignum fuit repertum.*

b. Responsum s. poenitentiariae ad dubia ab archiepiscopo vesuntionensi proposita 5. iulii 1831:

1. „Utrum s. theologiae professor opiniones, quas in sua theologia morali profitetur b. Alphonsus a Ligorio, tuto sequi ac profiteri possit.

2. An sit inquietandus confessarius, qui omnes b. Alphonsi a Ligorio sequitur opiniones in praxi s. poenitentiae tribunalis hac sola ratione, quod a sede apostolica nihil in operibus illius censura dignum repertum fuerit.

Confessarius, de quo in dubio, non legit opera b. doctoris nisi ad cognoscendam accurate eius doctrinam, non perpendens momenta rationesve, quibus variae nituntur opiniones, sed existimat se tuto agere eo ipso, quod doctrinam, quae nihil censura dignum continet, prudenter iudicare queat sanam esse, tutam nec ullatenus sanctitati evangelicae contrariam.

Ad 1. Affirmative, quin tamen reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.

Ad 2. Negative, habita ratione mentis s. sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum canonisationis.“

c. Collatio tituli *Doctoris ecclesiae*, quo sanctus propter *eminentem* suam doctrinam „insignis magister divinitus ecclesiae datus“ declaratur.

d. His accedunt complura encomia, quae in litteris a ss. pontificibus ad varios theologos datis reperiuntur, qui opera s. doctoris vel ediderunt vel in aliam linguam verterunt¹⁾. Mentione dignum est responsum s. poenitentiariae 19. decembris 1855 ad quendam professorem, qui cum gradus academicos obtineret, iuramento se obstrinxerat probabiliorismum tuendi, scilicet ipsum non obstante iuramento posse s. Alphonsi doctrinam sequi et publice tradere nec dispensatione a iuramento indigere.

228. Corollaria. Ex his omnibus quoad auctoritatem s. *Alphonsi* in rebus moralibus sequentia colliguntur:

a. Sententiae s. *Alphonsi* hisce non declarantur omnes *verae*, sed tamen in genere *haberi possunt probabiles*, non

¹⁾ Haec congesta reperiuntur apud *Clementem Marc*, Institutiones morales *Alphonsianae*⁷ (Romae. Cuggiani. 1893) I. p. VII—XII.

quidem semper interne, attamen *saltem externe*, et quidem propter solam auctoritatem s. doctoris.

Iudicium ecclesiae de operibus s. Alphonsi non refertur ad veritatem doctrinae, sed ad condiciones pro canonisatione requisitas; atqui ad hunc finem obtinendum examen operum id solum investigat, num aliquid in iis contineatur, quod rectae fidei et bonis moribus advesetur vel, quod eodem redit, num aliquid in iis contineatur, quod sit censura (theologica) dignum.

b. Ideo in praxi quilibet confessarius tuto sequi *potest* (nonnullis exceptis) opiniones s. Alphonsi, ita ut iuxta illas suam aliorumque agendi rationem dirigat, non autem ut ex eis obligationes poenitenti imponat. Nemo tamen eas sequi *tenetur*, sed unicuique liberum est amplecti sententias aliorum auctorum, modo sint vere et solide probabiles; quare confessarius a suis poenitentibus exigere non potest, ut sequantur opiniones s. doctoris.

Excipiendae sunt illae sententiae, quae α . vel ante vel post edita opera s. doctoris ab ecclesia reprobatae sunt ut de patrino catholico in baptisate a ministro haeretico collato; de absolutione moribundi, quam concedit simplex sacerdos praesente approbato; de episcopo regulari, quem s. Alphonsus non obligatum putaverat neque ad vota in religione emissa neque ad regulam sui ordinis¹⁾; quae β . adversantur consuetudini sive ante sive post tempora s. doctoris legitime introductae e. g. circa ieiunium, circa opera servilia; quae γ . supponunt adiuncta temporis s. Alphonsi, quae adiuncta postea immutata sunt, ut quantitas gravis in furto; quae δ . evidenti vel certa ratione demonstrantur falsae: impossibile enim est conscientiam practice certam sibi formare iuxta sententiam, quae cognoscitur esse falsa.

Num confessarius absolvere debeat poenitentem, qui vult sequi opinionem oppositam sententiae confessarii.

a. Si agitur de opinionibus, quae respiciunt administrationem sacramenti, manifesto confessarius procedere debet secundum opiniones, quas ipse tenet: nam agenti probabiles esse debent sententiae, quas sequitur.

b. Si agitur de sententiis, quae versantur circa obligationes poenitentis, confessarius tenetur dispositum absolvere, quantumvis sequi velit opiniones oppositas iis,

¹⁾ Cf. resolutio S. C. Ep. et Reg. 6. maii 1864 et Acta s. sed. I. 449 ss.

quas tenet confessarius, modo sint vere probabiles: poenitens enim ius habet sequendi opiniones vere probabiles, confessarius autem ius non habet utendi opinione tantum probabili ad imponendam obligationem. Immo etiam ubi poenitens rudis ignorat se habere ius sequendi sententiam oppositam, confessario non licet ipsi imponere obligationem, quae a Deo legislatore non imponitur.

c. Quodsi confessarius opinionem, quam vult sequi poenitens, existimat falsam, distinguendum est: si opinio talis est, ut theologi communiter illam habeant probabilem et soli confessario appareat falsa, hic poenitenti consulere potest, ut eam deserat et sententiam sequatur suam; at negata absolutione eum cogere non potest. Verum si opinio, quae poenitenti probatur, talis est, ut theologi communiter eam ut falsam reiiciant, confessarius illum docere et hortari debet, ut opinionem suam deserat, et si id facere nolit, absolutionem ei negare debet, nisi forte poenitens sit in bona fide et ex monitione nullus fructus speretur¹⁾.

¹⁾ Cf. *Lehmkuhl* I. n. 116 ss.

Liber quintus.

De virtutibus¹⁾.

Quaestio prima.

De virtutibus in genere.

Articulus primus.

De natura virtutum.

229. Definitio. 1. *Virtus* in genere definitur habitus potentiam, cui inhaeret, perficiens ad bene operandum.

a. Duplex [distinguitur habitus, *substantivus*, qui animae substantiae inhaeret eique novum essendi modum tribuit, cuiusmodi est gratia sanctificans; et *operativus*, qui animae potentiis inhaeret easque ad agendum perficit, cuiusmodi est virtus.

b. Virtus est habitus operativus, qui potentiam ad agendum *perficit*. Haec perfectio autem duplicis generis esse potest: aut potentiam ad operationem suam iam completam ad agendum inclinat, adeo ut

¹⁾ *S. Thomas* I. II. q. 55--61. *Lessius*, De iustitia et iure ceterisque virtutibus cardinalibus. *Greg. de Valentia*, Commentar. scholast. II. disp. I. q. 5. *A. Tanner*, Theologia scholast. II. disp. 3. q. 2 ss. *Mazzella*, De virtutibus infusis (Romae. Forzani. 1894). *Waffelaert*, De virtutibus cardinalibus (Brugis.-Beyaert. 1889). *Tractatus* de virtutibus ad usum seminarii Mechliniensis (Mechliniae. Dessain. 1896). *E. Müller*, Theologia moralis⁷ (Vindobonae. Mayr. 1894) I. §. 104 ss. *Hilarinus a Sexten*, Compendium theologiae mor. I. c. 4. *I. B. Scaramelli*, Directorium asceticum t. 3. De virtutibus moral. (Augustae Vindel. 1770).

actus suos cum quadam facilitate exercere possit; aut potentiam ad operationem exercendam in se incompletam et insufficientem elevat et complet. Habitus prioris generis dant potentiae, ut facile operari possit, habitus posterioris generis dant, ut simpliciter operari possit.

c. Virtus, quae est *habitus bonus*, non potest elicere nisi actus bonos, sicut vitium, quod est habitus malus, non potest elicere nisi actus malos. Ideo virtus solet definiri: *qualitas, qua recte vivitur, qua nullus male utitur*. Quamvis virtus non possit esse principium (elicitivum), potest tamen esse obiectum actus mali, ut si quis virtutem odio habet vel de ea superbit. Aliis autem habitibus, qui a virtutibus distinguuntur ut scientia, ars, homo ad bonos et malos actus uti potest.

2. Tria in virtutibus consideranda sunt: causa efficiens, subiectum et obiectum.

a. *Causa efficiens* virtutis id dicitur, a quo virtus producit. Ratione causae efficientis virtutes dividuntur in naturales et supernaturales, infusas et acquisitas.

b. *Subiectum* virtutis illudque *proximum* dicitur illa animae potentia, in qua virtus inest et a qua actus certae virtutis eliciuntur. *Subiectum remotum* est ipsa persona habens virtutem.

Potentiae, in quibus virtutes inhaerent, sunt *intellectus, voluntas* et *appetitus sensitivus*; in hoc nempe appetitu insunt illae virtutes, quae versantur circa passiones moderandas, cuiusmodi sunt temperantia et fortitudo.

c. *Obiectum materiale* virtutis est id, circa quod versatur actus virtutis; *obiectum formale* est ratio seu motivum, propter quod versatur circa obiectum suum materiale. Sic obiectum materiale fidei sunt veritates a Deo revelatae; obiectum formale fidei est auctoritas Dei revelantis.

230. Divisio virtutum. a. Pro diverso subiecto, cui virtus inest, dividuntur in virtutes *intellectuales*, quae intellectum perficiunt ad cognoscendum verum, et virtutes *appetitivas (morales)*, quae voluntatem perficiunt ad prosequendum bonum. Virtutes intellectuales a philosophis numerantur quinque: *intelligentia, sapientia, scientia, ars et prudentia*, quibus a theologis additur *fides theologica*; virtutes appetitivae autem numerantur quam plurimae:

Virtutum intellectualium tres sunt habitus *speculativi*: intellectus, sapientia et scientia; duae sunt habitus *practici*: ars et prudentia.

Intellectus perficit mentem ad cognoscendum verum, quod immediate et per se cognosci potest; *sapientia* ad cognoscendum verum, quod per discursum cognoscitur et est simpliciter ultimum (causa prima); *scientia* ad cognoscendum verum, quod per discursum cognoscitur et est ultimum in determinato aliquo genere.

b. Ratione *effectus* in virtutes *morales*, quae hominem faciunt simpliciter seu moraliter bonum, et *intellectuales*, quae hominem faciunt bonum secundum quid, e. g. bonum philosophum, bonum artificem. Illae in voluntate insunt et in aliis potentiis solum quatenus reguntur a voluntate; hae insunt in intellectu independenter ab imperio voluntatis.

Ad virtutes morales hoc sensu acceptas pertinent etiam virtutes theologicae et prudentia; ad virtutes intellectuales hoc sensu acceptas pertinent intellectus, sapientia, scientia et ars.

c. Ratione *causae efficientis* in virtutes *infusas* et *acquisitas*: illae immediate a Deo in potentiis animae producuntur, hae per actus saepius repetitos ab homine comparantur. Virtutes infusae aliae dicuntur *per se*, aliae *per accidens* infusae: illae a solo Deo eas infundente haberi possunt, cuiusmodi sunt omnes virtutes supernaturales, hae etiam humano conatu haberi possunt, cum sint ordinis naturalis, sed quandoque speciali Dei dono infunduntur.

Repetitis actibus virtutes *acquiri*, experientia constat; revelatione autem edocemur virtutes a Deo immediate nobis *infundi* (n. 17). Virtutes acquisitae et infusae in eo conveniunt, quod sint habitus, quibus ad bene operandum disponimur; differunt autem tum *origine* tum *effectu* (n. 229).

d. Cum praecedenti divisione quoad rem fere coincidit ea, qua virtutes dividuntur in *naturales* et *supernaturales*: illae viribus naturalibus per repetitos actus acquiruntur et ad finem naturalem, naturalem nempe beatitudinem ordinantur, hae auxilio gratiae supernaturalis exercentur et ad finem supernaturalem seu supernaturalem beatitudinem ordinantur.

e. Ratione *obiecti* in virtutes *theologicas* et *morales*: illae pro suo obiecto immediato habent aliquam perfectionem divinam ideoque immediate circa Deum versantur, hae pro suo obiecto immediato habent bonum creatum i.

e. actionum honestatem; sic misericordiae obiectum materiale est sublevatio egeni, et obiectum formale est moralis honestas, quae in sublevatione egeni relucet.

Ergo virtus *moralis* dupliciter accipitur, prout oppinitur virtuti *theologicae*, et prout opponitur virtuti *intellectuali*.

f. Ratione *perfectionis* in *communes* et *heroicas*: illae modo communi seu ordinario exercentur, hae promte, expedite et supra communem operandi modum exercentur.

g. Ratione *subiecti remoti*, scilicet personae habentis virtutem, in *formatas* et *informes*, prout persona habens virtutem est in statu gratiae vel in statu peccati mortalis; gratia vel caritas dicitur forma aliarum virtutum.

231. De medio virtutis. 1. Medium virtutis dicitur mensura, qua ab ea excluditur excessus et defectus; sic liberalitas in medio est inter prodigalitatem et avaritiam, fortitudo media est inter temeritatem et timiditatem, quia servat debitum modum inter excessum et defectum.

a. Potissima virtutum proprietas ea est, qua dicuntur esse *in medio* inter excessum et defectum. Actus enim virtutum, ut tales sint, rectae rationi debent esse conformes; atqui non essent rectae rationi conformes, si vel per excessum vel per defectum a medio rectae rationis deflecterent; ergo virtutes eo consistunt in medio, quod earum actus ratione obiecti et circumstantiarum rectae rationi conformes sunt.

b. Medium virtutum considerari potest *ex parte obiecti*, circa quod versatur, et *ex parte subiecti* seu ratione modi, quo virtus exercetur. In modo exercendi virtutem a medio deflecti potest, si temere, inopportune, nimio conatu etc. exercetur. Porro omnes virtutes habent et exigunt medium ex parte subiecti.

c. Medium virtutum ex parte subiecti duplex est, medium rei et medium rationis. *Medium rei* est mensura, quae ex natura determinata et proinde pro omnibus eadem est; medium rationis est mensura, quam ratio prudenti aestimatione, consideratis persona et circumstantiis, determinat, proindeque non pro omnibus eadem, sed in diversis diversa est.

2. Omnes *virtutes morales* habent medium ex parte obiecti, et quidem *iustitia* habet medium rei, aliae autem *virtutes morales* habent medium rationis.

Quid facere debeat, qui iustitiam stricte servare intendit, non prudenti aestimatione determinatur, sed a natura iam definitum est, tantum scilicet dare debet, quantum debitum est: iustitia enim exigit,

ut qui debet centum, centum etiam solvat, quisquis ille est, dives aut pauper et quisquis eius creditor est. Medium aliarum virtutum moralium est medium rationis: etenim quatenam materia in his sit rectae rationi conformis, per rationem secundum qualitatem personae determinandum est; quod enim uni in sumendo cibo conveniens est, id alteri potest esse nimium aut parum, et quod in subeundo periculo convenit viro, id puero vel mulieri nimium est.

3. *Virtutes theologicae* non habent medium ex parte obiecti sed solum ex parte subiecti seu ratione *modi*: cum enim obiectum harum virtutum sit ipse Deus, impossibile est per excessum contra ipsas peccare; et sane non possumus nimium in Deum credere et sperare vel Deum nimis amare. In modo autem, quo hae virtutes exercentur, peccari potest etiam per excessum.

232. De nexu virtutum. 1. *Virtutes theologicae* eatenus inter se connexae sunt, quatenus in ordine generationis caritas supponit spem et fidem et spes supponit fidem; eatenus autem non sunt connexae, quatenus una sine altera esse potest: amissa enim caritate manet spes et fides, et amissa spe manere potest fides (n. 18, 5).

Qua ratione fieri possit, ut amissa gratia sanctificante in anima maneant fides et spes, cum tamen gratia sit harum fundamentum et principium. cf. *Suarez*, De gratia l. 6. c. 13. *Klentgen*, Theologie d. Vorzeit II. n. 200 ff. *Mazzella*, De virtutibus infusis n. 184 ss.

2. *Virtutes morales infusae inter se* connexae sunt, quatenus una cum gratia et caritate infunduntur et his amissis virtutes simul amittuntur. Cum virtutibus *moralibus acquisitis* autem infusae non sunt necessario connexae: nam infusae esse possunt sine acquisitis ut in parvulis baptizatis, et acquisitae esse possunt sine infusis ut in peccatoribus adultis: amissis enim per peccatum infusis non amittuntur etiam virtutes acquisitae.

3. *Virtutes morales acquisitae* non sunt necessario connexae, quamdiu sunt *imperfectae*, si autem *perfectae* sunt, necessario invicem connectuntur, adeo ut is, qui unam perfecte acquisivit, omnes alias pariter habeat.

Ut virtus dici possit *perfecta*, non est necesse, ut exerceatur in gradu heroico, illud autem requiritur, ut facile, promte et constanter

in omni eventu etiam in difficultatibus ordinariis exerceatur. Virtus dupliciter potest esse *imperfecta*, aut α . quia nondum pervenit ad rationem habitus, sed vel est quaedam naturalis et innata inclinatio ad bonum vel est quaedam dispositio ad habitum virtutis orta ex nonnullis actibus imperfectis, aut β . quia attingit quidem rationem habitus, sed potentiae nondum firmiter inhaeret nec ad virtutem constanter etiam in difficultatibus exerendam disponit.

a. Virtutes acquisitae imperfectae non sunt inter se connexae: experientia enim constat multos sive ex innata indole sive ex aliqua assuetudine promptos esse ad opera misericordiae, qui tamen prompti non sunt ad opera castitatis, item promptos esse ad exercendam castitatem, qui prompti non sunt ad exercendam liberalitatem vel humilitatem.

b. Virtutes acquisitae perfectae necessario inter se connexae sunt; qui ergo una caret, nullam perfecte habet. Ratio interna haec esse videtur, quia non est perfecta virtus sine perfecta prudentia; at ubi est perfecta prudentia, ibi omnes aliae virtutes plus minusve perfectae sunt.

Non requiritur, ut virtutes perfectae omnes eundem gradum perfectionis attingant, sed tum in eodem tum in diversis hominibus una potest altera esse perfectior; inde fit, ut in uno sancto haec in altero alia virtus praecipue emineat atque laudetur.

Articulus secundus.

De distinctione virtutum moralium.

233. Distinctio specifica virtutum moralium ab earum *obiecto formali* desumitur. Quaelibet enim virtus moralis versatur circa bonum honestum; tot ergo distinguendae erunt virtutes specificae diversae, quot sunt speciales rationes boni honesti, circa quod versatur virtus; sed specialis honestas, quam virtus quaelibet prosequitur, est eius obiectum formale.

Diversae rationes honestatis seu boni honesti vel reperiuntur in operationibus, quae sunt ad alterum, vel in moderandis passionibus; ideo virtutum moralium duo magna genera habentur, virtutes quae versantur circa *operationes ad alterum*, ut est iustitia et quae ei annexae

sunt, et virtutes, quae versantur circa *passiones*, ut est fortitudo et temperantia et quae his annexae sunt.

234. 1. Inter virtutes morales sunt quatuor, quae *cardinales* seu principales vocantur, ad quas omnes aliae tamquam *partes* earum *annexae* reducuntur.

a. Vocantur *cardinales*, quia inter virtutes praecipuae sunt atque in vita hominis morali pernecessariae ac usitatissimae, sicut in ostio cardo praecipuum est, in quo ostium volvitur et a quo eius usus dependet.

Huius nominis auctor dicitur s. *Ambrosius* (l. 5. in Luc. 6, 20); s. *scripturâ* eas commemorat, ubi de sapientia divina ait: *Sobrietatem (temperantiam) et prudentiam docet, et iustitiam et virtutem (fortitudinem), quibus utilius nihil est in vita hominibus*¹⁾.

b. Numerus earum desumitur tum ex quadruplici *obiecto* (honestate, bono honesto), circa quod versantur, tum ex quadruplici subiecto, cui principaliter insunt.

a. *Obiectum*. Ut homo in omnibus secundum virtutem seu secundum rectam rationem agat, imprimis recte iudicare debet de iis, quae agenda sunt, quod fit per *prudentiam*; deinde ordinem rationis servare debet in operationibus erga alios, quod fit per *iustitiam*; dein superare debet difficultates, quae retrahunt a recta ratione, quod fit per *fortitudinem*; ac tandem moderari debet *passiones*, quae in usu rerum creaturarum incitant ad agendum contra ordinem rationis, quod fit per *temperantiam*²⁾.

Breviter s. *Thomas* obiectum virtutum moralium in hunc modum exhibet; *prudentia*, quae ceteris lumen praefert, est in eligendis; *iustitia* in distribuendis; *fortitudo* in tolerandis; *temperantia* in utendis³⁾.

β. *Subiectum*. *Prudentia* est in intellectu, *iustitia* in voluntate, *fortitudo*, in appetitu sensitivo irascibili, *temperantia* in appetitu sensitivo concupiscibili.

Omnes tamen virtutes morales sunt etiam in voluntate tamquam in subiecto, quia earum actus a voluntate aut eliciuntur aut imperantur. Hinc nonnullae virtutes (ut prudentia, fortitudo, temperantia) sunt in duplici potentia, et consequenter completa virtus ex duobus habitibus constat, quorum alter est in voluntate, alter in intellectu vel in appetitu sensitivo; uterque autem constituit moraliter unam virtutem propter relationem, qua unus habitus ad alterum ordinatur.

¹⁾ Sap. 8, 7.

²⁾ *Summa* I. II. q. 61. a. 2.

³⁾ *Summa* I. II. q. 61. a. 4.

2. Non omnes virtutes morales eiusdem sunt dignitatis et perfectionis essentialis, sed *prudentia* aliis virtutibus cardinalibus, *iustitia* fortitudini et temperantiae, *fortitudo* temperantiae praestat.

Ratio *primi* est tum quia prudentia in nobiliore subiecto est, tum quia alias virtutes morales dirigit. Ratio *secundi* est, quia iustitia tum subiectum tum obiectum nobilius habet, quam virtutes, quae in appetitu sensitivo sunt et circa passiones versantur. Ratio *tertii* est, quia fortitudo appetitum subiicit rationi in his, quae ad mortem et vitam pertinent.

235. Partes annexae virtutum cardinalium. Iuxta *s. Thomam* ad unamquamque virtutem cardinalem tres classes virtutum moralium pertinent, quae illius sunt *partes annexae*, sicut totum habet partes annexas: aliae enim virtutes sunt cardinalium partes subiectivae, aliae partes integrantes, aliae partes potentiales.

a. Partes *subiectivae* virtutis illae dicuntur, quae ad eam referuntur ut species ad genus;

b. partes *integrantes* illae vocantur, quae requiruntur, ut virtus sit integra seu ut facilius et perfectius operari possit;

c. partes *potentiales* illae dicuntur, quae virtuti cardinali quidem affines sunt, in aliquo vero a perfecta ratione illius virtutis deficiunt. Dicuntur partes potentiales, quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis.

Quaestio secunda.

De virtutibus cardinalibus.

236. Virtutes cardinales triplici modo considerari possunt: a. *Ut virtutes speciales* inter se et ab aliis distinctae, quatenus nimirum earum obiectum ad determinatam materiam restringitur, in qua specialis honestas relucet.

b. Ut virtutes generales seu ut quatuor genera virtutum, quae alias virtutes morales sub se continent. Sic omnis virtus, quae efficit, ut operationes sint secundum rationem directae, dicitur *prudentia*; omnis virtus, quae efficit, ut operationes sint secundum debitum exactae, dicitur *iustitia*; omnis virtus quae cohibet passiones, dicitur *temperantia*; omnis virtus, quae animum reddit firmum contra difficultates quascunque, dicitur *fortitudo*.

c. Ut proprietates generales, quae aliquo modo inesse debent unicuique virtuti: omnis enim virtus debet esse *prudens* in operando, ne erret per inconsiderationem; *iusta*, ut praestet, quod debet Deo, proximo et ipsi operanti; *fortis*, ut in bono constanter persistat nec ullis difficultatibus cedat; *temperans*, ut in omnibus mediocritatem (medium) servet et modum a ratione praescriptum non excedat.

Articulus primus.

De prudentia.

237. Eius natura. 1. *Prudentia* definitur recta ratio agendorum, seu est virtus moralis in quovis negotio dictans, quid consideratis circumstantiis agendum sit, ut actio rectae rationi sit conveniens.

a. Prudentia est virtus intellectus practici, quae proxime dirigit omnes virtutes tum morales tum theologicas.

b. Prudentia hominem ordinat tum ad seipsum tum ad alterum, quia actus quoscunque dirigit, tum eos, qui ad semetipsum tum eos, qui ad alterum referuntur.

2. *Obiectum materiale* prudentiae constituunt omnes actiones humanae in particulari, de quibus dictat, quomodo hic et nunc exercendae sint, ut fiat honestum et evitetur malum. *Obiectum formale* est naturalis honestas, quae in eo relucet, quod omnes actiones deliberatae secundum rectam rationem fiant.

a. Quia prudentia ad omnes actiones humanas pertinet (ipsa enim omnibus medium virtutis veluti formam imprimere debet) facile

intelligitur nullam posse esse virtutem sine prudentia. Quamobrem prudentia recte dicitur *auriga et moderatrix omnium virtutum*. Sic misericordia hominem inclinât ad subveniendum pauperibus, prudentia vero dictat, quantum, ubi, quando, quomodo pauperi dari debeat, ut actus misericordiae sit omni ex parte rectae rationi conveniens.

b. Ipsa supponit, voluntatem bene dispositam esse circa fines particulares virtutum moralium, ne per affectus inordinatos iudicium prudens corrumpatur: qui enim recte vult iudicare, ab inordinatis affectibus debet esse immunis, cum unusquisque iudicare soleat prout affectus est.

3. *Functiones* seu actus prudentiae numerantur tres: consultatio, iudicium et imperium. Ipsa enim imprimis *inquirere* debet media, quae necessaria sunt ad finem, i. e. ut opus honeste fiat, deinde *iudicat*, quid et quomodo hic et nunc agendum sit, ut opus secundum virtutem fiat, ac tandem *imperat* hanc illamve actionem hic et nunc esse faciendam.

238. De vitiis oppositis. 1. *Vitia* prudentiae opposita per defectum sunt:

a. Praecipitatio, qua statim sine praevia deliberatione opus suscipitur.

b. Inconsideratio, qua omittitur attendita inspectio rei, de qua iudicandum est, et circumstantiarum eius.

c. Inconstantia, qua sine ulla aut certe sine iusta causa mutatur sententia lata.

d. Negligentia, qua res deliberata et determinata opportuno tempore non mandatur executioni.

2. *Vitia* prudentiae opposita per *excessum* sunt potius vitia, quae falsam quandam speciem et similitudinem prudentiae habent:

a. Prudentia carnis, quae excogitat media ad implendos motus naturae corruptae.

b. Astutia, quae excogitat ad aliquem finem sive bonum sive malum consequendum vias simulatas et occultas ad proximum fallendum; si committitur verbis, dicitur *dolus*, si factis, vocatur *fraus*.

c. Sollicitudo temporalium, quae est nimia animi occupatio in bonis temporalibus conquirendis et conservandis.

d. Sollicitudo futurorum, quae est nimia occupatio circa ea, quae futuro tempore praesertim vitae necessaria sunt.

239. De partibus prudentiae. 1. *Partes integrantes* prudentiae numerantur octo:

a. memoria praeteritorum, *b. intelligentia* praesentium, *c. docilitas*, quae acquiescit sententiis maiorum, *d. sollertia* in considerandis eventibus futuris, *e. ratio* conferens unum cum alio et promte colligens, quod exinde sequitur, *f. providentia* considerans finem, *g. circumscriptio* attendens ad circumstantias operis, *h. cautio* in vitandis impedimentis.

2. *Partes subiectivae* prudentiae sunt duae: *a. prudentia monastica* seu privata, per quam aliquis regit se ipsum, *b. regitiva*, per quam aliquis regit alios seu multitudinem.

Haec distinguitur in *oeconomicam*, qua regitur familia, filii bene educantur, bona conservantur et augentur etc.; in *politicam*, qua regitur societas hominum sub iisdem legibus viventium eiusque bonum commune quaeritur; in *militarem*, qua diriguntur milites ad hostes oppugnandos vel eos repellendos.

3. *Partes potentiales* virtutis prudentiae numerantur tres:

a. Eubulia est habitus inveniendi bonum consilium in rebus ambiguis et perplexis.

b. Synesis est habitus ferendi rectum iudicium circa operationes particulares secundum leges communes.

c. Gnome est habitus recte iudicandi in particularibus, in quibus ob particularia adiuncta a communi lege facienda est exceptio. Gnome ergo dirigit epikiam.

Articulus secundus.

De iustitia¹⁾.

§ 1. De natura iustitiae.

240. Notio iuris. Notio iustitiae supponit notionem iuris, quod est eius obiectum. *Ius* sensu proprio et primario significat personae *potestatem* moralem inviolabilem aliquid habendi, faciendi vel exigendi; hoc sensu dicimus: utitur *iure* suo, *ius* suum in alterum transfert; secundario significat id, quod iustum, aequale seu quod alteri *debitum* est, ipsa nempe obiecta, circa quae illa potestas versatur; hoc sensu dicimus: unicuique tribuendum est *ius* suum. Hae duae iuris significationes correlativae sunt; altera rem debitam, altera titulum debiti exhibet: nihil enim esset cuiquam debitum, nisi haberet potestatem illud exigendi vel retinendi. Iam vero ius, prout significat id, quod alteri debitum est, constituit obiectum iustitiae²⁾.

a. Potestas *moralis* dicitur, tum quia non est physica, tum quia est iuxta rectam rationem; *inviolabilis* dicitur, quia unusquisque eam observare tenetur, ut ideo sine culpa violari non possit. Ratio autem et fundamentum huius inviolabilitatis est dignitas et independentia personae, vi cuius ipsa exigere potest, ut bona creata tamquam media ad eam ordinentur eique servire debeant, quatenus ad obtinendos fines suos necessarium est.

b. Potestas moralis seu *ius* duplex distinguitur, *improprie dictum*, quod fundatur in superioritate et reddi ad aequalitatem nequit, cuiusmodi est. Dei ius ad cultum, patris ad obedientiam; *proprie dictum*,

¹⁾ *S. Thomas* II. II. q. 57 s. q. 61. *Molina*, De iustitia et iure tract. 1. *Lessius*, De iustitia et iure l. 2. sect. 1. c. 1 s. *Lugo*, De iure et iustitia disp. 1. sect. 1. *Holzmann*, Theologia moralis IV. n. 286—336. *Vermeersch*, Quaestiones de iustitia (Brugis. Beyaert. 1901) n. 1—76. *Pottier*, De iure et iustitia (Leodii. Ancion. 1900). *Vict. Cathrein*, Die Cardinaltugend der Gerechtigkeit (Zeitschrift für kath. Theologie 1901) S. 635 ff.

²⁾ Cf. quae de iuris natura et proprietatibus subtiliter aequae ac ingeniose disputant *Lugo* (de iustitia disp. 1. n. 2 ss.) *Vermeersch* (l. c. n. 5 ss.) *Cathrein* (Moralphilosophie I. S. 415 ff.) aliique.

quod fundatur in personali dignitate atque independentia et reddi ad aequalitatem potest, cuiusmodi est ius operarii in salarium.

c. *Debitum* triplex distinguitur: α. *Debitum morale*, quod solum oritur ex honestate virtutis, quin in altero sit potestas illud exigendi, ut est *debitum caritatis*, *miserecordiae*, *gratitudinis*, *veracitatis*; qui ergo hoc *debitum* non servat, non laedit ius alterius, sed solum deficit ab honestate virtutis, quam unusquisque in suis actionibus servare debet. β. *Debitum legale*, quod oritur ex iure improprie dicto, quod proinde alius ut sibi *debitum* exigere potest, quod tamen ad aequalitatem reddi nequit, ut est *debitum religionis*, *pietatis*, *obedientiae*. γ. *Debitum iuridicum* quod oritur ex iure proprie dicto, quod proinde alius ut sibi ex proprio iure *debitum* exigat, et quod etiam reddi ad aequalitatem potest et debet, ut est *debitum iustitiae*¹⁾.

241. Divisio iuris. 1. Ius proprie dictum prout est legitima potestas ratione *termini*, ad quem refertur, dividitur in ius *circa personas*, quod una persona habet in aliam, et in ius *circa bona*, quod unusquisque habet in bona sua. Illud definitur legitima potestas gubernandi subditos in commodum illorum. Duplex est: *ius dominationis*, cuiusmodi est ius patris in filios, heri in famulos; et *ius iurisdictionis*, cuiusmodi est ius principis in subditos. Ius *circa bona* definitur legitima potestas aliquid habendi vel faciendi vel exigendi in proprium commodum: bona enim, quae ius istud respicit, homo immediate in proprium commodum referre potest.

2. Ius *circa bona* duplex distinguitur: ius in re et ius ad rem.

a. *Ius in re* est legitima potestas, quam aliquis habet in re iam sua, cuiusmodi est ius in rem emtam. Hoc ius afficit immediate rem ipsam et ideo dicitur *ius reale*.

Qui ergo habet ius in re, rem ipsam sibi obligatam et devinctam habet; quare hoc ius tribuit actionem personalem et realem, scilicet habens ius in re potest eam persequi in iudicio adversus quemcunque, qui eam possidet, eamque sumere, ubicunque illam repererit.

b. *Ius ad rem* est legitima potestas, quam aliquis habet, ut res aliqua fiat sua, cuiusmodi est ius ad rem promis-

¹⁾ *Debitum legale* sic dicitur, quia hoc *debitum* etiam lege humana urgeri potest.

sam, ius ad solutionem debiti. Hoc ius immediate non afficit rem ipsam, sed personam, ut tradat rem debitam, et ideo vocatur *ius personale*.

Qui ergo habet ius ad rem, non rem ipsam, sed personam sibi devinctam et obligatam habet ad rem sibi tradendam; quare hoc ius tribuit tantum actionem personalem in debitorem, non autem in tertiam personam, quae rem debitam forte possidet.

242. Notio iustitiae¹⁾. *Iustitia* est virtus moralis, quae hominem inclinatur ad reddendum unicuique ius suum seu quod ei debetur ad aequalitatem.

a. Nomen *iustitiae* tripliciter accipitur:

α. *Latiore et improprio sensu* denotatur tum complexum omnium simul virtutum tum quamlibet virtutem, quippe quae sit aliqua illius complexus pars, aliqua iustitia. Priore sensu dicitur: *Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam²⁾*. Sic decet nos implere omnem iustitiam³⁾; posteriore: *Attendite, ne iustitiam vestram (misericordiam) faciatis coram hominibus⁴⁾*.

β. *Strictiore et improprio sensu* significatur genus aliquod virtutum, eas scilicet virtutes morales, quae hominem ordinant ad alterum sive Deum sive hominem, quaeque ad virtutem cardinalem iustitiae tamquam partes integrales et potentiales revocantur.

γ. *Stricte et proprie* significatur virtutem moralem et cardinalem, quam exhibet proposita definitio.

b. Tria sunt de ratione iustitiae:

a. *Ut sit ad alterum*: nemo enim erga semetipsum proprie iustus vel iniustus esse potest. Distinctio ergo personae requiritur inter eum, qui reddit debitum, et eum, cui illud redditur, ut locum habere possit iustitia, sive persona physica sive moralis est.

¹⁾ Sententiae auctorum de iustitia eiusque speciebus variae sunt. Complures rationem iustitiae proprie dictae soli iustitiae commutativae tribuunt, quam a iustitia distributiva et legali nomine iustitiae simpliciter perfectae vel perfectissimae distinguunt. Alii e contra rationem iustitiae proprie dictae tum iustitiae commutativae, tum iustitiae distributivae et legali tribuunt easque tamquam veras species ad iustitiam generice acceptam referunt. Hanc sententiam, quam inter veteres defendunt *Tanner, Holzmann, Metzger, Coel. Mayr* alique, inter recentes docte propugnat *P. Vermeersch* (l. c. n. 1—76).

²⁾ Matth. 5, 6.

³⁾ Matth. 3, 15. Cf. Matth. 1, 19. Luc. 1, 6.

⁴⁾ Matth. 6, 1.

β. Ut id, quod redditur alteri, sit ei *ex proprio iure debitum*. Ex proprio iure *debitum* illud dicitur debitum, quod fundatur in personali alterius dignitate atque in eius independentia, quae inde resultat (240, b).

γ. Ut debitum alteri *ad aequalitatem reddatur*. Debitum ad aequalitatem reddit, qui illud adaequate seu ita solvit, ut iam nihil amplius debeat.

c. *Obiectum materiale* iustitiae est omne id, quod alteri ex proprio iure debetur; *obiectum formale* est naturalis honestas, quae in eo cernitur, quod unicuique adaequate reddatur, quod ei debetur: id enim iustitia propter honestatem naturalem sibi insitam intendit, ut aequalitas statuatur inter ius unius et debitum alterius.

243. Tres sunt iustitiae species: iustitiae commutativa, distributiva et legalis, in communi enim ratione iustitiae omnes univoce conveniunt, cum tria elementa ad essentiam iustitiae requisita in omnibus reperiantur; singulae tamen modo specificè diverso illa participant.

a. Tres iustitiae species in eo conveniunt, quod earum obiectum sit *ius* proprie dictum ideoque *perfectum*, quod scilicet fundatur in dignitate atque independentia personae sive physicae sive moralis, et quod hoc ius reddant ad aequalitatem; in eo autem differunt, quod ratio iuris et debiti, quod respiciunt, sit essentialiter diversa, et pari modo aequalitas, quam statuunt inter debitum et acceptum, sit specificè diversa.

b. Tria iura proprie dicta, sed specificè diversa sunt: α. *ius personae privatae erga personam privatam* seu partis erga partem eiusdem communitatis, quod respicit iustitia *commutativa*; β. *ius personae privatae* seu partis societatis *erga societatem*, quod respicit iustitia *distributiva*; γ. *ius societatis* qua talis *erga personas privatas* seu partes societatis, quod respicit iustitia *legalis*. Ex triplici iure oritur triplex debitum iuri consentaneum, quod solvunt tres virtutes iustitiae: debitum privati seu partis praestandi id, quod iure suo exigit privatus; debitum communitatis qua talis praestandi id, quod iure suo exigit privatus eiusdem communitatis membrum seu pars; debitum privati seu partis praestandi id, quod iure suo exigit communitas a suis partibus et membris.

1. 244. Iustitia commutativa illa est, qua privatus tribuit privato, quod ei ex iure debetur.

a. *Commutativa* dicitur, qui circa commutationes (emtionem et venditionem) aliosque contractus potissimum versatur.

b. Obiectum materiale iustitiae commutativae sunt bona cuiusque privati, quae ad ipsum exclusive pertinent. In his bonis commutandis unicuique reddendum est, quod ei debetur, seu curandum est, ne quis privetur re sua. *Obiectum formale* est honestas aequalitatis inter ius unius personae privatae et debitum iuridicum alterius itidem privatae personae, quae ambae sunt membra communitatis.

c. Omnibus iustitiae speciebus convenit, ut reddant alteri ex iure debitum; iustitiae autem commutativae peculiare est, ut reddat alteri *rem propriam*, cum eius obiectum materiale sint res, quae iam factae sunt aliquo modo alterius propriae, ut si operario redditur debitum salarium.

d. Cum manifestum intercedat discrimen inter ius, quod respicit iustitia commutativa, et ius, quod respicit iustitia distributiva, nihil impedit, quominus illud dici possit *ius strictum*, hoc vero ius minus strictum, quamvis utrumque sit ius verum, proprie dictum atque perfectum, quippe quod in se contineat integram rationem iuris supra descriptam. Ius enim, quod respicit iustitia commutativa est *ius proprietatis* seu ius in re aut saltem ad rem.

245. Iustitia distributiva illa est, qua tribuitur civibus tamquam partibus societatis, quod eis ex iure debetur: civibus enim eo ipso, quod sunt partes societatis, convenit ius exigendi, ut a societate iuventur in prosecutione finis sui, prout fert natura societatis; et vicissim societati incumbit officium curandi, ut ex bonis communibus singulis tribuatur, quod eis debetur.

a. Officium distribuendi bona communia eis inest, qui societatem repraesentant, principes eorumque ministri: hi enim soli pro societate et nomine societatis agere possunt.

b. Obiectum materiale iustitiae distributivae constituunt *bona communia*, cuiusmodi sunt tutela iurium, pecunia ad erigendas scholas publicas, subsidia ad promovendas scientias et artes, ad sublevandam indigentiam civium etc.; *munera publica*, *opera communia*. *Obiectum formale* est honestas aequalitatis inter ius (minus strictum) personae privatae quatenus est pars communitatis et debitum iuridicum communitatis qua talis.

c. Iustitia distributiva reddere debet *ad aequalitatem*, quod civibus debetur; quae tamen aequalitas non est rei ad rem, sed *proportionis rerum ad cives*, ita ut bona meritis, subsidia indigentibus, onera facultatibus civium sint proportionata.

d. Laesio iustitiae distributivae *acceptio personarum* dicitur. Haec proprie in eo consistit, quod in distributione bonorum com-

munium non ad dignitatem personarum, sed ad alias qualitates e. g. ad consanguinitatem, ad amicitiam attenditur.

246. Iustitia legalis illa est, qua tribuitur communitati, quod ei debetur ad procurandum bonum commune.

a. *Obiectum materiale* constituunt certi actus diversarum virtutum, quos bonum commune exigit: tum enim bene habet societas, si eius membra bene disposita atque ordinata sunt relate ad Deum, ad semetipsa, ad alia membra eiusdem societatis atque ad ipsam societatem. Hi actus ut debiti societati vel lege positiva vel lege naturali praecipiuntur. *Obiectum formale* est honestas aequalitatis inter ius communitatis qua talis et debitum iuridicum partis qua talis.

b. Quod *subiectum* iustitiae legalis attinet, haec virtus tum in principe tum in subditis reperitur, sed diversis actibus ab eis exercetur; princeps eam exercet praecipiendo, quae ad bonum commune procurandum necessaria sunt, subditi obtemperando et exequendo, quae ad bonum commune praecepta sunt.

c. Iustitia legalis eatenus debitum reddit *ad aequalitatem*, quatenus ita praestat, quod communitati debetur (tributum solvit, militiam praestat), ut debitum iam sit extinctum.

d. Haec iustitia dicitur *legalis*, tum quia lex determinat actus virtutum, qui ad bonum commune necessarii sunt, tum quia civis per eam legi se conformat; dicitur *generalis*, non quia speciale obiectum non habet, sed quia eius obiectum materiale sunt actus omnium aliarum virtutum, quatenus communitati debiti sunt.

e. Qui hoc tempore de quaestione sociali agunt, saepe loquuntur *de iustitia sociali*, quo nomine significant aut iustitiam legalem, quia huius obiectum formale est bonum commune seu sociale hominum in societate civili viventium, aut simul iustitiam legalem et distributivam, quatenus haec exigit, ut commoda et onera communia iuxta aequalitatis normam distribuantur.

Nota. Iustitia vindicativa, quae reos iusta poena afficit, ab aliis revocatur ad iustitiam *legalem*, quatenus bonum commune exigit, ut superior delicta puniat, reus autem iudicis sententiae obtemperando poenam luat. Ab aliis ad *distributivam* revocatur, quatenus poenas infligit quantitati criminum congruas. Ab aliis tandem ut *specialis virtus* a ceteris distincta consideratur, cuius *formale obiectum* sit naturalis honestas, quae in eo contineatur, quod ordo moralis per delictum laesus aliquatenus per poenam reparatur. Nullatenus tamen ut quarta species partibus subiectivis iustitiae accenseri potest, quia ratio formalis iustitiae

ei non convenit. Iustitia enim proprie dicta respicit verum ius in eo, cui debitum redditur; sed nemo dixerit solum habere ius ad poenam. Ideo iustitia vindicativa, si ut specialis virtus consideratur, non ad partes subiectivas, sed ad partes potentiales iustitiae refertur et *vindicatio* appellatur.

247. Partes iustitiae. 1. *Partes subiectivae* iustitiae sunt iustitia *commutativa*, *distributiva* et *legalis*.

Ad accuratam divisionem virtutis cardinalis iustitiae constituentem *iustitia* generice accepta immediate dividenda est in duas species, iustitiam nempe *generalem* et *particularem*, prout bonum, circa quod versatur iustitia, debitum est communitati aut privato. Deinde iustitia particularis iterum in duas species dividitur, in iustitiam *distributivam*, quae pro subiecto habet societatem, personam moralem, et *commutativam*, quae pro subiecto habet personam privatam.

2. *Partes integrales* iustitiae duae sunt: *facere bonum et declinare a malo*¹⁾.

Ratio, ob quam ut partes integrales iustitiae ponantur duo elementa, quae in omnibus virtutibus reperiuntur, ex peculiari natura iustitiae desumenda est. Hoc enim proprium habet iustitia, ut duplici modo observari possit et debeat, per *actum negativum* (non auferre alienum) et per *actum positivum* (reddere debitum), adeo ut ille etiam vere dicatur iustus, qui non aufert alienum. Econtra aliae virtutes e. g. temperantia uno tantum modo, per actus scilicet positivos ad normam temperantiae exactos observari possunt: neque enim is, qui non comedit, dicitur temperans. Iam vero per actus iustitiae negativos *declinamus a malo*, per actus autem positivos *facimus bonum*.

3. *Partes potentiales* iustitiae, quae aliquam cum iustitia similitudinem habent, sed tamen a perfecta ratione iustitiae deficiunt, sunt omnes virtutes, quae sunt ad alterum.

A perfecta autem ratione iustitiae deficiunt:

a. quia non respiciunt debitum: *gratitudo*, *vindicatio*, *veracitas*, *amicitia*, *liberalitas*, *aequitas*;

b. quia non respiciunt debitum iuridicum et, quod respiciunt debitum legale tam magnum est, ut reddi ad aequalitatem non possit: *religio*, *pietas*, *observantia*, *obedientia*.

¹⁾ S. Thomas II. II. q. 79. a. 1.

§ 2. De obligatione iustitiae.

248. **Principia.** 1. Iustitia *commutativa* obligat per se sub gravi et cum onere restitutionis, si laesa fuerit.

a. Finis, quem iustitia commutativa respicit, magni momenti est, scilicet bonum tum privatum tum publicum: eo enim quod ius alienum illaesum servat, prospicit tum mutuae hominum caritati et coniunctioni, tum publicae paci et tranquillitati. Admittit autem parvitatem materiae, quia huius iustitiae laesio in re exigua eius fini graviter non repugnat.

b. Iustitia commutativa exigit, ut detur unicuique, quod *summi* est; si ergo per laesionem iustitiae commutativae aufertur alteri, quod suum est, aut furto aut damnificatione, ipsa exigit, ut reddatur, quod alteri ablatum est: redditur autem per restitutionem; ergo obligat ad restitutionem.

2. Iustitia *legalis et distributiva* pariter obligant sub gravi, quia huius quoque utriusque iustitiae laesio gravem inordinationem in societatem inducere potest; attamen *per se non obligant cum onere restitutionis*.

Ut explicetur, cur laesio iustitiae commutativae, minime vero laesio iustitiae distributivae obligationem restitutionis inducat, haec notentur. Laesio *iustitiae commutativae* afficit bonum, quod iam aliquo modo saltem implicite uni vel singulis appropriatum est, quod ergo ad unum vel ad singulos iam iure stricto (in re vel saltem ad rem) pertinet; laesio autem *iustitiae distributivae* afficit bonum, quod nullo modo ne implicite quidem uni vel singulis appropriatum est, quod ergo stricto iure non ad singulos, sed ad solam communitatem pertinet, et solum destinatum est, quod per distributionem singulis approprietur. Idem dicendum est de laesione iustitiae legalis per defraudationem tributorum.

3. *Per accidens* etiam iustitiae legalis, vindicativae et praesertim distributivae laesio *ad restitutionem* obligat, quando scilicet iustitia commutativa simul laeditur: saepe enim fit, ut ratione pacti vel expliciti vel impliciti obligationes aliarum iustitiae specierum etiam ex iustitia commutativa servari debeant, earumque proinde laesiones simul inducant laesionem stricti iuris.

a. Cum iustitia *distributiva* simul laeditur commutativa: a. *In distribuendis bonis*, si distributor officia et beneficia non conferat dignis, ad quod superior tum ecclesiasticus tum civilis assumendo officium se obligat. Hinc si beneficia vel officia confert indignis

relictis dignis, iustitiam commutativam violat, non quidem erga personas privatas, quae per se ius strictum ad officia vel beneficia non habent, sed erga ecclesiam vel rem publicam. Si autem dignis conferat officia omissis dignioribus, ius strictum non laeditur, quia ad aptam non autem ad optimam administrationem stricta obligatio adesse censetur. *β. In distribuendis oneribus* e. g. in imponendis tributis, quando subditis maius onus imponitur, quam exigit bonum commune secundum singulorum facultates: subditi enim ius strictum habent, ne priventur bonis suis, nisi bonum commune secundum mensuram virium id exigat.

b. Cum iustitia vindicativa simul laeditur iustitia commutativa, tum si delinquentes cum damno communi non puniantur, tum si poena iusto graviore plectantur: iudex enim stricta obligatione tenetur erga rempublicam punire delinquentes et erga delinquentes eos non punire ultra condignum. Si ergo reus poena iusto graviore punitur, per hunc poenae excessum simul iustitia commutativa erga reum laeditur.

c. Cum iustitia legali simul laeditur iustitia commutativa, si princeps iniquis legibus et statutis subditis in bonis eorum damnum inferat: subditi enim ius strictum habent exigendi, ne ipsis damnum bonorum suorum inferatur.

Articulus tertius.

De fortitudine.

249. Eius natura. *Fortitudo* latiore et strictiore sensu accipitur.

a. Latiore sensu est animi firmitas in prosequendo bono honesto. Hoc sensu fortitudo non est virtus specialis, sed condicio cuiusque virtutis perfectae. Quaelibet enim virtus perfecta efficere debet, ut homo, qui possidet eam, firmo et constanti proposito in exercendis virtutis actibus etiam in adiunctis difficilibus perseveret.

b. Strictiore et proprio sensu definitur virtus moralis, quae hominem firmat in rebus difficilibus, praesertim vero in periculis mortis sustinendis vel repellendis.

Ex doctrina *s. Thomae* fortis simpliciter dici non potest, qui omnes quidem huius vitae molestias tolerat, mortem autem sustinere paratus non est.

250. Obiectum. 1. *a.* Obiectum *materiale* constituunt passiones timoris et audaciae in periculis et laboribus.

a. In rebus enim arduis et terribilibus aut exurgit in anima ingens *timor*, qui cohibendus est, ne compellat ad agendum contra rectam rationem, aut exurgit vehemens *audacia*, quae refrenanda est, ne temere in pericula ruat.

β. Fortitudo ergo appetitum irascibilem moderatur et regit secundum praescripta rationis. Quare fortitudo hominem ordinat ad semetipsum, non ad alterum.

b. Obiectum *formale* est naturalis honestas, quae in moderatione timoris et audaciae elucet: dignitati enim hominis quam maxime convenit, ne nimio timore deprimatur aut nimia audacia extollatur.

2. *Actus proprius* huius virtutis duplex est: *sustinere* gravia, qui actus exigit, ut reprimantur timores, et *aggredi* pericula, qui exigit, ut refrenetur audacia. Ille constituit fortitudinem *passivam*, haec fortitudinem *activam*; illa difficilior et praestantior est, haec splendidior apparet.

3. *Pericula*, circa quae versatur fortitudo, ea esse debent, quae honeste suscipi et sustineri possint, quodsi talia non sint, non habetur fortitudo, sed temeritas vel ferocia etc.

a. Primaria sunt pericula bellica, non solum communia, quae ad patriam et religionem defendendam iuste suscipiuntur, sed etiam privata, quae ab iniquis hominibus privata impugnatione iniuste inferuntur.

b. Secundaria sunt alia pericula sive mortis sive aliorum malorum e. g. mutilationis, flagellationis, exilii, morborum, vinculorum etc.

251. Vitia opposita. *Vitia* fortitudini opposita per *defectum* sunt intimitas et ignavia; et vitia ei opposita per *excessum* timiditas et temeritas.

a. Intimitas seu vacuitas timoris est vitium, quo deficitur in timendo: homo enim iusto timore vacuus non timet, quando est timendum, nec timet ea, quae timenda sunt.

b. Ignavia est vitium, quo deficitur in audendo: ignavus enim non audet aggredi pericula et difficultates, sicut et quando iusta ratio dictat.

c. *Timiditas* est vitium, quo exceditur in timendo: timidus enim timet, quod non debet timere vel quando non debet vel plus quam debet.

d. *Temeritas* vel audacia est vitium, quo exceditur in audendo: audax enim aggreditur pericula aut quando non expedit aut modo, quo non expedit.

252. Partes fortitudinis. 1. Fortitudo strictè talis *partes subiectivas* non habet: eius enim materia sunt mala seu pericula; iam vero in ordine naturae pericula sunt quidem diversa, in genere autem moris non sunt diversa, licet alia aliis maiora.

2. Partes *integrantes* fortitudinis sunt quatuor: *magnanimitas*, *magnificentia*, *patientia* et *perseverantia* seu constantia.

a. *Magnanimitas* est virtus inclinans ad opera magna et heroica in omni genere virtutum. Ei opponitur per defectum *pusillanimitas*, per excessum *praesumptio*, *ambitio* et *vana gloria*.

b. *Magnificentia* versatur circa res magnas et sumtuosas iuxta praescriptum rationis. Ei opponitur *parvificentia* per defectum et *nimia profusio* per excessum.

3. Eaedem quatuor virtutes sunt simul partes *potentiales* fortitudinis: nam illae virtutes considerari possunt etiam in aliis materiis minus difficilibus; iam vero in his materiis dicuntur partes potentiales fortitudinis, quia fortitudinem imitantur, quin eius perfectionem attingant.

De Martyrio.

253. Natura. 1. Nomine *martyrii* usu ecclesiastico intelligitur testimonium reale, ipsa nempe morte tolerata, datum fidei. Eodem nomine intelligitur etiam ipsa mors in testimonium fidei tolerata, ut cum dicimus aliquem martyrium subiisse.

a. In tractatu de baptismo *martyrium* consideratur, quatenus est *baptismus sanguinis*; in tractatu de vera religione, quatenus est *argumentum verae religionis*; in tractatu de virtutibus, quatenus est *actus fortitudinis*.

b. Licet martyrium proprie sit actus elicitus fortitudinis, ad verum tamen martyrium theologice acceptum non requiritur, ut martyr

ex ipso motivo fortitudinis seu ex honestate huius actus mortem subeat; sed id fieri potest ex motivo cuiuscunque virtutis christianae e. g. ex caritate, ex obedientia erga Deum, ad imitandum exemplum Christi, ad consequendam vitam aeternam vel etiam ad exercendam fortitudinem christianam.

2. Duplex distinguitur martyrrium, aliud *infantium*, quod consistit in morte ante usum rationis in odium fidei tolerata; aliud *adultorum*, quod consistit in voluntaria acceptatione et perpeitione mortis in testimonium verae fidei.

a. *Infantes* martyrii esse capaces nos docet ecclesia, quae innocentes pro Christo occisos ut veros martyres colit. Ad infantium martyrrium alia condicio non requiritur, nisi ut mors violenta in odium fidei eis inferatur. Hoc martyrrium ex speciali privilegio Christi supplet baptismum, sed neque actus virtutis est neque ullum meritum habet.

b. Ergo *adultus*, qui sine voluntaria acceptatione mortis ex im-proviso ab inimicis fidei occiditur, non est martyr: neque enim actum fortitudinis ponere nec testimonium dare potest nisi voluntaria mortis acceptatione.

254. Condiciones veri martyrii sunt: a. mors illata; b. mors in odium fidei illata; c. mors patienter tolerata. Hanc triplicem condicionem exigit ecclesia, ut aliquem tamquam martyrem colat¹⁾.

1. *Mors illata*: martyrrium enim natura sua est testimonium morte tolerata datum. Non requiritur, ut mors reipsa sequatur, sed sufficit, ut causa mortis inferatur, ex qua mors naturaliter sequi deberet, nisi divinitus impediretur.

a. Ideo inter martyrrium completum seu perfectum et martyrrium verum distinguitur. S. Ioannes apostolus verum subiit martyrrium, sed non completum.

b. Mors inferri potest non solum cruciatibus vel vulneribus sed etiam veneno, penuria aliisque gravibus molestiis.

c. Qui ex causa pia e. g. in servitio pestiferorum morte naturali moriuntur, non sunt vere martyres, etsi improprie martyres caritatis appellari soleant. Neque desiderium quamvis ardentissimum martyrii,

¹⁾ Cf. *Benedictus XIV.* De serv. Dei beatif. l. 3. c. 11.

neque cruciatus animi etsi vehementissimi ad verum martyrium sufficiunt. Quare etiam b. virgo Maria solum per similitudinem martyr est.

2. *Mors in odium fidei illata*: martyrium enim est testimonium Christo morte tolerata datum; sed mors non est testimonium Christo datum, nisi in odium Christi inferatur. Ideo s. Augustinus: *martyrem non poena sed causa facit*¹⁾.

Nomine autem *fidei* intelligitur non solum veritas fidei credenda, sed etiam quaevis virtus exercenda, quatenus a Deo praecipitur et commendatur. Etsi requiratur, ut mors vel tormenta in odium fidei inferantur, ratio martyrii tamen non tollitur eo, quod tyrannus titulum alium fingat, dummodo causa fidei vere concurrat.

a. Ex his patet non posse esse martyrem, qui non habet veram fidem, neque eum, qui moritur pro veritate philosophica, cum de ratione martyrii sit, ut quis moriatur pro vera fide vel pro virtute christiana. Quare si *haereticus sive formalis sive materialis* moreretur pro defensione articuli veri, quem credit, vel pro vera virtute, non esset martyr: verum enim martyrium est testimonium externum verae fidei; ipse vero exterius potius testimonium fert contra veram fidem.

b. Ideo virgines ob castitatem interemptae vere martyres sunt, sicut s. Ioannes baptista propter reprehensionem adulterii occisus vere martyr est.

3. *Mors patienter absque resistentia tolerata*: qui enim mortem inferenti resistit, non censetur mori ut testis Christi, sed ut miles ab hoste victus. Insuper martyr imitari debet Christum, qui passione et morte sua factus est exemplar martyrum; atqui Christus passus est absque resistentia.

Ideo milites in bello fidei etiam ex purissima intentione pugnantes et occumbentes ab ecclesia nunquam habiti sunt ut martyres: siquidem *martyr non repugnat*.

255. Debita dispositio ad consequendum effectum martyrii est status gratiae vel saltem *attritio de peccatis commissis*.

a. In eo, qui est in statu peccati, ad effectum martyrii consequendum requiri dolorem de peccatis commissis

¹⁾ Sermo 2. in ps. 34. n. 13.

patet: sine dolore enim non conceditur venia peccatorum ne quidem per sacramenta baptismi et poenitentiae, etsi primo et per se ad delenda peccata instituta sint, nedum ergo per martyrium.

b. Non requiri contritionem perfectam sed sufficere attritionem ex eo colligitur, quod effectus martyrii non habentur ex opere operantis, sed ex opere operato sicut in baptismo; sed ut baptismus producat iustitiam, sufficit dispositio attritionis; ergo sufficit etiam in martyrio. Insuper si attritio non sufficeret, nunquam martyrium ipsum deleret peccatum grave.

Ex hac condicione sequi videtur de salute multorum martyrum dubitari posse, quod est contra persuasionem ecclesiae, quae omnes salvos esse credit. — Verum praeterquam quod rarissime accidet, ut martyr non habeat saltem attritionem implicitam, ecclesia non colit ut sanctum nisi martyrem, quem scit sancte obiisse¹⁾.

256. Effectus martyrii. Martyrium est actus heroicus, cui ex voluntate Christi quaedam privilegia annexa sunt.

a. Primum et potissimum privilegium est, quod per se et quasi ex opere operato confert gratiam sanctificantem rite disposito et delet omnem poenam: nam uno ore docent ss. patres voluisse Christum, ut martyres in suo sanguine dealbarentur, sicut qui in aqua baptizantur²⁾. Ideo ecclesia nunquam pro martyribus orat sed eos statim post mortem colit et invocat, etsi ante baptismum necati fuerint. Ad confirmandam hanc doctrinam provocant ad verba Christi: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo.* Et iterum: *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam³⁾.* *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam⁴⁾.*

¹⁾ Cf. *Lessius* l. 3. c. 1. n. 50.

²⁾ Cf. *s. Augustin.* De civ. Dei l. 13. c. 7. Serm. 159. c. 1.

³⁾ *Matth.* 10, 32. 39.

⁴⁾ *Ioan.* 12, 25.

b. Praemio essentiali beatitudinis aeternae martyrium addit praemium accidentale scilicet *aureolam martyrum* propter insignem victoriam de mundo relatam.

Aureola conceditur ob excellentem victoriam de hoste in hac vita reportatam: sed triplex est hostis: *mundus, caro et diabolus*; ergo triplex est excellens victoria, cui aureola tribuitur: *martyrum*, qui mundum, *virginum*, quae carnem, et *doctorum*, qui diabolum vicerunt¹⁾.

Articulus quartus.

De temperantia.

257. Eius natura. 1. *Temperantia*, prout est *virtus cardinalis*, est virtus, quae moderatur appetitum in delectationibus gustus et tactus.

a. Temperantia in genere seu latiore sensu accepta appetitum *concupiscibilem* (etiam spiritualem) refrenat et moderatur in quacunque re contra praescripta rationis alliciente, praesertim quoad honores et voluptates; temperantia specialis appetitum concupiscibilem sensitivum quoad voluptates sensibiles gustus et tactus refrenat, quae, cum sint vehementissimae, indigent speciali virtute eas moderante.

b. Ergo etiam temperantia hominem non ad alterum ordinat, sed ad semetipsum.

2. Obiectum *materiale proximum* sunt delectationes gustus et tactus; obiectum *materiale remotum* sunt cibi et potus et actus venerei, ad quos illae delectationes tamquam ad earum obiectum referuntur. Obiectum *formale* est naturalis honestas, quae in eo consistit, quod illae actiones ea moderatione exercentur, quae dignitati naturae rationalis conveniat.

Temperantia ergo specialis versatur circa delectationes, quae percipiuntur in illis actionibus, quae natura sua ordinantur ad conservationem individui et speciei. Siquidem Deus actionibus necessariis, quibus genus humanum conservatur et propagatur, adiecit delectationes vehementes, quibus homines ad illas actiones invitarentur et allicerentur. Ex intentione igitur auctoris naturae nihil impedit, quominus homo in illis actionibus ponendis a delectatione moveatur eamque intendat modo finem primum, qui est conservatio et propagatio speciei, nec

¹⁾ S. Thomas. Suppl. q. 96. a. 1. c.

It moderates (1) love (2) gaudiums (3) delectations

explicite nec implicite excludat et in omnibus iuxta praescripta rationis se regi sinat.

258. Vitia opposita. Vitia temperantiae in genere opposita sunt duo: insensibilitas *per defectum* et intemperantia *per excessum*.

a. Insensibilitas seu stupor est vitium, quo quis ita fugit honores et voluptates, ut nolit eis uti, quando vel ubi vel quantum secundum rectam rationem oportet. Vitium rarissimum.

b. Intemperantia est vitium, quo quis in appetendis et fruendis honoribus et voluptatibus excedit dictamen rectae rationis.

259. Partes temperantiae. 1. *Partes integrales* temperantiae sunt verecundia et honestas.

a. Verecundia (Schamhaftigkeit) est quaedam animi perturbatio seu timor consurgens ex consideratione alicuius facti inferentis confusionem vel probrum. Eiusmodi facta maxime sunt peccata intemperantiae.

b. Honestas (Ehrbarkeit) est perfectio moralis avertens hominem ab inhonestis voluptatibus et inclinans ad decorem, qui in abstinentia ab illicitis voluptatibus resplendet.

2. *Partes subiectivae* temperantiae sunt abstinentia, sobrietas et castitas, quarum duae temperant gustum, tertia vero tactum.

a. Abstinentia est virtus moderans appetitum et usum cibi et potus non inebriantis, cui opponitur vitium *gulae*.

Abstinentia hoc sensu accepta saepius vocatur temperantia quam abstinentia, et nomine abstinentiae (Enthaltbarkeit) potius designatur alimentorum subtractio, quae maior est, quam ratio temperantiae per se postulat. Haec abstinentia ex motivo virtutis a licitis abstinet. Eius actus est *ieiunium*.

b. Sobrietas est virtus moderans appetitum et usum potus inebriativi, cui opponitur *ebrietas*.

c. Castitas est virtus moderans aut excludens appetitum et usum venereorum, cui opponitur *luxuria*.

3. *Partes potentiales* temperantiae sunt illae virtutes temperantiae annexae, quae operantur moderationem circa

violatio: abstinentiam ieiunium = intemperantia

materias, quas non ita difficile est moderari sicut concupiscentias gustus et tactus. Eiusmodi virtutes sunt quatuor: continentia, mansuetudo, clementia et modestia.

a. *Continentia* est virtus firmans voluntatem ad resistendum concupiscentiae, quae ad voluptates tactus praesertim venereas impellit.

Nomen *continentiae* etiam alio sensu accipitur, quo idem significat ac castitas, scilicet abstinentiam ab omni delectatione venerea.

b. *Mansuetudo* est virtus, quae moderatur iram iuxta praescriptum rectae rationis. Mansuetudini per excessum opponitur *iracundia*, per defectum lenitudo seu nimia indulgentia. *iniracundia*

c. *Clementia* est virtus, quae moderatur externam vindictam seu punitionem iuxta normam rationis. Clementiae per excessum opponitur *crudelitas*, per defectum *nimia lenitas*.

d. *Modestia* est virtus, qua quis servat modum sibi convenientem in motibus internis et externis et in omni rerum suarum apparatu. Modestiae sunt quatuor species: *humilitas*, *studiositas*, *modestia morum* et *modestia cultus*.



Liber sextus.

De peccatis¹⁾.

Quaestio prima.

De natura et divisione peccati.

260. Notio. *Peccatum* est actus humanus moraliter malus²⁾, et quoniam omnis actus moraliter malus in violatione legis divinae consistit, peccatum definiri solet libera transgressio legis Dei.

a. Libera, quae fiat ex praevia cognitione intellectus et cum consensu voluntatis: quod enim liberum non est, nullo modo in peccatum imputari potest. *Transgressio* significat quamcunque laesionem legis Dei sive commissione sive omissione, sive corde, ore aut opere fit. *Legis Dei*: peccatum enim supponit legem eamque in conscientia obligantem, sive immediate a Deo sive ab homine lata est: vis enim legis cuiuscunque in conscientia obligantis ultimo a lege Dei derivatur, ideo

¹⁾ *S. Thomas* I. II. q. 71—89. *S. Alphonsus* l. 5. n. 1—84. *Suarez*, De peccatis. *Lugo*. De poenitentia disp. 16. *Greg. de Valentia*, Commentar. scholast. II. disp. 6. *A. Tanner*, Theologia schol. II. disp. 4. *Billot*, Disquisitio de natura et ratione peccati personalis (Romae. Typogr. de prop. fide 1897). *Schiesl*, Der objective Unterschied zwischen Tod- und lässlicher Sünde (Augsburg, Wolff. 1891). *Lehmkuhl* I. n. 219—256. *Klentgen*, Theologie der Vorzeit² (Münster. Theissing. 1872) II. Von der Sünde S. 404 ff. *Pesch*, Praelectiones dogm. (Friburgi. Herder. 1900) IX. n. 429—556. *Idem*, Theologische Zeitfragen (Freiburg. Herder. 1901) Das Wesen der Todssünde S. 47 ff.

²⁾ *S. Thomas*. I. II. p. 71. a. 6.

s. scriptura ait: *peccatum est iniquitas* (ἀνομία¹⁾), et peccatum *praeviationem*²⁾ atque *inobedientiam*³⁾ appellat.

b. Peccatum differt ab *imperfectioe*. Tria genera imperfectionum distingui solent, quorum primum continet imperfectiones negativas, duo posteriora positivas et *morales*. α. Imperfectio dicitur defectus ulterioris perfectionis in actibus humanis e. g. amor Dei carens ea perfectione, quam habere posset: haec imperfectio omnibus actibus humanis natura sua inhaeret proindeque peccatum non est. β. Imperfectio dicitur transgressio indeliberata legis divinae minoris momenti e. g. involuntaria distractio in oratione, indeliberatus excessus in risu vel iocis: haec imperfectio est leve peccatum materiale, cum sit actio prorsus involuntaria. γ. Imperfectio dicitur actio vel omissio, quae adversatur consilio e. g. non obsecundare inspirationi divinae, violare statuta communitatis, non obedire dictamini rationis moventi ad moraliter meliora, omittere preces matutinas vel vespertinas etc. Imperfectiones istae, cum non sint contra legem Dei, per se non sunt peccata, attamen si deliberate committuntur, ratione motivi, propter quod consilium omittitur, raro erunt sine aliquo peccato sensualitatis, negligentiae, curiositatis, acediae etc. Etenim lex naturae vetat, ne homo in actionibus suis ex motivo irrationabili se determinet; si ergo motivum, ob quod consilium omittitur, est irrationabile, omissio peccatum est. Qui e. g. ex immoderato amore quietis corporalis omittit preces matutinas vel sacrum, absque dubio venialiter peccat (n. 76).

261. Condiciones ad peccatum requisitae. Tria igitur ad omne peccatum necessario requiruntur: a. *actio*, quae sit contra legem Dei, ideoque actio *mala*; b. *advertentia* mentis ad malitiam actionis et c. *consensus* voluntatis: verum enim peccatum est actio humana, quae sine advertentia mentis et consensu voluntatis non habetur.

1. *Advertentia* ad malitiam actionis debet esse *actualis*; non sufficit interpretativa, sufficit autem imperfecta atque confusa: peccatum enim est libera transgressio legis divinae: sed haberi nequit actualis transgressio libera, quin aliquo modo actu ad eam advertatur.

a. Attamen non requiritur: α. Ut advertentia *tandiu duret*, quamdiu durat actio peccaminosa, sed sufficit, ut adsit, quando actio mala inchoatur. β. Nec requiritur, ut sit *clara* et distincta, sed sufficit *con-*

¹⁾ 1. Ioan. 3, 4.

²⁾ Rom. 5, 14.

³⁾ Ibid. 5, 19.

fusa, qua aut indistincte aut dubitando et suspicando cognoscitur rem esse malam (n. 28. 35.) γ. Nec requiritur, ut sit *reflexa*, qua peccans sibi conscius sit advertentiae ad malitiam actionis, sed sufficit *directa*, quae in habituali et expedita peccati cognitione consistit. Sic sacerdos, qui contra castitatem peccat, vel religiosus, qui furtum committit, non excusatur a peccato sacrilegii, eo quod ad votum suum reflexe non attendat. δ. Nec requiritur explicita advertentia ad offensam Dei, sed satis est, ut peccans cognoscat rem esse malam seu esse contra conscientiam: eo ipso enim, quod hoc cognoscit, advertit etiam aliquo modo rem esse contrariam voluntati supremi legislatoris, quae per dictamen conscientiae nobis manifestatur; haec autem cognitio ad incurrendam Dei offensam sufficit.

b. Advertentia *interpretativa* ea dicitur, quam quis habere potuit et debuit, re ipsa autem ex involuntaria inconsideratione non habuit. — Ergo prorsus reiicienda est doctrina quorundam auctorum, qui censent in culpam imputari posse etiam illas actiones, quarum re ipsa nulla est advertentia, modo haec adesse *potnerit et debnerit*. Sic affirmant homicidii reum esse venatorem, qui simul atque aliquid inter dumeta latens apprehendit, nulla praemissa investigatione invincibiliter putans esse feram, explodit et hominem occidit: etsi enim, aiunt, ad periculum occidendi hominem non advertat, ad illud advertere tamen potuisset et debuisset. Hoc tum praesertim evenire docent, cum homo etiam advertens non aliter egisset. Ideo affirmant eum *in se* (non solum in causa) peccare, qui habens pravam consuetudinem peierandi ex subito animi motu prorsus inadvertenter falso iurat¹⁾.

2. Pari ratione actio nequit esse peccaminosa, nisi sit voluntaria vel in se vel saltem in causa; ergo nequit esse peccatum sine *consensu voluntatis*.

Qui ergo motus carnis vel stimulos passionum suarum, irae vel concupiscentiae experitur, quin consentiat, non peccat, siquidem *non nocet sensus, nisi adsit consensus*: a consensu videlicet voluntatis sedulo distingui debet tum tentatio, qua quis ad peccatum allicitur, tum sensus delectationis, tum propensio naturalis appetitus sensitivi vel voluntatis in rem malam, tum denique deliberatio mentis motiva peccandi vel non peccandi hinc inde perpendentis, quae omnia ipsum consensum peccaminosum praecedunt. Quod docent verba s. scripturae originem peccati exhibentis: *Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem²⁾*.

¹⁾ Huius sententiae patroni sunt potissimum rigoristae *Concina, Collet, Antoine* etc., quos allegat et refellit *S. Alphonsus* n. 4.

²⁾ Iac. 1, 14. 15.

262. Ergo nullum est peccatum philosophicum, quod simul non sit *theologicum*, i. e. in hoc ordine rerum nulla est actio moraliter mala, quae non sit offensa Dei: quia impossibile est hominem ratione perfecte utentem Deum sine culpa ignorare et in actionibus suis ad Deum supremum legislatorem ne in confuso quidem advertere.

α. Erant, qui affirmarent dari posse actiones moraliter malas, quae sint contra rectam rationem, quia sunt contra dictamen conscientiae, quin tamen sint offensae Dei, quia non cognoscantur esse contra legem Dei, in iis nempe, qui vel Deum ignorent vel de Deo eiusque lege, dum peccant, non cogitent. Horum doctrina ab ecclesia damnata est ut erronea¹⁾.

β. Sane, peccatum philosophicum dicitur actio, quae sit et cognoscatur esse contra rectam rationem; peccatum theologicum autem actio, quae sit et cognoscatur esse contra voluntatem Dei; iam vero qui per dictamen conscientiae cognoscit aliquid esse contra rectam rationem, eo ipso in confuso et implicite, attamen actualiter cognoscit etiam illud esse contra voluntatem Dei; ergo nulla est actio, quae per dictamen conscientiae cognoscatur esse contra rectam rationem, quin simul confuse cognoscatur esse contra voluntatem Dei adeoque offensa Dei. Nam in hoc ordine providentiae fieri non potest, ut quis invincibiliter ignoret Deum, vel cognoscat aliquam actionem esse moraliter malam, quin simul saltem confuse cognoscat eam esse contra legem Dei, quia per conscientiam supremus legislator homini se manifestat; ergo in hoc ordine non est actio moraliter mala, quae non sit offensa Dei, id quod manifesto colligitur ex epistola s. Pauli ad Romanos²⁾.

263. Divisio peccati. Peccatum multipliciter dividitur.

^{*}
¹⁾ Damnata est ut erronea haec propositio (2) ab *Alexandro VIII.* „*Peccatum philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei neque aeterna poena dignum . . .*“ His non proscribitur sententia eorum, qui hypothetice docent, si quis reipsa invincibili Dei ignorantia laboraret et de Deo invincibiliter ne implicite quidem cogitaret, dum actionem peragit, quam tamen advertit esse naturae rationali disconvenientem, non committeret Dei offensam, quia impossibile est Deum offendi, quin aliquo modo cognoscatur. Cf. *Viva* in hanc propositionem.

²⁾ Cf. 1, 18 ss. 2, 5 ss.

* That those who say that a mortal sin against conscience is not deserving of eternal punishment.

1. In *originale*, quod Adami voluntate commissum in posteros per generationem transfunditur, et *personale*, quod propria cuiusque hominis voluntate committitur.

2. In *actuale*, quod est actio vel omissio contra legem Dei, et *habituale*, quod est effectus ex peccato actuali in anima relictus et vocari solet *status peccati*. Quae sequuntur divisiones ad peccatum actuale pertinent.

3. In peccatum *commissionis*, quod est positio actionis prohibitaе contra praeceptum negativum ut furtum, et *omissionis*, quod est omissio actionis praescriptae contra praeceptum affirmativum ut omissio sacri.

Num peccatum omissionis fieri possit sine actu positivo voluntatis, est quaestio antiquitus quidem multum disputata, quae tamen practicum momentum non habet (n. 32).

4. In *externum*, quod verbo vel facto aliquo exteriori, et *internum*, quod sola mente et corde committitur; unde peccata etiam distinguuntur in peccata cordis, oris et operis.

Sunt peccata, quae interius solo corde perficiuntur ut haeresis, odium. Haec peccata in sua specie completa sunt, etsi exterius non manifestentur. Sunt alia peccata, quae non sunt in sua specie perfecta, nisi exterius opere consummentur ut sacrilegium, furtum, homicidium, fornicatio. In his peccatum internum e. g. propositum furandi ad externum se habet ut incompletum ad peccatum in sua specie completum. In utroque casu peccatum internum et externum ad eandem speciem obiectivam pertinent; dicuntur autem specie (entitative) ab invicem differre, quia modus peccandi solum interne vel etiam externe essentialiter diversus et in confessione distincte declarandus est.

5. In peccatum *contra Deum*, quod est contra virtutes, quarum obiectum est ipse Deus ut blasphemia; *contra proximum*, quod est contra virtutes, quae respiciunt proximum ut furtum; *contra se ipsum* quod est contra virtutes, quae proprias passiones moderantur ut ebrietas et luxuria.

6. In peccatum *ignorantiae*, quod ex culpabili ignorantia; *infirmittatis*, quod ex vehementi tentatione seu ex impetu passionis; et *malitiae*, quod solum ex mala et perversa voluntate procedit, quin ignorantia vel tentatio illud aliquatenus excuset.

7. In *mortale*, quod animam gratia sanctificante ideoque vita supernaturali privat, et *veniale*, quod animam gratia sanctificante et vita supernaturali non privat.

8. In *materiale*, quod est transgressio legis involuntaria ideoque ad culpam non imputabilis, et *formale*, quod est transgressio legis voluntaria ideoque imputabilis ad culpam.

9. In *carnale*, quod consistit in delectatione inordinata carnis ut gula, ebrietas, luxuria, et *spirituale*, quod consistit in delectatione inordinata mentis ut odium, superbia, invidia, avaritia¹).

Quaestio secunda.

De distinctione peccatorum.

Triples *distinctio* peccatorum notanda est: theologica, specifica et numerica. Peccata *theologicè* differunt ex aver-^{de mortal + ven}sione seu recessu a fine ultimo, *specificè* ex obieto morali,^{de mortal + ven} in quod humana voluntas fertur, *numericè* ex morali multiplicitate actuum et obiectorum. Sed haec iam accuratius exponenda sunt.

Articulus primus.

De distinctione peccatorum theologica.

264. Peccatum mortale et veniale. Distinctio theologica ex peccatorum natura essentialiter diversa desumitur;

¹ Non eodem sensu *opera carnis* intelligit s. Paulus, quippe qui etiam idololatriam, iram, inimicitiam etc. inter opera carnis recenseat (Gal. 5, 19 ss.). Ipse nomine *carnis* potius intelligit naturam humanam peccato originali corruptam et in peccata propensam. Cf. Gal. 5, 13. 16; 1. Cor. 3, 3.

quare theologice peccata distinguuntur in *mortalia* et *venialia*. Essentialiter diversa haec peccata dicuntur, quia peccato mortali convenit malitia, quae in peccato veniali non reperitur: illius enim malitia in aversione a Deo consistit, quae non inest peccato veniali.

Theologica haec distinctio nuncupatur, quia oritur ex consideratione peccati, qua hoc ad Deum refertur: per peccatum enim mortale homo a Deo avertitur, per peccatum autem veniale a Deo non avertitur. Quare haec duo peccata toto genere ab invicem differunt.

2. Peccatum mortale legem divinam transgreditur in *re gravi*, peccatum veniale eam transgreditur in *re levi*.

a. Lex divina eo tendit, ut servetur ordo moralis. Ad hunc finem obtinendum lex non ea tantum exigit, sine quibus perturbaretur ordo moralis, sed ea quoque, quae ad eius perfectionem pertinent. Violatio legis, quae ad servandam essentiam ordinis necessaria est, peccatum mortale constituit; violatio legis, qua integro manente ipso ordine morali sola eius perfectio laeditur, peccatum veniale constituit.

b. Cum ordo moralis tribus relationibus essentialibus componatur, quibus homo refertur ad Deum, ad seipsum et ad alias creaturas, lex divina necessario prohibet ea, quae, si licita essent, subverterent hominis relationem essentialem ad Deum, ut est blasphemia, periurium, sacrilegium, vel relationem essentialem ad seipsum, ut est ebrietas, mollities, vel relationem essentialem ad alias creaturas, ut est homicidium, furtum, adulterium.

c. Perfectio ordinis moralis exigit, ut omnes hominis actiones ordinatae sint ad Deum finem ultimum; actiones ergo, quae essentialem ordinem non pervertunt, sed non ad Deum ordinatae sunt, erunt peccata venialia. Atqui tripliciter fieri potest, ut actio aliqua nullam ad Deum relationem habeat, quin tamen ordinem moralem essentialiter perturbet: *ex ipso obiecto*, quod natura sua eiusmodi est, ut ordinem subvertere non possit, ut mendacium non nocivum, voluntaria distractio in oratione; *ex parvitate materiae*: quandoque enim actio, quae ex se ordinem moralem subverteret, ad eum subvertendum apta non est, quia circa rem parvi momenti versatur, ut furtum exiguum; *ex imperfectione actus*: etenim ut actio moralis ordinem perturbet, perfecte humana esse debet.

d. Ergo vere dicitur *duo esse genera peccatorum venialium*: α. alia venialia sunt *ratione materiae*; β. alia venialia sunt *ratione imperfectionis actus*. Priore genere comprehenduntur peccata, quae ex ipso obiecto et quae ex parvitate materiae venialia sunt.

3. Cum *offensa* in eo consistat, quod aliquid agatur contra alterius voluntatem, et *iniuria* in eo, quod aliquid

fiat contra alterius ius, omne peccatum tum mortale tum veniale, quippe quod sit contra voluntatem supremi legislatoris, natura sua *offensa et iniuria est Deo irrogata.*

§ 1. *De peccato mortali.*

265. Existentia et essentia. 1. Peccata *mortalia* ex effectu essentiali ea dicuntur, quae mortem animae afferunt et poena aeterna per se digna sunt. Iam vero *esse* peccata mortalia ex multis s. scripturae testimoniis liquet: *Stipendium peccati mors*¹⁾; *si secundum carnem vixeritis, moriemini*²⁾; *peccatum vero cum consummatum fuerit generat mortem*³⁾; teste s. Paulo sunt peccata, quae a regno Dei excludunt: *neque fornicarii etc. regnum Dei possidebunt*⁴⁾.

2. Peccatum mortale ex effectu essentiali, quem producit, denominari ac definiri solet, sed ad eius *essentiam* declarandam considerari debet tamquam *aversio a Deo*, *fine ultimo*: quodvis enim peccatum mortale natura sua est *aversio* et defectio a Deo, fine ultimo. Et sane quoties homo legem Dei in re gravi transgreditur, apprehendit id fieri non posse, quin Deum amittat poenamque aeternam mereatur, sed nihilo minus eligit praevaricationem; deliberate ergo a Deo recedit, ut aliud bonum creatum amplectatur.

Dupliciter homo se avertere potest a Deo, fine suo: *explicite* et formaliter, quod fit in peccato odii Dei; *implicite* et virtualiter, quando explicite quidem solum se convertit ad creaturam et nollet averti a Deo; hoc ipso tamen, quod deliberate eligit peccatum, cognoscens illud repugnare Deo, implicite et virtualiter eligit etiam aversionem a Deo.

266. Effectus peccati mortalis. 1. *Amissio gratiae sanctificantis.* Homo iustus ad Deum, finem supernaturalem, habitualiter conversus est per gratiam sanctificantem;

¹⁾ Rom. 6, 23.

²⁾ Rom. 8, 13.

³⁾ Iac. 1, 15.

⁴⁾ 1. Cor. 6, 9 s.

eo ipso igitur, quod a Deo se avertit, amittit *gratiam sanctificantem*, quam amissionem consequitur *amissio virtutum infusarum et donorum*, quae veluti ornamenta gratiam sanctificantem comitantur.

Attamen habitus infusi *fidei et spei* non per quodvis peccatum mortale destruuntur, id quod constat ex concilio tridentino¹⁾ et suo loco dicetur.

2. *Reatus culpae*. Cum quodvis peccatum sit offensa et iniuria Deo illata, homo per peccatum fit reus subeundi iustam indignationem Dei, quae tamdiu durat, donec homo pro irrogata offensa debitam satisfactionem praestiterit. Iam vero in necessitate ferendi iustam indignationem Dei *reatus culpae* consistit.

3. *Reatus poenae* est necessitas subeundi poenam. Poenae autem propter peccatum inflictae vel infligendae sunt duplicis generis: aliae pertinent *ad vitam praesentem*, aliae ad vitam *futuram*. Illae ex misericordia Dei procedunt et omnes medicinales sunt, quia omnes eo tendunt, ut homines vel a peccatis ad Deum convertant vel a peccando absterreant. Hae ex Dei iustitia procedunt et omnes vindicativae sunt, quia unice eo tendunt, ut violatio ordinis vindicetur.

a. *Culpae debetur poena*: quia nempe homo peccando propriae indulgens voluntati egit contra voluntatem Dei, contra suam voluntatem ex voluntate Dei aliquid pati debet. Peccato mortali quidem debetur poena aeterna, peccato veniali autem poena temporalis.

b. *Poenae vitae futurae* dividitur in poenam damni et poenam sensus. Utriusque discrimen in eo consistit, quod *poena damni* in mera privatione consistat et respondeat peccato, prout est aversio a summo bono: *poena sensus* vero in positivo dolore consistit et respondet peccato, prout est conversio ad bonum finitum et creatum. Quia homo summum bonum suamque beatitudinem peccando cum iniuria Dei abiecit, Deus illum hoc bono in altera vita privat; et quia peccando inordinate delectationem quaesivit, Deus loco delectationis dolores infligit. Utamque poenam s. scriptura innuit: *Discedite a me* (poena damni) *in ignem aeternum* (poena sensus)²⁾.

¹⁾ Sess. 6. can. 28. Cf. 1. Cor. 13, 2; Iac. 2, 14.

²⁾ Matth. 25, 41.

4. *Amissio omnium meritorum, impossibilitas nova merita acquirendi et specialis indignitas obtinendi gratias actuales.*

267. De peccato habituali. *Peccatum habituale est peccatum, quod ex quovis peccato mortali in anima remanet; illud autem, quod ex actu peccati in anima remanet, est: a. habitualis aversio a Deo; b. reatus culpa; c. voluntaria privatio gratiae sanctificantis; quare in his peccatum habituale consistit.*

1. A peccato actuali distinguendum esse peccatum habituale patet:

a. Homo dicitur peccator etiam actione mala iam diu peracta; sed ex solo actu peccandi non posset dici peccator, nisi ab actu aliquid relinqueretur in anima.

b. Idem innuit multis in locis *s. scriptura: Et scitis, quia ille apparuit, ut tolleret peccata nostra*¹⁾; sed non actus malus, qui iam transiit, verum peccatum, quod ad modum habitus animae inhaeret, postea tollitur. *A peccato meo munda me*²⁾; non ab actu peccati iam transacto, sed a peccato adhuc in anima haerente propheta mundari postulat. *Et dimitte nobis debita nostra*³⁾; solum peccata habitualia ex actualibus contracta vocari possunt *debita*.

2. Essentia seu formalis ratio peccati habitualis consistit in *habituali aversione a Deo, fine ultimo*, quae post actum peccati manet: manet enim homo a Deo aversus, donec per conversionem ad Deum redeat. Sed etiam offensa et iniuria Deo illata manet homini imputabilis, donec remissa sit; quare peccatum habituale recte consistere dicitur in *reatu culpa*, quo homini post peccatum incumbit necessitas habendi Deum offensum eiusque indignationem ferendi. Quia in hoc ordine supernaturali conversio ad Deum, finem ultimum, consistit in gratia sanctificante, ideoque aversio a fine ultimo in voluntaria privatione gratiae sanctificantis, quae voluntaria privatio usque ad conversionem manet, peccatum habituale etiam consistere dicitur in *voluntaria privatione gratiae sanctificantis*.

3. Peccatum mortale inducit *maculam* in animam: *Usque in praesentem diem macula huius sceleris in nobis permanet*⁴⁾. Macula a peccato mortali in anima relicta in praesenti ordine consistit

¹⁾ 1. Ioan 3, 5.

²⁾ Ps. 50, 4.

³⁾ Matth. 6, 12.

⁴⁾ Ios. 22, 17. Cf. Ier. 2, 22; Ephes. 5, 27.

in privatione gratiae sanctificantis, qua destituta anima nitore et pulchritudine coram Deo caret.

268. Condiciones ad peccatum mortale requisitae.

Tria ad peccatum grave constituendum necessario requiruntur: *materia gravis, plena advertentia et consensus plenus*: peccatum enim mortale est actus moralis perfectus contra legem sub gravi obligantem; sed nequit esse actus moralis perfectus, nisi elementa actus moralis, advertentia et consensus, sint perfecta; neque obligatio potest esse gravis, nisi eius materia sit gravis.

1. *Gravis materia* vel ratione obiecti vel ratione circumstantiarum. Iam quaeritur, in quibus peccatis detur parvitas materiae.

a. Nulla datur parvitas materiae in illis peccatis, quibus directe laeditur perfectio divina vel bonum quodcumque magnum et indivisibile: in his enim gravis malitia etiam in materia levissima reperitur.

Ideo peccata contra virtutes theologicas, peccata blasphemiae, simoniae (iuris divini), periurii, divinationis non admittunt parvitatem materiae, quia directe laedunt perfectionem divinam. — Item peccata, quibus destruitur vita hominis vel irritatur sacramentum vel laeditur sigillum sacramentale vel ieiunium naturale non admittunt parvitatem materiae, quia laedunt bonum magnum et indivisibile vitae, valoris sacramentorum, reverentiae sacramentis debitae.

b. Dari potest parvitas materiae in illis peccatis, quibus laeditur bonum finitum divisibile: in his enim cum materia etiam malitia adeo decrescere potest, ut non amplius censeatur gravis ut in furto oboli.

a. Ideo peccata contra cultum Deo debitum admittunt parvitatem materiae, quia cultus, quem nos Deo exhibemus, bonum est finitum et divisibile, quod pro ratione materiae maius et minus esse potest. — Item peccata sacrilegii realis et localis, quia sanctitas rei vel loci bonum finitum et divisibile est et ideo maius vel minus pro ratione materiae¹⁾.

β. Magna vel parva materia prudenti iudicio determinanda est, ad quod iudicium formandum haec tria considerari debent: α. res ipsa

¹⁾ *Sporer-Bierbaum*, Theologia mor. decal. et sacram. I. tract. I. n. 272 ss.

secundum se, num sit aliquid magnum vel parvum; β . res in comparatione ad totum, quod praecipitur, utrum sit notabilis necne; γ . res in ordine ad finem praecepti, num eius omissio fini per praeceptum intento multum vel parum detrahat. Normae instiar statui potest quartam partem materiae peccati mortalis esse notabilem, partem vero quartâ minorem ex parvitate materiae esse venialem, nisi secundum se vel ratione finis intenti dicenda sit notabilis.

269. 2. *Plena advertentia.* a. Requiritur *advertentia* ad *gravem* obligationem, scilicet cognosci debet actum esse contra legem graviter obligantem, sanctionem autem legis graviter obligantis consistere in amissione Dei, summi boni; qui non obstante hac cognitione legem transgreditur, a fine ultimo excidit. WB

b. Haec *advertentia* debet esse *plena*, non sufficit semiplena, at non requiritur, ut sit clara et distincta, sed sufficit confusa gravis obligationis cognitio (n. 28. 35).

c. Si *advertentia* plena est, etiam consensus voluntatis plenus et perfectus est; et si *advertentia* semiplena est, etiam consensus voluntatis necessario est semiplenus et imperfectus: omnis enim actus humanus perfecte humanus est, nisi usus rationis impediatur.

d. *Signa semiplenae advertentiae sunt:*

a. Si quis alia re occupatus et distractus obiter et tenuiter tantum apprehendit rem esse malam, vel si ad peccatum parum attendit.

β . Si quis semidormiens vel semiebrius vel semidelirus vel rationis nondum perfecte compos est.

γ . Si quis vehementi passione vel aliqua mania turbatus est.

δ . Si quis immediate post factum vix recordatur, quid egerit.

e. Si quis post factum rem melius perpendens indicat se id facturum non fuisse, si melius apprehendisset.

Qui cognoscit quidem se male agere, sed nil prorsus cogitat, utrum res gravis an levis sit, venialiter tantum peccat: nam a. non peccat graviter, quia gravem obligationem nullo modo apprehendit; b. eo ipso, quod rem non apprehendit ut gravem, in levi sistere censetur, nisi res ita certe gravis sit, ut gravis malitia eum latere non possit.

Qui dubitat, utrum aliquid grave an leve sit, et dubio nondum deposito agit, graviter peccat, quia deliberate se exponit periculo Deum graviter offendendi: cognoscit enim actionem suam fortasse Deum graviter offendere et nihilominus ab ea non abstinet.

270. 3. *Plenus consensus.* a. Ad consensum plenum et perfectum non requiritur immunitas a passione vel metu: nam solum illa passio plenum consensum excludit, quae perfectam deliberationem impedit.

b. *Signa semipleni consensus:*

α. Qui habitualiter abhorret a gravi peccato, immo firmum habet propositum potius mori quam peccare mortaliter, praesumendus est non plene consensisse.

β. Qui peccatum exterius facile exequi potuisset et nihilominus a peccato abstinuit, censendus est interius non plene consensisse.

γ. Qui reflectens ad id, quod egit, statim angitur et tristatur et a pravis cogitationibus et desideriis se avertit, pariter non plene consensum dedit.

δ. Qui dubitat, num consenserit, praesumendus est non consensisse, si timoratae conscientiae sit.

Quale peccatum committat. qui deliberat de peccato committendo. Qui cognita gravi actionis malitia deliberat i. e. serio expendit, num Deum graviter offendere velit an non, graviter peccat: voluntas enim ita affecta est, ut etiam ad offensam Dei parata sit. Saepe tamen in eiusmodi deliberationibus deerit plena advertentia ad gravem actionis malitiam, vel saltem post factum res dubia manebit, num plena advertentia adfuerit.

Nota. Ex signis pleni ac semipleni consensus colligitur, quid confessarius interrogare debeat, ut cognoscat, num in dubio de consensu grave peccatum commissum fuerit. Haud raro confessarius de gravitate peccati a poenitente commissi certum iudicium formare non poterit, adeo ut res Dei iudicio relinquenda sit.

§ 2. De peccato veniali.

271. Existentia peccati venialis. Esse peccata venialia, quae, sive a peccatoribus sive a iustis committuntur, natura sua poenam aeternam non merentur, constat ex s. scriptura et hac propositione (20. inter baianas) damnata: *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.*

a. Sunt peccata, quae teste scriptura non afferunt mortem animae nec aeterna poena digna sunt, sed simul cum statu gratiae existunt *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum et non peccet*¹⁾; si

¹⁾ Eccl. 7, 21.

*dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est*¹⁾; *in multis enim offendimus omnes*²⁾; atqui peccata, quae iustitiam non excludunt, non possunt esse nisi venialia.

b. Textu, qui habetur 1. Cor. 3, 11—15., theologi utuntur ad demonstrandam existentiam peccatorum venialium: super fundamentum fidei caritate formatae fideles vel opera bona (aurum, argentum, lapides pretiosos) ponunt vel opera mala (ligna, foenum, stipulam): haec opera mala non sunt peccata mortalia: nam fundamentum fidei et caritatis per ea non destruitur; insuper, qui ea superaedificat, salvus erit, etsi per ignem; ergo sunt peccata venialia³⁾. Quodsi concedendum sit hoc loco sermonem non esse de fidelibus et de peccatis venialibus, sed de doctoribus et de doctrina vana et inutili, quam praedicant, nihilominus ex eo colligitur existentia peccati venialis: illi enim doctores non damnantur, sed tamen poenam dabunt temporalem; ergo peccarunt, sed venialiter tantum⁴⁾.

272. Essentia peccati venialis in eo consistit, a. quod est actio, quae in Deum, finem ultimum, non est referibilis, cum ordini morali Deique voluntati repugnet; b. quod a Deo, fine ultimo, non avertit quidem, sed eius assecutionem impedit atque retardat.

a. Qui peccatum veniale committit, apprehendit actionem, quam patraturus est, esse quidem contra voluntatem Dei eique displicere, at eius amicitia non privare nec poenam aeternam mereri, sed solum temporalem, eamque nullo modo facturus esset, si per eam a fine ultimo excideret. Retinet ergo essentialem et necessariam relationem ad finem ultimum, sed ponit actionem, quae ad finem ultimum non conducit et quam expiare debet, antequam ad finem suum reipsa perveniat.

b. *Venialia* dicuntur, non quia veniam accipiunt: hoc enim per misericordiam Dei etiam mortalibus convenit, sed quia natura sua veniam accipere possunt, et si sola manent, veniam accipere debent: mortalia econtra considerata eorum natura non sunt remissibilia. Mortalia enim gratiam destruunt et poena aeterna digna sunt; venialia vero gratiam non destruunt et solum poena temporali digna sunt; unde fit, ut homo pro his satisfacere possit, pro illis per se non possit.

1) 1. Ioan. 1, 8.

2) Iac. 3, 2.

3) Cf. Concilium trid. sess. 6. c. II.

4) Cf. *Cornely*, Commentarius in s. Pauli Ap. epistolas (Parisiis. Lethielleux. 1890) II. p. 82 ss.

c. Est doctrina s. *Thomae* peccatum veniale non esse contra, sed *praeter legem Dei*¹⁾. Quod ut rite intelligatur, notandum est peccatum duplici modo contra legem esse posse: vel solum contra aliquod praeceptum legis, vel contra praeceptum et finem legis. Priore sensu tum peccatum mortale tum veniale contra legem est; altero autem sensu solum peccatum mortale contra legem Dei est, quia ipsum solum extinguit caritatem, quae est finis legis. Veniale autem [peccatum, quippe quod caritatem non extinguat, non contra, sed praeter legem Dei esse dicitur.

273. Effectus peccati venialis negative et positive considerari possunt.

1. *Negative.* a. Peccatum veniale *gratiam sanctificantem non extinguit*: etenim si eam extinguere posset, aut ultimum veniale fieret mortale, aut ex multis venialibus exurgeret mortale; quae cum repugnantiam contineant, peccatum veniale, utcumque quoad gradum vel numerum crescat, gratiam sanctificantem auferre nequit.

b. *Neque eam minuit*: etenim si peccatum veniale vim haberet minuendi gratiam sanctificantem, multiplicatis venialibus gratia tandem penitus extingueretur, quod per venialia fieri nequit.

Quoniam vero cum gratia sanctificante *caritas habitualis, virtutes infusae et dona Spiritus sancti* indissolubili nexu cohaerent, adeo ut non solum una cum gratia acquirantur et amittantur, sed etiam augeantur, patet neque ista per peccatum veniale ullatenus minui. Tandem nec *merita* iam acquisita nec *gloriam* eis convenientem peccatum veniale ullo modo diminuit.

c. *Neque maculam in animam inducit*: cum enim macula peccati in privatione gratiae sanctificantis consistat, peccatum veniale, quod gratiam nec aufert nec minuit, maculam causare non potest. Quare si etiam peccatum veniale macula animae dicitur et pulveri ac sordibus comparatur, quae vultui hominis aspersa eius pulchritudinem deturpant, id non de detrimento gratiae per peccatum veniale causato, sed vel de reatu culpa vel de reatu poenae intelligendum est.

¹⁾ De malo q. 7. a. 1. ad 1.

2. *Positive.* a. *Imminuit fervorem caritatis.* Fervore caritatis designatur non solum promptitudo et facilitas eliciendi actus ferventes caritatis, sed etiam promptitudo et facilitas exercendi actus cuiuscunque virtutis plus minusve intensos: per actus enim virtutum fervet caritas in homine iusto. Iam vero cum peccatum veniale impediatur et imminuat exercitium virtutum, eo ipso imminuit fervorem caritatis; et cum fervori opponatur tepiditas, peccatum veniale dicitur *inducere tepiditatem.*

b. *Inducit reatum culpae:* nam etiam peccatum veniale Deo praebebat iustam causam displicentiae et indignationis, quae tamen amicitiam divinam non solvit.

c. *Inducit reatum poenae,* non quidem damni, quae respondet peccato, prout est aversio a Deo, sed solum poenam sensus in purgatorio luendam.

d. *Ad peccatum mortale paulatim disponit,* eo quod virtutes *acquisitas* debilitat, motus concupiscentiae magis excitat ac tandem efficit, ut Deus graviores tentationes permittat et gratias actuales rarius concedat.

274. Condiciones peccati venialis. Etiam ad peccatum veniale constituendum tria requiruntur: a. *materia* aliqua saltem levis, seu lex saltem sub levi obligans; b. *advertentia mentis* saltem semiplena ad malitiam actionis; c. *consensus voluntatis* saltem semiplenus in malitiam actionis.

a. Peccata, quae cum semiplena advertentia et semipleno consensu committuntur, peccata *semideliberata* dici solent, quae ergo etiam in materia gravi *ex imperfectione actus* venialia sunt.

β. Peccata *indeliberata*, si haec vox stricte accipiatur, vera peccata esse non possunt; quodsi tamen ratio peccati eis tribuitur, ita concipi debent, „ut ipsa actio, quae peccatum denominetur, in se cum nulla advertentia facta sit (ut distractio in oratione), sed ex praecedenti aliqua negligentia prodierit“, adeo ut actio non in se, sed in causa peccatum sit¹⁾.

¹⁾ *Lehmkuhl* I. n. 221.

Articulus secundus.

De distinctione specifica.

275. Declarationes. 1. Esse peccata specificè distincta, certum est ex praecepto Christi, quo iubemur peccata in specie infima confiteri. Ex hoc praecepto simul momentum practicum huius quaestionis intelligitur: eo enim tota dirigitur, ut confessarius iuvare possit poenitentem in instituenda confessione peccatorum mortalium secundum speciem et numerum.

Peccatum dupliciter considerari potest, primo prout est *actus* humanus, et deinde prout est actus humanus *malus*, qui consistit in privatione seu caret debita forma; sed quocunque modo consideretur, patet esse peccata specificè diversa. Et sane non solum obiecta peccatorum, sed etiam formae, quibus carent actus mali, essentialiter diversae sunt: formae enim, quibus carent actus peccaminosi, sunt virtutes oppositae vel relationes convenientiae cum praeceptis, quae laeduntur. Sed cum actus specificentur ab obiectis et privationes speciem accipiant a formis, quibus opponuntur, patet actus humanos moraliter malos seu peccata esse specificè diversa.

2. Iam quaeritur, quaenam sit norma, secundum quam peccata specificè distinguantur. Non omnes eandem normam assignant.

a. S. Thomas specificam distinctionem repetit ex peccatorum obiectis formaliter diversis: *ea peccata specificè differunt, quae versantur circa obiecta formaliter diversa: actus enim humani speciem suam accipiunt ab obiecto*¹⁾.

b. Scotus eam desumit ex virtutibus diversis, quibus peccata opponuntur: *ea peccata specificè differunt, quae opponuntur diversis virtutibus: privatio enim speciem accipit a forma opposita, quae in hoc casu est virtus*²⁾.

c. Vasquez eam desumit ex legibus diversis, quibus peccata adversantur: *ea peccata specificè differunt, quae opponuntur praeceptis moraliter diversis: peccatum enim*

¹⁾ *Summa* I. II. q. 72. a. 1.

²⁾ In 2. dist. 37. q. 1. n. 9.

consistit in privatione convenientiae cum praecepto, quod per peccatum violatur¹⁾).

Tres istae normae specificè distinguendi peccata reipsa ab invicem non differunt, sed alia aliam explicat et perficit: virtutes enim sunt diversae, prout earum obiecta diversa sunt, et leges sunt diversae, prout diversas virtutes respiciunt; ideo recte dici potest: peccata proxime distinctionem specificam accipiunt a virtutibus vel a praeceptis, quibus opponuntur, remote ab obiectis, ad quae referuntur. Et sane odium proximi et furtum sunt peccata specificè distincta, vel quia versantur circa obiecta moraliter diversa, nempe personam proximi et bona proximi, vel quia opponuntur virtutibus essentialiter diversis, nempe caritati et iustitiae, vel quia adversantur praeceptis formaliter diversis, nempe praecepto caritatis et septimo decalogi praecepto.

276. Norma ex virtutibus desumpta. Quoniam autem normarum istarum facilior est illa, quam proponit Scotus, eam enucleatius exponam.

Ceterum regulae sequentes generales tantum normas specificè distinguendi peccata suppeditant; quaenam autem peccata in particulari opponantur virtutibus specificè diversis, infra exponendum erit, ubi de praeceptis sermo est.

1. Illa peccata sunt specificè diversa, quae opponuntur *virtutibus diversis*.

a. Ergo haeresis, desperatio et odium Dei sunt peccata specie obiectiva diversa, quia sunt contra tres virtutes theologicas inter se diversas; periurium, furtum et mendacium sunt specificè diversa, quia opponuntur virtutibus diversis, nempe religioni, iustitiae et veracitati.

b. Si unus actus est contra plures virtutes specie diversas, plura pariter peccata specie diversa in se continet, sic occisio sacerdotis duo peccata continet, alterum contra iustitiam, alterum contra religionem; et peccatum carnale sacerdotis cum consanguinea coniugata quatuor peccata continet, contra castitatem, religionem, iustitiam et pietatem. *† can.*

2. Illa peccata sunt specificè diversa, quae eidem virtuti moraliter *diverso modo* opponuntur: quandoque enim obiectum virtutis adeo universale est, ut in se contineat plura obiecta in morali aestimatione diversa, ideo etiam praecepta diversa eiusdem virtutis existunt. Sic obiectum iustitiae est moraliter diversum, prout diversa sunt bona proximi, scilicet vita, fama, honor vel divitiae;

¹⁾ Disputationum in I. II. s. Thomae disp. 98. c. 2.

ideo etiam diversa praecepta: quintum, octavum et septimum ad haec bona referuntur; pariter obiectum temperantiae in usu cibi est diversum, prout respicit quantitatem vel qualitatem ciborum, quare duplex quoque de hac re habetur praeceptum.

a. Ergo periurium, violatio voti et blasphemia sunt peccata specificè diversa, quia virtuti religionis moraliter diverso modo opponuntur. Sacrilegium locale, reale et personale sunt peccata specificè diversa, quia res sacra, persona sacra et locus sacer sunt obiecta in morali aestimatione diversa eiusdem virtutis religionis. Qui diebus festis sacrum omittit et in operibus servilibus occupatur, duo peccata committit, quia virtutem religionis modo moraliter diverso laedit.

b. Peccata *commissionis* et *omissionis* contra eandem virtutem quandoque non sunt specificè diversa, si nimirum ad idem obiectum referuntur ut furtum et omissio restitutionis i. e. auferre et retinere rem alienam; plerumque vero sunt peccata specificè diversa, quia respiciunt obiecta ideoque praecepta moraliter diversa; ideo haeresis et omissio actus fidei, desperatio et omissio actus spei, odium Dei et omissio actus caritatis sunt peccata specie obiectiva diversa, quia eandem virtutem moraliter diverso modo laedunt.

3. Illa peccata sunt specificè diversa, quae eidem virtuti *contrario modo* opponuntur i. e. per excessum et per defectum: quaelibet enim virtus habet suum medium et quod eidem utrimque adversatur, distinctam habet malitiam et constituit peccatum specificè distinctum.

Ergo prodigalitas et avaritia sunt peccata specie diversa, quia illa per excessum, haec per defectum virtuti liberalitatis opponitur. Desperatio et praesumptio sunt specie diversae, quia illa per defectum, haec per excessum virtuti theologiae spei opponitur.

Num peccata, quae opponuntur pluribus praeceptis circa eandem materiam latis, sint specificè diversa. — Distinguendum est: a. Si praecepta sunt *formaliter diversa*, i. e. si ex diverso motivo lata sunt, peccata ipsis opposita specificè distinguuntur; sic qui frangit ieiunium, ad quod ex praecepto ecclesiae et ex voto tenetur, duo peccata committit, quia praeceptum ecclesiae ex virtute temperantiae et votum ex virtute religionis obligat. b. Quodsi praecepta solum *materialiter diversa* i. e. ex eodem motivo lata sunt, peccata eis opposita specificè non differunt, sive ab eodem sive a diversis legislatoribus lata sunt.

Sic per furtum unum peccatum committitur, etsi lege naturali, divina et humana prohibeatur, quia hae leges ex eodem motivo iustitiae latae sunt; specie et numero unum peccatum committit presbyter beneficiatus, qui officium non recitat, item sacerdos religiosus, qui contra castitatem peccat, quia obligatio ab eodem legislatore ex eodem motivo iniungitur.

Articulus tertius.

De distinctione numerica.

277. Status quaestionis. Plura peccata specificè distincta e. g. blasphemiam et furtum etiam numero plura esse, manifestum est; et si unus actus peccaminosus plures virtutes diversas laedit, eo ipso etiam plures malitias continet, quae peccatis numero pluribus aequivalent. Sane qui furatur rem sacram, duo peccata specie et virtualiter etiam numero distincta committit, unum contra iustitiam et alterum contra religionem. Quaestio autem de numerica peccatorum distinctione in eo est, num et quando *peccata eiusdem speciei* e. g. plura furta, plura desideria fornicandi *secundum numerum distinguantur*.

Quia peccatorum numerica distinctio ex duplici fonte desumitur: *a. ex pluralitate actuum*; *b. ex pluralitate obiectorum* eiusdem actus, quaestio difficultate careret, si actus physice distincti tot peccata essent, quot numerantur actus, et si actus, qui circa plura numero obiecta versatur, tot peccata contineret, quot numerantur eiusdem actus obiecta; at vero fieri potest, ut actus physice plures quandoque unum numero peccatum constituent, item ut unus actus plura habens obiecta, nonnisi unum peccatum contineat. Quare dicendum est: *a. tot esse peccata numero distincta, quot sunt eiusdem obiecti actus moraliter distincti*; *b. tot esse peccata numero distincta, quot sunt eiusdem actus obiecta moraliter distincta*. Prius itaque declarandum est, quot modis fieri possit, ut actus physice distincti morali unione coniungantur et moraliter tamquam unus actus considerari debeant, et quomodo

plura obiecta, quae uno actu attinguntur, moraliter uniuntur; deinde exponendae sunt regulae, secundum quas de distinctione numerica peccatorum tum ex pluralitate actuum tum ex pluralitate obiectorum desumpta discernendum sit.

278. Actus physice plures moraliter uniuntur:

1. *Ex intentione agentis*, qua plures actus sive interni sive externi tamquam media ad unum finem ordinantur: variae enim actiones, quae ad eundem actum tamquam ad finem diriguntur, secundum moralem aestimationem unam actionem constituunt, *etsi longius sit temporis intervallum*, quod inter singulos actus intercedat.

a. Qui proponit occidere inimicum et idcirco actus vindictae concipit, arma parat, viam arripit et ipsum tandem occidit, unum peccatum committit, licet per multos dies inimicum quaesierit et pluries propositum occidendi iteraverit, quia in eodem fine, in quem tendunt, omnes hi actus moraliter uniuntur; ideo in confessione sufficit dicere: *hominem occidi*.

b. Qui accedit ad feminam cum animo fornicandi, praemittit tactus, oscula et sermones impudicos ac demum fornicatur, unum peccatum committit: ea enim omnia sunt media ad finem attingendum et in fine intento moraliter uniuntur. Immo etiam tactus, sermones et eiusmodi, qui statim post fornicationem sine intentione novae copulae committuntur, unum cum ipsa fornicatione peccatum constituunt (*s. Alphons. n. 41*). Ideo in confessione satisfacit dicens: *fornicationem commisi*.

c. Qui ex intentione furandi centum florenos saepius renovat propositum internum et decem vicibus eos surripit, unum peccatum committit, quia singuli actus in eundem finem diriguntur; ideo sufficienter se accusat dicens: *centum florenos furatus sum*.

d. Si peccatum externum *inceptum, sed non consummatum* est sive ob retractatam voluntatem sive ob impedimentum superveniens, ita distinguendum est: α. Si media ad executionem propositi adhibita indifferentia sunt (domum ingredi ad fornicandum) necesse non est, ut explicentur: nam quidquid mali in illis est, in ipso proposito iam satis declaratur. β. Si media ad executionem propositi adhibita mala sunt (tactus praevii ad copulam), certe indicandi sunt, sed sufficit, si confuse et indistincte declarentur (volui fornicari et quaedam media iam adhibui, actum autem non perfeci): singuli enim actus unitatem

moralem, quam ob intentionem agentis habent propter operis interruptionem non amittunt: ideo necesse non est ut distincte declarentur¹⁾.

2. *Ex affectu voluntatis*, quo fit, ut plures actus peccaminosi tum interni tum externi, qui durante eodem impetu passionis fiunt, moraliter unam actionem constituent, *etsi aliquod intervallum* inter singulos actus intercedat.

Qui ex eodem passionis impetu inimico plura vulnera infligit, saepius Deum blasphematur, saepius homini maledicit, saepius se inhoneste tangit, pluries eandem rem falso iurat, moraliter unum peccatum committit. — Qui per horam permanet in delectatione morosa circa idem obiectum, etsi identidem de alia re cogitet, unum tantum moraliter peccatum committit. Brevis ergo interruptio inter unum et alium actum non impedit, quominus moraliter unus actus censeatur.

3. *Ex ipso opere perficiendo*: si nimirum opus vel ex natura sua vel ex institutione humana ita comparatum est, ut complures actus distincti veluti partes integrantes ad illud perficiendum requirantur, hi actus in morali consideratione unam actionem et proinde unum peccatum constituunt.

a. Sacerdos, qui proponit uno die integrum officium omittere illudque reipsa omittit, unum peccatum committit: si tamen prius proposuisset solum matutinum, postea vero etiam reliquas partes omittere, duo peccata haberet.

b. Qui eadem vice pluribus s. communionem in statu peccati distribuit,²⁾ unum peccatum (secundum alios grave, secundum alios leve)^{*} committit, quia singulae communionem ad unum ministerium pertinent, quo sacra communio pluribus distribuitur, et quia singuli communicantes in eodem convivio participant. Ideo in confessione sufficit dicere: *s. communionem distribui in statu peccati.*

c. Qui in statu peccati plures poenitentes successive absolvit, pariter unum tantum peccatum committit: absolutiones enim omnes, quae successive fiunt, moraliter ad idem ministerium absolventi pertinent, quod natura sua non ad unam personam restringitur, sed ad omnes extenditur, qui eadem vice ad sacrum tribunal accedunt. Ideo in confessione satisfacit dicens: *semel confessiones audivi in statu peccati.*

279. 1. De distinctione peccatorum ex pluralitate actuum desumpta tres regulae statuendae sunt: a. De actibus *mere internis*, qui interius consummantur ut actus odii, b. de actibus *internis exterius consummandis*, qui adiunctum

¹⁾ *Ballerini-Palmieri* I. n. 668.

only in the confession of a sacrament that he commits a grave

habent propositum actionem externam ponendi ut voluntas furandi, fornicandi; c. de actibus *externis* seu exterius consummatis ut furtum, fornicatio: moralis enim interruptio non in omnibus his actibus eodem modo contingit.

2. Prius tamen declarandum est, quot modis actus, qui ex supra dictis moralem unitatem habent, interrumpuntur seu moralem unitatem amittant. Iam vero actus voluntatis tripliciter interrumpi possunt: α . per *voluntariam revocationem*, ut si quem actus peccaminosi vere poeniteat et postea tamen eundem actum resumat; β . per *cessationem voluntariam* ab actu, ut si quis deliberate ab actu malo desistat, ad alia se convertat et dein ad eundem redeat; γ . per *involuntariam cessationem* ab actu e. g. ob somnum, distractionem, occupationem etc. longiore tempore durantem. Quanta autem temporis mora inter unum et alterum actum intercedere debeat, ut actus hoc modo vere interrupti censeantur, pro diversa natura actuum iudicio prudentum aestimari debet.

280. 1. *Actus mere interni* multiplicantur, quoties moraliter interrumpuntur; interrumpuntur autem per *revocationem*, per *voluntariam* et per *involuntariam cessationem*.

a. Cum enim actus mere interni in se completi et ab invicem independentes sint, moraliter non uniuntur nisi eodem affectu passionis; eiusmodi autem actus non solum revocatione et voluntaria cessatione, sed etiam involuntaria cessatione moraliter interrumpuntur: idem enim affectus passionis inter diurnas occupationes et distractiones durare non potest nisi ad breve tempus, summum ad duas tresve horas.

b. Qui videns inimicum interius ei mala imprecatur et post aliquod tempus iterum eum videns ei denuo imprecatur, duo peccata committit, quia imprecationes moraliter interruptae sunt. Qui de turpibus cum delectatione cogitans pauca verba cum transeunte miscet et statim ad turpia recogitanda redit, unum peccatum committit; si ad ea recogitanda rediret post longiorem colloctionem, quae mentem ab his rebus prorsus abstraxisset, duo peccata haberet, quia delectationes in posteriore, non item in priore casu interruptae sunt.

c. Qui per longius tempus e. g. per integrum diem eundem actum peccaminosum fovet, pro diversitate adiunctorum plura vel pauciora peccata committit. Si ergo poenitens numerum peccatorum interiorum indicare nesciat, interrogandus est de mora temporis, quo in eodem

peccato perseveravit, et ratione habita materiae, indolis poenitentis et circumstantiarum, praesertim vero generis occupationis diurnae, prudens confessarius ex hac regula diiudicare debet interruptionem moralem actuum ideoque numerum peccatorum¹⁾.

281. 2. Actus interni exterius complendi multiplicantur, quoties per revocationem aut voluntariam cessationem interrumpuntur.

a. Hi enim actus, qui praecipue ex intentione agentis moralem unitatem habent, per revocationem aut voluntariam cessationem, non autem per involuntariam cessationem interrumpuntur, nisi temporis intervallum sit diuturnum. Et sane actus, qui tendit in opus externum, tamdiu virtualiter durare censetur, donec opus positum sit, nisi mora notabilis interponatur inter propositum et eius executionem, ideoque saepius repetiti actus interni non sunt, nisi continuatio primi actus peccaminosi. Quodsi opus externum iam inchoatum sit, prava voluntas in hoc exteriori effectu adhuc facilius etiam ad longius tempus virtualiter perdurat. Quanto tempore idem actus virtualiter permaneat, pro diversitate actuum prudentum iudicio determinari debet: quandoque enim e. g. propositum legendi pravam librum solum per aliquot horas aut per diem, econtra propositum furandi per plures dies, immo propositum vindictae etiam per plures hebdomadas sine morali interruptione persistere potest.

b. Qui furtum patrare statuit, unum peccatum committit, etsi per plures dies de furto cogitet, propositum furandi saepius renovet, donec tempore opportuno tandem furtum exequatur. Sed qui furtum hac nocte patrare proponit, deinde vero memor huius propositi domi manet, et cras idem propositum renovat, duo peccata committit, quia per voluntariam cessationem ab iniquo proposito prima voluntas furandi interrumpitur.

c. Qui per longum tempus non restituit, licet saepius obligationis restituendi recordetur et propositum non restituendi renovet, unum peccatum committit: in effectu enim externo, scilicet in retentione rei alienae, prava voluntas virtualiter perseverat. Si tamen propositum non restituendi retractet et voluntatem restituendi aliquo tempore foveat et postea ad prius propositum redeat, novum peccatum committit.

282. 3. Actus externi multiplicantur, quoties in se completi et ab invicem independentes sunt, at non multiplicantur, si tamquam partes vel media ad unum actum consummatum ordinentur.

1) Cf. Lugo, De poenitentia disp. 16. n. 569.

Qui ergo bis se polluit, bis sacrilege communicat, etsi intra breve tempus, duo peccata committit. Item plura peccata facit, qui ieiunium praescriptum per plures dies omittit: quaelibet enim omissio est quid in se completum ab alia omissione independens. — Plura peccata committit, qui inimicum sine intentione eum occidendi pluries percutit; item qui pluries ex eodem cumulo tritici aliquid aufert, sine praevia intentione totum furandi.

3. Actus & peccata.
Nota. Actus, qui habent obiecta disparata, vel actus externi, qui sunt in se plane completi et invicem independentes, nec per intentionem agentis nec per affectum voluntatis in unitatem moralem colligi possunt: horum enim actuum natura impedit, quominus moraliter uniantur. Qui e. g. videns virginem eam turpiter desiderat et paullo post videns aliam hanc quoque desiderat, duo peccata committit, etsi turpe desiderium ex eodem ardore libidinis procedat. Qui intra breve tempus ex eodem affectu libidinoso bis se polluit, duo peccata committit. Item sacerdos omittens officium toties peccat, quoties officium omittit, etiamsi singulas omissiones per intentionem unire velit. Similiter meretrix habens intentionem peccandi cum omnibus advenientibus, tot peccata committit, quot copulas perficit.

283. Obiecta physice plura moraliter uniantur.

Num plura obiecta physice distincta moralem unitatem habeant et unum obiectum morale et totale constituent, ex natura obiecti et ex apprehensione agentis dependet. Si nimirum plura obiecta vel ex natura sua unitatem moralem habent (familia, civitas) et ideo ab agente ut unum totum apprehenduntur, vel si ab agente ad modum unius obiecti apprehenduntur (aemuli mei), etsi natura sua unitatem non habeant, unum obiectum morale constituent et a voluntate ut unum quid attinguntur; quodsi plura obiecta neque ex se unitatem habent neque ab agente ut unum, sed distincte apprehenduntur, non unum, sed plura obiecta constituunt et pluribus distinctis actibus voluntatis attinguntur.

Qui familiae ex quinque capitibus compositae detrahit vel maledicit, unum peccatum committit, quia integram familiam ad modum unius apprehendit et una intentione nocendi attingit; si tamen de singulis cogitaret eisque distincte nocere vellet, quinque peccata committeret. Qui furatur crumenam ad tres dominos pertinentem, quos confuse ad modum unius domini apprehendit, unum peccatum committit; sed eodem

actu furandi tria peccata committit, si eos distincte apprehendit et singulis nocere intendit.

284. De distinctione peccatorum ex pluralitate obiectorum desumpta, duplex regula est statuenda: *a.* de actibus *internis*; *b.* de actibus *externis*.

1. *Actus internus* (in simplici affectu vel proposito voluntatis consistens), qui ad plura obiecta refertur in se distincta, semper unum peccatum continet, quia plura illa obiecta unum obiectum morale seu totale constituunt: cum enim unicus sit actus voluntatis, plura obiecta per modum unius ab intellectu apprehenduntur et a voluntate attinguntur.

a. Qui ergo unico actu voluntatis morose delectatur de tribus feminis vel tres desiderat eiusdem rationis, unum peccatum committit.

b. Qui proponit per integrum mensem omittere officium, per integram quadragesimam non ieiunare, unum peccatum committit: si tamen postea hanc voluntatem exequitur, tot peccata habet, quot officia vel ieiunia omittit, quia singulae omissiones nullo vinculo uniuntur.

c. Qui diversa mala optat inimico, e. g. infamiam, paupertatem, mortem, unum peccatum committit, si per modum unius mali ea apprehendit et optat.

d. Qui uno actu complures homines odio habet vel complures desiderat occidere, unum peccatum committit, si sub confuso conceptu pluralitatis eos attingit.

Nota. Obiecta disparata seu specificè diversa unum obiectum morale efficere nequeunt, sive actu mere interno sive actu externo attingantur. Qui e. g. tres mulieres desiderat diversae rationis (aliam liberam, aliam coniugatam, monialem tertiam) et qua tales apprehendit, tria peccata committit specie et numero distincta, quia non uno actu per modum unius, sed pluribus actibus distinctim apprehenduntur et a voluntate attinguntur, nec in unum obiectum colligi possunt. Qui horreum incendit ad interimendum inimicum suum ibi dormientem, vel qui uno ictu equum et sessorem interficit, duo peccata committit, damnificationis et homicidii.

285. 2. Actus externus, qui ad plura obiecta in se distincta refertur, tum solum unum peccatum constituit, quando obiecta physice plura unum obiectum morale et totale constituunt seu per modum unius a mente appre-

henduntur et a voluntate attinguntur. Si autem plura obiecta singillatim apprehenduntur, plura etiam sunt peccata, quia singula etiam distinctis actibus voluntatis attinguntur.

a. Qui unica explosione vulnerat vel occidit decem homines, unum committit peccatum, et satis est, si in confessione dicat: *vulneravi vel occidi plures*, si confusa apprehensione et intentione per modum unius omnes attingit; plura autem peccata committit, si singulos distincte apprehendit atque occidere intendit.

b. Si quis uno sermone detrahit familiae, domui, religioni, sive numerosa est sive modica, unum peccatum habet, et satis est, si dicat: *detraxi familiae vel communitati* vel solum *detraxi graviter*, quin etiam ille unum peccatum committit, qui uno sermone pluribus e. g. inimicis suis detrahit, quos per modum unius apprehendit et intendit; si tamen singulos distincte apprehendit et singulorum famam laedere intendit, plura peccata committit.

c. Non solum is, qui laedit bona, quae pertinent ad monasterium vel ad capitulum, sed etiam is, qui aufert depositum pertinens ad decem diversas personas, unum peccatum committit, si decem dominos confusa apprehensione et intentione attingit.

Nota 1. Etsi is, qui unico actu tres occidit vel unico actu desideravit ad tres feminas accedere, obligationi integre confitendi satisfaciat dicens: *feci homicidium* vel *habui desiderium fornicandi*; tamen confiteri debet termino, quo saltem confuse plures personae significantur; *uno actu occidi plures* aut *volui plures accedere ad personam solutam*, ne scilicet in errorem inducat confessarium. Nam haec verba: „feci homicidium“ significant „occidi unum hominem“, et a confessario hoc sensu accipiuntur; quare implicite negaretur occisio plurium et confessarius deciperetur, quod esset mendacium in confessione commissum. Ubi ergo deceptio confessarii et implicitum mendacium in verbis non continetur, pluralitatem obiectorum indicare non est necesse, qui e. g. uno actu pluribus damnum intulit vel scandalum dedit, satisfacit, si dicat: *grave damnum intuli* vel *grave scandalum dedi*.

Nota 2. Theoria modo exposita circa obiectum totale est cardinalis *de Lugo* (de poen. d. 16. n. 104 ss.), qui secutus est *Suaresium*. Sunt quidem plures et graves auctores, inter quos etiam *s. Alphonsus* (n. 45), qui sententiam severiorem sequentes statuunt numerum obiecti totalis in confessione explicandum esse. Cum tamen haec sententia ultra probabilitatem non ascendat, *in ordine ad confessionem* dicendum est numerum obiecti totalis constituere quidem circumstantiam aggravantem, non autem plura peccata necessario in confessione declaranda. Et sane eorum ratio est, nihil obstare, quominus unus

idemque actus plures malitias contra eandem virtutem contineat. — Verum non negatur unum actum plures numero malitias continere posse; sed quaeritur, num hae malitiae in confessione distincte declarari debeant. Iam vero ad satisfaciendum praecepto divino omnia et singula peccata accusandi, necesse non est, ut omnes malitiae, quae in uno actu insunt, distincte declarentur, nisi sint specificè vel moraliter diversae.

Nota 3. Poenitentes illas tantum circumstantias speciem mutant, quas apprehendunt, in confessione declarare tenentur, quia illarum tantum rei sunt. Iam vero ut quis malitiam circumstantiae speciem mutantis contrahat, sufficit quidem confusa eiusdem cognitio; verum cum ipsi solum ex communi aestimatione morali de his rebus iudicent, multarum specierum, quae a theologis accurate distinguuntur, ne confusam quidem cognitionem habent. Idem de numerica peccatorum distinctione notandum est. Ille numerus peccatorum in confessione declarari debet, qui a poenitente, dum peccat, apprehenditur; iam vero commune hominum iudicium non distinguit omnes illas malitias, quas auctores indicare solent.

Quaestio tertia.

De gravitate peccatorum.

286. De gravitate peccatorum in genere. 1. *Gravitas* peccati est quantitas malitiae, quae peccato ex obiecto inest. *Criteria* discernendi peccata gravia et levia alia sunt interna, alia externa.

a. Interna desumuntur ex relationibus essentialibus hominis ad Deum, proximum et seipsum atque ex modo, quo laeduntur, ideo: α . peccata, quae cedunt in gravem Dei iniuriam; β . peccata, quae cedunt in grave damnum proximi sive spirituale sive corporale; γ . peccata, quae cedunt in grave damnum propriae salutis sive spiritualis sive corporalis, gravia sunt.

b. Externa sunt: *a. s. scriptura*, nempe peccata, quae in s. scriptura dicuntur excludere a regno coelorum, esse ab-

ominabilia, esse morte, poena aeterna digna vel adiunctam habent maledictionem explicitam aut implicitam (vae!). mortalia sunt; β. *traditio ecclesiae*, cui accedunt definitiones romanorum pontificum vel conciliorum generalium: peccata enim, quae in ecclesia catholica communiter habentur mortalia, eiusmodi sunt; γ. *theologorum doctrina*: quod enim theologi communiter dicunt mortale, eiusmodi habendum est.

2. Ratione habita *gravitatis obiecti* peccata in tres classes dividuntur: in peccata *ex toto genere gravia*, *ex toto genere levia* et *ex genere suo gravia*. Sunt enim praecepta, quorum obiectum undequaque grave est, ideoque peccata illis opposita semper et necessario gravia sunt. Sunt alia, quorum obiectum undequaque leve est, ideoque peccata illis opposita semper levia sunt. Sunt tandem praecepta, quorum obiectum partim grave partim leve est, ideoque peccata illis opposita modo gravia modo levia sunt. Itaque:

a. *Peccata ex toto genere gravia* ea sunt, quae, dum manent intra eandem speciem obiectivam, semper gravia sunt, ut peccata contra Deum vel aliquam eius perfectionem.

b. *Peccata ex toto genere levia* ea sunt, quae, dum manent intra eandem speciem obiectivam, semper levia sunt, ut vanae cogitationes, verba otiosa, mendacia officiosa, quae per se nunquam sunt mortalia.

c. *Peccata ex genere suo gravia* sunt illa, quae, dum manent intra eandem speciem, modo gravia modo levia sunt, ut peccata contra plerasque virtutes morales e. g. caritatem, iustitiam, quae scilicet in materia gravi gravia, in materia levi autem levia sunt.

287. De diversa gravitate peccatorum mortalium.

1. Non omnia peccata mortalia obiective seu specificè considerata eiusdem gravitatis sunt, sed alia sunt aliis graviora.

Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet¹⁾. Verumtamen Tyro et Sidoni remissius erit in die iudicii, quam vobis²⁾. Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit concilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennae ignis³⁾. Disputari potest, quid Dominus nomine iudicii, concilii, gehennae ignis significare voluerit, illud tamen certum est, diversis gradibus poenae, qui illis verbis significantur, diversos gradus culpae respondere. Insuper cum virtutes sint diversae dignitatis et perfectionis, diversae gravitatis sunt etiam peccata, quae eis opponuntur.

a. Agitur hic de gravitate peccatorum obiectiva. A gravitate enim peccati obiectiva distingui debet gravitas peccati subiectiva. Ad hanc nempe gravitatem diiudicandam non solum elementa obiectiva sed etiam subiectiva considerari debent, qualia sunt ignorantia, infirmitas, metus, contemptus etc., quae in determinato subiecto malitiam peccati augere vel minuere possunt. Non raro accidit, ut subiectiva gravitas peccati longe distet ab eius gravitate obiectiva.

b. Omnia peccata gravia aequalia esse contendebant Stoici philosophi et aevo christiano Iovinianus monachus, quem refellit s. Hieronymus. Eorum argumentum hoc est: formalis ratio peccati mortalis in aversione a fine ultimo consistit; sed nequit esse maior vel minor aversio a fine ultimo, cum aversio in indivisibili consistat. — Patet autem aversionem a fine ultimo non posse esse maiorem et minorem, quatenus est negatio conversionis; maiorem vero et minorem esse posse, quatenus significat positivam oppositionem ad finem ultimum seu conversionem ad creaturas. Sic fini ultimo magis opponuntur peccata, quae comittuntur in Deum, quam peccata, quae committuntur in hominem.

2. Ad iudicium ferendum *de diversa gravitate peccatorum P. Lehmkühl* (n. 1224.) sequentes regulas statuit:

a. Peccatum eo gravius est, quo nobilior et altior est virtus, cui illud opponitur; intra ambitum autem eiusdem virtutis graviora sunt ceteris paribus peccata contra legem prohibentem, quam contra legem praecipientem.

b. Eo gravius est peccatum, quo nobilior est persona, contra quam peccatum dirigitur. Sic per se graviora sunt

¹⁾ Ioan. 19, 11.

²⁾ Matth. 11, 22.

³⁾ Matth. 5, 22.

peccata, quae directe contra Deum, quam peccata, quae contra hominem diriguntur¹⁾).

c. Eo gravius est peccatum, quo maius bonum est, quod per peccatum laeditur. Quae quidem regula in peccatis contra proximum primo loco attendenda est.

3. Quibus praemissis peccata *quoad gravitatem* fere *hoc ordine* se excipiunt.

a. Peccata, quae directe contra Deum seu divina bona interna committuntur: odium Dei, infidelitas, desperatio.

b. Peccata, quae contra Dei bona externa committuntur: blasphemia, idololatria, superstitio, periurium et tentatio Dei. — Hoc loco inserenda sunt peccata, quae contra humanitatem Christi et sanctissimum eucharistiae sacramentum committuntur.

c. Peccata, quae contra Deum indirecte committuntur, seu contra res Deo sacratas, scilicet diversa sacrilegia ut simonia, profanatio rerum sacrarum, indigna sacramentorum susceptio et administratio, violatio voti etc.

d. Peccata, quibus personae humanae laeduntur, et quidem hoc ordine: peccata, quae homo committit in seipsum, in coniunctos ut parentes vel superiores et in extraneos.

e. Peccata, quibus bona humana (vitae, honoris, famae, fortunae) laeduntur: homicidium, luxuria, calumnia, detractio, furtum; ad haec consequitur ebrietas.

288. Peccatum ex genere suo grave fieri potest leve: peccatum quidem ex genere suo mortale ordinarie etiam in individuo mortale est, sed quandoque ex defectu condicionis requisitae peccatum ex genere suo mortale in individuo per accidens fit leve:

1. *Ex imperfectione actus:* cum enim ad peccatum mortale plena advertentia et plenus consensus requiratur, si unum horum deest et imperfecta solum advertentia vel imperfectus consensus habetur, peccatum erit veniale.

2. *Ex causa excusante:* si nimirum causa excusans non sufficit quidem, ut omnino a peccato eximat, attamen ea est, quae saltem a mortali excuset; sic incommodum grave omnino excusat ab audiendo sacro vel a ieiunio,

¹⁾ Cf. S. Thomas III. q. 80. a. 5.

incommodum vero non ita grave saltem a mortali excusare potest et transgressionem constituit venialem.

3. *Ex conscientia erronea*, quae invincibiliter iudicat aliquid veniale peccatum esse, quod reipsa mortale est: sicut enim conscientia invincibiliter erronea ab omni peccato, ita etiam a gravi peccato excusat.

4. *Ex parvitate materiae*: ubi nimirum praeceptum ex se grave in re levi tantum violatur, peccatum non potest esse grave, quod necessario etiam materiam gravem postulat.

289. Peccatum ex genere suo leve in individuo fieri potest grave:

1. *Ratione conscientiae erroneae*, qua quis peccatum leve pro gravi habet: tum enim libere consentit in rem, quam ut graviter malam apprehendit. Ideo pueri omne mendacium vel furtum etiam rei levis pro peccato gravi habentes non raro ex conscientia erronea graviter peccant.

2. *Ratione finis graviter mali*; sic furtum rei levis ad homicidium committendum patratum grave peccatum est, non quidem ob laesionem in bonis fortunae, sed propter intentionem committendi homicidium: medium enim participat malitiam finis; finis autem graviter malus est.

Qui ex intentione gradatim perveniendi ad gravem quantitatem repetitis vicibus modicum quid furatur, vel qui ex intentione violandi ieiunium saepius modicum quid comedit, singulis actibus graviter peccat: finis enim intentus graviter malus est; media autem, quae ad finem adhibentur, participant malitiam finis; ergo singuli actus gravem malitiam habent; attamen singuli actus ratione intentionis, a qua procedunt et informantur, in moralem unitatem colliguntur et moraliter unum peccatum constituunt.

3. *Ratione scandali gravis*, quod ex peccato veniali oriturum praevidetur; sic levitates veniales sacerdotis coram saecularibus, et verba venialiter mala parentum coram filiis possunt fieri grave peccatum propter scandalum.

4. *Ratione contemptus formalis* sive legis sive legislatoris: qui enim transgreditur legem ex formali contemptu, ipsam potestatem legislativam contemnit; qui vero hanc

contemnit, quamvis in re levi tantum, Deo eiusque ordinationi gravem iniuriam infert.

Duplex distinguendus est *contemptus* legis vel legislatoris: *formalis*, quo lex vel legislator qua talis contemnitur, et *materialis*, quo materia legis e. g. ut levis momenti, ut inepta ad finem, ut iniusta, vel legislator ut homo e. g. ut imprudens vel improbus contemnitur. Ergo ex formali contemptu peccat, qui transgreditur legem, quia non vult esse subiectus legi vel legislatori, seu ideo praecise, quia praecceptum est. Violare legem ex *contemptu materiali* praeccepti vel praecipientis *humani*, ordinarie leve peccatum est, sed violare legem ex contemptu materiali legis divinae vel legislatoris *divini*, grave peccatum est.

5. *Ratione periculi proximi* labendi in grave peccatum, cui se exponit, qui leve peccatum committit: nam eadem obligatione, qua tenemur peccatum vitare, tenemur etiam vitare illius proximum periculum; sic qui quaerit conversationem cum sociis, in qua ut plurimum graviter peccat, exponendo se periculo gravis peccati graviter peccat.

6. *Ratione affectus appetitiae maximi* ad peccatum leve, si nimirum aliquis adeo affectus est erga rem levem e. g. erga ludum, ut paratus sit potius Deum graviter offendere, quam a ludo abstinere. Non vehementia passionis, qua ludo adhaeret, grave peccatum est, sed mala dispositio, qua creaturam Deo praeferre paratus est, si quidem illa in actum transierit.

7. *Ratione materiae coalescentis* cum materia aliorum venialium, qua de re est sequens quaestio.

Nota. In praxi confessionis valde attendendum est ad illa ad iuncta, quae peccatum in se grave efficiunt leve. Ordinarie quidem peccata in se gravia etiam subiective gravia sunt, quandoque autem, quae in se et objective gravia sunt, subiective fiunt levia, vel saltem non eundem gradum malitiae habent in subiecto, quem in se habent, quia committuntur ex ignorantia, ex infirmitate, ex metu, ex verecundia etc., quae omnia malitiam moralem imminuunt.

290. Num complura venialia constituent peccatum mortale.

1. Peccata venialia *per solam multiplicationem* quantumvis magnam nunquam constituunt peccatum mortale,

nisi materia coalescat: solus enim numerus non mutat essentiam peccati; inter peccatum autem mortale et veniale est essenziale discrimen.

a. Ergo sacerdos, qui in recitatione officii quotidie omittit unum psalmum, etsi per decursum anni omissiones sint multae, venialiter tantum peccat; et si initio anni quotidie psalmum omittere proponit, hoc propositum veniale peccatum non excedit: propositum enim non habet maiorem malitiam quam actus per propositum intenti, qui singuli sunt veniales et invicem non uniuntur.

b. Ergo dominus, qui triginta famulis die festo iniungit laborem unius horae, solum venialiter peccat: singulorum enim actus moraliter non coalescunt.

c. Ergo qui sola mortalia vitare proponit de venialibus non curans, immo qui proponit omnia, quae occurrunt, venialia committere, hac voluntate per se venialem culpam non excedit: malitia enim huius propositi per se desumitur ab obiecto; eius obiectum autem constituunt sola venialia. Dicitur *per se*, quia per accidens cum hoc proposito voluntatis coniunctum esse potest periculum graviter peccandi, sed velle hoc periculum qua tale cognitum, grave peccatum esset.

2. Peccata *venialia multiplicata ratione materiae coalescentis* vel ratione effectus causati constituere possunt peccatum mortale, supposita tamen advertentia ad materiam gravem vel ad effectum sub gravi prohibitum.

Qui absque intentione colligendi gravem quantitatem repetitis vicibus modicum quid furatur, graviter peccat, quando cum advertentia ad effectum gravem furatur quantitatem, quae gravem materiam complet: licet enim materia illius furti in se et absolute spectata sit levis, attamen simul cum praecedentibus, quibuscum coalescit, complet et constituit materiam gravem, fur autem ante ultimum furtum ad gravem materiam et grave damnum (ut supponitur) advertens, illo furto minuto in grave peccatum consentit. Pari ratione sacerdos in diversis horis eiusdem officii modicum quid omittens illa omissione, quae materiam gravem complet, mortaliter peccat, si ad gravitatem materiae advertat.



Quaestio quarta.

De periculo peccandi.

291. Notiones. 1. *Periculum peccandi* est omne id, quod ad peccatum inducit ut tentatio, pravus habitus, res obscœnae.

2. Hoc periculum est *internum*, si provenit a causa interna, ut est turpis imaginatio; est *externum*, si provenit a causa externa, ut est res alliciens ad peccatum.

3. Hoc periculum dicitur *grave* (proximum), si moraliter certo connexum est cum peccato; dicitur *leve* (remotum), si nexus cum peccato non est moraliter certus.

4. Periculum grave est *absolute* seu *per se* grave, si pro omnibus communiter tale est; *relative* seu *per accidens* grave, si pro aliquibus tantum ob peculiarem dispositionem tale est.

292. Principia. 1. Periculum grave seu moraliter certum graviter peccandi sub gravi vitare tenemur. Qui enim vult aliquam rem, implicite (in causa) vult etiam illud, quod cum ea videt necessario esse coniunctum; qui ergo vult grave periculum peccati, vult etiam ipsum peccatum, quippe moraliter necessario cum eo coniunctum. Insuper quaevis lex, eo ipso quod vetat sui laesionem, vetat etiam omne id, quod ad hanc laesionem morali certitudine inducit; vetat ergo, ne quis sponte se offerat gravi periculo legis violandae.

a. Controversa est quaestio, num grave peccatum sit se exponere *periculo probabili* (non moraliter certo) graviter peccandi. Plurimi quidem auctores cum *s. Alphonso*¹⁾ grave peccatum affirmant; verum vix credibile est offerentem se periculo graviter peccandi cum seria ac rationabili spe, se non esse lapsurum, graviter peccare, cum affirmari nequeat eum velle peccatum, quippe quod non sit necessario coniunctum cum periculo, cui se exponit. Ceterum complures auctores, qui

¹⁾ Cf. l. 5. n. 63. l. 6. n. 453.

pro affirmante sententia citantur, magis verbis quam sensu verborum ei adhaerere videntur¹⁾).

b. Peccatum, quod ab eo committitur, qui absque necessitate se exponit gravi periculo peccandi, est eiusdem gravitatis et speciei ac ipsum peccatum, cuius adit periculum.

c. Qui peccandi periculo se exponit et^{*} postea in periculo constitutus reipsa peccat, per se duo peccata committit: alius est enim consensus in periculum, qui affectum ad ipsam rem malam excludit, et alius est consensus seu affectus ad rem malam.

d. Gravi periculo peccandi etiam ille se exponit, qui adit periculum, quod initio quidem leve est, ita tamen, ut praevideat illud postea evasurum grave, ut fieri solet in periculo peccandi contra castitatem, quia in ipso periculo magis exardescit libido.

2. Ex iusta causa licet se exponere gravi periculo peccandi, dummodo aptae adhibeantur cautelae. Causa necessitatis una cum aptis cautelis afficiunt, ut periculum fiat leve; causa necessitatis insuper efficit, ut eiusmodi leve periculum licite adiri possit.

a. Causa necessitatis subeundi periculum peccati eo maior esse debet, quo maius est peccatum, de quo agitur, et quo maius periculum illud committendi.

b. Aptae cautelae, quibus excludatur lapsus in peccatum, sunt: retinere firmum propositum non peccandi; ad Deum orare; piam cogitationem fovere; si periculum diutius perdurat, usus sacramentorum et exercitium piaë lectionis.

c. Absque iusta causa, etsi cum proposito non peccandi atque adhibendi aptas cautelae, non licet periculo peccandi se exponere, quia proxime obligamur vitare periculum, nisi iusta causa excuset. Ideo Deus auxilio suo non adiuvat eos, qui temere periculo se exponentes suae obligationi desunt. Quodsi quis ex iusta causa in periculo reperitur, Deus auxilio suo eum non destituit²⁾.

d. Si certo praevideatur in periculo commissum iri peccatum, nunquam licet ei sponte se offerre; ut hoc liceat, omnino requiritur, ut adsit fundata spes, fore ut cum Dei auxilio vitetur peccatum: certum enim peccatum absolute caveri debet.

¹⁾ Cf. *Lacroix*, Theologia moralis l. 5. n. 252 ss. *Berardi*, De recidivis et occasionariis⁵ (Faventiae. Novelli. 1897) II. p. 4 ss., qui affirmantem sententiam propugnant, quam deserendam putant *Ballerini-Palmieri* I. n. 692 ss. et *Génicot* II. n. 372.

²⁾ Cf. *S. Alphonsus* l. 5. n. 63.

3. Periculum *leve* graviter peccandi sub levi vitare tenemur; quare solum ex rationabili causa eiusmodi periculum adire licet. Aliqua enim deordinatio contra rationem in eo habetur, quod quis absque causa ponat actionem inutilem, quacum insuper coniunctum est periculum graviter peccandi.

a. Leve periculum intelligitur verum peccandi periculum licet parvum, quod in speciali aliqua ratione fundatur: *tenue* enim periculum, quod moraliter nullum est et merae possibilitati peccandi aequiparatur, vitare non tenemur, quia eiusmodi periculum, quippe quod in omni fere actione humana reperiatur, vitare non possumus; alioquin deberemus, ut ait Apostolus, de hoc mundo exire¹⁾.

b. Cum etiam periculum proximum venialiter peccandi sub levi vitare teneamur, tum de levi periculo graviter peccandi tum de gravi periculo venialiter peccandi notandum est, quod habet *Lehmkuhl* (n. 486. IV): „Si illud, unde periculum oritur, actio in se honesta et utilis est, ex hac ipsa bonitate ratio sufficiens agendi habetur, ita ut illud aliquale periculum non debeamus attendere, sed potius remediis adhibitis nos ipsos praemunire: aliter enim innumerae actiones utiles metu peccandi impedirentur.“

Nota. Haec principia in tractatu *de occasionariis* applicanda erunt, cum occasio peccati natura sua periculum peccandi contineat. Cf. *de sacramentis* n. 406 ss.

Quaestio quinta.

De peccatis internis.

293. Notiones. 1. Peccata interna ea dicuntur, quae solum internis animae potentiis, mente scilicet et voluntate, perficiuntur. Ad tres classes omnia revocantur: *a.* ad desiderium, *b.* ad gaudium, *c.* ad delectationem morosam; et desiderium quidem ad rem futuram, gaudium, prout

¹⁾ 1. Cor. 5, 10.

hic accipitur, ad rem praeteritam, delectatio vero ad rem praesentem refertur; vulgo autem haec omnia comprehenduntur sub nomine *cogitationis malae*.

2. *Gaudium et delectatio specificè non differunt*: differentia enim in eo solum consistit, quod obiectum in delectatione ut praesens, in gaudio ut praeteritum repraesentetur; sed haec differentia mere externa ad specificum discrimen constituendum non sufficit.

3. *Delectatio (gaudium) et desiderium specificè differunt*; aliud sane est delectari de iniuria proximi, aliud iniuriam proximo inferendam desiderare: desiderio enim res mala ut opere perficienda exhibetur, in delectatione ab opere externo praescinditur.

Articulus primus.

De desideriiis pravis.

294. Notiones. 1. *Desiderium* pravum est actus voluntatis, quo quis deliberate rem malam perficere intendit.

2. Dicitur *efficax*, quando quis absolute proponit rem malam opere exequi, et *inefficax*, quando quis condicionate (e. g. *si possem, si liceret*) rem malam exequi intendit. Quod proinde de desiderio dicitur, aequali ratione de *proposito* valet: propositum enim est desiderium efficax.

Etiam *desiderium inefficax* per se tendit in rem malam; quocirca *per se* eadem malitia theologica et specifica ei inest ac desiderio efficaci; atque ideo necesse non est, ut in confessione declaretur, utrum desiderium efficax fuerit an inefficax.

295. Principia. 1. *Desiderium* (efficax et inefficax) rei malae peccatum est eiusdem gravitatis et speciei, quam habet obiectum (actus externus), in quod tendit. Ratio *primi* est, quia desiderium malitiam accipit ab obiecto, in quod tendit, proindeque in re gravi grave, in re levi leve est. Ratio *secundi* est, quia desiderium tendit in ipsam rem externam ut postea perficiendam, ideo omnes

malitias includit, quae in ipsa re insunt, dummodo apprehendantur.

Inde est, quod Christus dicat: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo*¹⁾. Ideo desiderium furandi calicem consecratum duplicem malitiam furti et sacrilegii continet. Desiderium peccandi cum consanguinea vel Deo sacra est incestus (mentalis) vel sacrilegium (mentale). Quare gravia desideria tum efficacia tum inefficacia in confessione ita declarari debent, ut etiam circumstantiae speciem mutantem appareant.

2. Desiderium inefficax peccatum non est, si condicio apposita aufert malitiam actus: nam in hoc casu voluntas fertur in obiectum, quod nullam malitiam continet, quippe quam condicio apposita excludat.

a. Condicio apposita e. g. *si liceret, si peccatum non esset, si Deus permetteret* malitiam ab obiecto excludere potest: α. in iis, quae solum lege positiva prohibentur: vellem carnes comedere, nisi esset dies abstinentiae; uxorem ducerem, si sacerdos non essem; β. in iis, quae lege naturae prohibentur et nihilominus aliquando licite fieri possunt: inimicum occiderem, furarer, si Deus permetteret. Eiusmodi tamen desideria non solum otiosa, sed frequenter etiam periculosa sunt. Sed condicio apposita malitiam ab obiecto auferre nequit in iis, in quibus condicio est impossibilis, quia ita sunt intrinsecus mala, ut neque per Deum mutari possint e. g. *blasphemarem, fornicarer, si non esset peccatum*.

b. Ergo peccata sunt haec desideria: vellem ulcisci, si sacerdos non essem; fornicarer, si non esset infernus; furarer, si clam fieri posset, quia condicio apposita, quae ad aliud refertur, non ad malitiam actus, ab obiecto desiderii malitiam non excludit.

c. Quodsi condicionatum desiderium rei intrinsecus malae (*fornicarer, vindicarer, si liceret*) non est verum ac deliberatum desiderium, sed magis significatio naturalis propensionis, qua voluntas vel appetitus sensitivus in rem malam fertur, illud peccatum non est, quia hoc desiderium ita explicatur: natura quidem in rem malam trahit, sed eam nolo, quia prohibita est.

296. *Num licitum sit optare proximo malum ad bonum finem.* Licitum est servato ordine caritatis, i. e. si bonum, propter quod proximo optatur malum (physicum), superat vel saltem adaequat malum, quod ei optatur.

¹⁾ Matth. 5, 28.

a. Licitum est proximo *optare mortem* propter *bonum spirituale* proprium vel alienum ad salutem necessarium; sic licet patri optare mortem filii, quem praevidet seductum iri, si diutius vixerit: servatur enim ordo caritatis, cum bonum maioris ordinis praefertur bono minoris ordinis.

b. Licitum est proximo optare mortem etiam propter *bonum temporale* non solum commune, sed etiam privatum, modo hoc bonum non sit minoris momenti, quam vita proximi. Sic licet optare *mortem tyranni*, ut redeat pax et felicitas communis; pariter licet uxori optare *mortem* mariti, a quo citra spem emendationis durissime tractatur: nam salus uxoris temporalis maius vel saltem aequale bonum est, quam vita mariti. Pari modo uxor in hoc casu licite sibi ipsi mortem optare potest: *melior est enim mors, quam vita amara*¹⁾. Ratio horum est, quia etiam in hoc casu servatur ordo caritatis: cum enim quilibet se ipsum magis diligere debeat, quam proximum, licite praefert suum bonum minori vel aequali bono proximi sui.

c. Non licet proximo optare mortem propter *bonum temporale minoris momenti*, quam vita proximi, quia est contra rectum ordinem caritatis. Ideo non licet matri desiderare mortem filiae, quam propter deformitatem in matrimonium collocare non potest; nec licet filio desiderare mortem patris, quo citius adire possit hereditatem. Pari modo non licet citra *peccatum* sibi mortem optare propter quotidianas huius vitae misérias.

Nota. In eiusmodi autem desideriis cavendum est, ne voluntas directe et immediate tendat in malum proximi, sed in bonum, propter quod malum optatur: alias enim voluntas actum in se malum eliceret optando malum proximi ut eius malum, non ut desiderantis vel alterius bonum est.

Articulus secundus.

De gaudiis pravis.

297. Notiones. *Gaudium* hic accipitur pro deliberata complacentia in re mala sive a se sive ab aliis peracta; refertur ergo ad rem praeteritam, ad opus malum patratum, quod voluntati placet. Ad gaudium revocatur *iacrantia* de peccato commisso.

2. Obiectum gaudii potest esse: a. ipsum *opus* malum peractum; b. *modus*, quo malum peractum est; c. *effectus*,

¹⁾ Eccli. 30, 17.

qui ex opere malo secutus est; *d.* opus malum *propter bonum effectum.*

298. Principia. 1. Gaudium *de ipso malo peracto* peccatum est eiusdem gravitatis et speciei atque ipsum malum peractum. Ratio *primi* est, quia actus internus gaudii malitiam accipit ab obiecto, cum sit approbatio rei malae, quae semper mala est, sive in se sive demum propter prohibitionem mala est, ut gaudere de blasphemia vel de coena die ieiunii sumta. Ideo gaudium grave vel leve peccatum est pro gravitate materiae. Ratio *secundi* est, quia voluntas approbat rem malam, prout patrata est; ergo induit etiam omnes malitias, quas novit cum re fuisse coniunctas.

Sicut gaudium de malo peracto, ita etiam *tristitia de bono peracto* peccatum est, et quidem

a. tristitia de bono peracto, quod sub gravi praeceptum erat, grave peccatum est;

b. tristitia de bono peracto, quod sub levi praeceptum erat, leve peccatum est;

c. tristitia de bono peracto, quod praeceptum non erat, e. g. de voto emisso, de suscepto sacerdotio, leve non excedit, dummodo retineatur voluntas implendi obligationem susceptam. Num leve peccatum sit, pendet a motivo, propter quod aliquis tristatur, utrum nempe rationale sit nec ne; ordinarie tamen eiusmodi tristitia rationabili motivo caret.

d. tristitia non de ipso bono peracto, sed de adiunctis bonae actionis e. g. de incommodo et labore peccatum non est.

Nota. Hinc poenitens in confessione explicare debet non solum obiectum desiderii et gaudii, sed etiam circumstantias speciem mutantem, modo cognitae fuerint, e. g. in gaudio de percussione clerici, in desiderio fornicandi cum consanguinea.

2. Gaudere non de opere malo, sed de modo, quo malum patratum est, non est peccatum: actus enim voluntatis in hoc casu fertur in obiectum, ut supponitur, bonum.

Gaudere licet de picturis vel comoediis obscenis propter artificium, quo exaratae sunt; de furto vel fraude propter singularem et ingeniosam astutiam; de narratione lubrica ob lepidum narrandi modum; de lapsu hominis ob ridicula, quae in lapsu acciderunt. Eiusmodi tamen gaudia periculo non carent, quia facilis est transitus a modo ad ipsum opus.

3. Per se licitum est gaudere *de bono effectu* operis mali, sive hoc materialiter sive formaliter malum fuit, quia actus voluntatis non fertur in rem malam, sed prae-cise in effectum bonum, etsi supponat opus malum.

Ideo licitum est filio gaudere de hereditate, quam ob homicidium sive voluntarium sive involuntarium consecutus est. Licitum est gaudere de exonerata natura vel de sedata tentatione, quae ex pollutione sive involuntaria sive etiam voluntaria secuta est. At vero periculosa sunt ista, quia ab effectu bono gaudium facile transire potest ad opus malum.

4. Non licet gaudere *de ipso opere malo*, quod bonum effectum habuit, licet autem gaudere de opere malo *propter bonum effectum*, qui ex eo secutus est, sive opus materialiter sive formaliter malum fuit. Ratio *primi* est, quia non licet approbare malum propter finem bonum, nec ideo malum opus bonum fit et dignum approbatione, quod bonum effectum producere potest vel reipsa produxit¹⁾. Ratio *secundi* est, quia obiectum gaudii non est ipsum malum, sed praecise haec eiusdem circumstantia, quod bonum effectum habuit. Etenim opus malum considerari potest secundum se et prout est causa boni effectus; si consideratur secundum se, non licet de illo gaudere, quodsi consideratur praecise, ut est causa boni effectus, licet de eo gaudere; sed hoc potius est gaudere de bono effectu causae malae.

Non licet gaudere de periurio, etsi materialiter tantum malo, quod alium a poena liberavit, nec de omissione ieiunii, etsi ex inadvertentia accidisset. Non licet gaudere de occisione hostis ecclesiae; licet autem gaudere, quod ex ea pax ecclesiae secuta sit. Non licet gaudere de peccato Adami, etsi magnum inde secutum sit bonum. Quodsi ecclesia canit: *O felix culpa*, hoc non est gaudium de peccato ipso, sed de peccato, quia et quatenus bonum effectum habuit.

¹⁾ Sunt, qui hoc idem illicitum esse demonstrent ex propositione 15. ab Innocentio XI. damnata: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas*. Verum ex hac propositione id iure inferri non potest, quia etiam ex alia ratione falsa est propositio, quia nempe gaudium filii repugnat ordini caritatis.

Nota. Quod desiderare licet, de eo pariter gaudere licet et vicissim; ergo licet gaudere de malo proximi, modo non laedatur ordo caritatis; sic licet matri gaudere de morte filioli ob felicitatem eius aeternam.

Articulus tertius.

De delectatione morosa.

299. Notiones. 1. *Delectatio*, prout hic accipitur, est complacentia voluntatis in bono apprehenso. *Delectatio moralitatem accipit ab objecto*, in quo voluntas sibi complacet.

Ratione obiecti distinguitur delectatio: *a.* de *re* cogitata et voluntati repraesentata e. g. de occisione inimici, de fornicatione; *b.* de *cognitione* rei, si scilicet non res ipsa, sed eius cognitio placet e. g. cognitio homicidii, fornicationis. Aliud sane est delectari de homicidio per imaginationem exhibito et aliud delectari de cognitione homicidii.

2. *Delectatio morosa* est libera complacentia in re mala per cogitationem vel imaginationem exhibita ut praesente sine desiderio illam faciendi: qui ergo morose delectatur, fingit sibi actum peccati e. g. furtum, tactum turpem et de illo actu sic repraesentato sibi complacet, ac si illum exequeretur, sine voluntate tamen illum exequendi. *Morosa* dicitur haec delectatio non a duratione complacentiae, sed quia voluntas in ea post advertentiam moratur, licet unico instanti; delectatio igitur morosa idem est ac *voluntaria*.

300. Principia. 1. Delectatio morosa de re mala peccatum est eiusdem gravitatis et speciei ac res ipsa mala per imaginationem repraesentata vel cogitata. Ratio est, quia delectatio morosa moralitatem tum theologicae tum specificae accipit ab objecto, circa quod versatur. Quare delectatio morosa gravis vel levis est, prout res cogitata, in qua voluntas delectatur, graviter vel leviter mala est, et delectatio de furto specie differt a delectatione de homicidio vel de fornicatione.

Et hic iterum apparet discrimen inter delectationem et cogitationem de re mala: delectatio enim de copula carnali prohibita semper est peccatum grave, non item de eadem cogitatio et imaginatio: si enim haec fiat ex fine honesto e. g. ad docendum, bona est, et si fiat ex curiositate, veniale peccatum est. Eiusmodi autem cogitationes de rebus obscenis semper periculosae sunt, eo quod facile provocant sensum venereum; et si quidem accedat delectatio (libera complacentia) de sensu venereo, qui ex cogitatione seu imaginatione obscena excitatur, non est delectatio morosa spiritualis, de qua hic sermo est, sed delectatio venerea, de qua alibi dicitur.

2. Delectatio morosa continet malitiam, quam res cogitata, quae placet, ex circumstantiis habet, *si circa ipsas versetur delectatio*; quocirca delectatio de occisione sacerdotis est mentale homicidium sacrilegum et delectatio de copula cum moniali est mentalis fornicatio sacrilega, si voluntas etiam de circumstantia sacerdotii et consecrationis delectetur.

Si ergo voluntas de circumstantiis, quae in obiecto malo cogitato reperiuntur, formaliter non delectatur, malitiam circumstantiarum non contrahit: cum enim non agatur de re mala opere iam peracta aut peragenda, sed solum de re cogitata, praecisione facta ab eius executione, non contrahitur malitia circumstantiarum, in quas voluntas explicita non feratur. Qui ergo in exemplo supra posito de circumstantia obiecti non delectatur, eam non contrahit et proinde in confessione satisfacit dicens: *delectatus sum de homicidio; delectatus sum de fornicatione.*

Quaestio sexta.

De peccatis capitalibus¹⁾.

301. Notiones. 1. Peccata capitalia non ideo dicuntur *capitalia* vel *mortalia*, quod essent peccata maxima aut semper mortalia, sed quia sunt veluti capita et fontes,

¹⁾ S. Thomas, De malo q. 8. Holzmann, Theologia mor. I. tr. 3. disp. 2. c. 5. Struggl, Theologia moral. tr. 2. q. 3. Ballerini-Palmieri I. n. 697—745.

ex quibus multa alia peccata oriuntur. Fontes autem peccatorum non sunt ut actus, sed potius prout sunt pravae passiones, ideo melius *vitia capitalia*, quam peccata capitalia vocantur.

Secundum doctrinam s. *Thomae* ex vitiis capitalibus tamquam *ex causa finali* alia peccata oriuntur. Cum enim obiectum, quod vitia capitalia inordinate appetunt, hominem vehementer alliciat ut divitiae, quas appetit avaritia, ad illud frequenter et abundanter assequendum multa et diversa media adhibet illicita, quae sunt totidem peccata ex vitio capitali exorta¹⁾.

2. Vitia capitalia post s. Gregorium magnum²⁾ et s. Thomam³⁾ communiter numerantur septem: *superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia*. De singulis ita agendum est, ut tam prout sunt vitia quam prout sunt peccata considerentur.

a. Septem vitia capitalia non ab omnibus eodem modo enumerantur: alii enim superbiam tamquam radicem omnium vitiorum considerantes sub ea adhuc septem recensent, quorum primum est ambitio, alii autem superbiam inter septem vitia capitalia recensentes ambitionem inter eius filias primo loco collocant.

b. Septem vitia voce memoriali *Saligia* comprehenduntur, cuius singulae litterae singula vitia ex ordine significant.

Articulus primus.

De superbia.

302. 1. **Superbia** definitur inordinatus appetitus propriae excellentiae. Superbia virtuti humilitatis per excessum opponitur.

a. *Inordinatus*: est enim propriae excellentiae etiam amor ordinatus, cum quis propria bona non aestimat plus, quam par est, aliisque praeferri desiderat, quia ad Dei gloriam et propriam vel aliorum salutem utile fore existimat.

b. Superbia eo oritur, quod homo excellentiam suam considerans nec advertens se illam a Deo habere, eam pluris facit, quam par est. Haec consideratio efficit, ut nimiam sui aestimationem concipiat, ipse

¹⁾ *S. Thomas* I. II. q. 84. a. 3. c.

²⁾ *Moralia* I. 31. c. 7.

³⁾ *Summa* I. II. q. 84. a. 4. c.

sibi placeat, se aliis praeferat, alios contemnat, excellentiam suam aliis manifestare, ab eis honorari, laudari atque eis praeponi cupiat.

2. *Superbia completa* est peccatum ex toto genere suo mortale; *incompleta* est peccatum ex toto genere suo veniale.

a. *Superbia completa* ea est, qua quis ita vult excellere aliisque praeponi, ut nemini subesse velit, nec superioribus nec ipsi Deo; talis est *superbia diaboli*. Haec continet directam (non solum indirectam et virtuaalem) aversionem a Deo et propterea pertinet ad peccata omnium gravissima.

b. *Superbia incompleta* ea est, qua quis retenta subiectione erga Deum et superiores se pluris facit quam par est, et super alios excellere cupit, quos ut inferiores despicit atque contemnit. *Superbia incompleta veniale* peccatum est: nam inordinatus appetitus rei ex se indifferentis venialis est. *Per accidens* autem grave peccatum esse potest, si nimirum coniuncta est cum gravi iniuria aliorum, vel si inducit ad alia peccata gravia committenda.

3. *Superbia non immerito omnium peccatorum mater* dicitur, quia inordinatus amor propriae excellentiae ad quaelibet peccata movere potest: sunt tamen quaedam peccata, quae peculiari sensu *superbiae filiae* dicuntur, quatenus *superbia* propemodum naturali necessitate ad ea inducit. Sunt haec, quae sequuntur:

a. *Praesumptio*, quae est appetitus aggrediendi aliquid supra vires. Haec per se venialis est, nisi quis per imperitiam suam se exponat periculo gravi iniuriae Deo vel proximo inferendae, ut si quis absque sufficienti peritia cupit exercere munus parochi, medici, iudicis etc.

b. *Ambitio*, quae est inordinatus appetitus honoris et dignitatis non debitae, ut si quis ambit officium, quo indignus est. Dignitatem autem vel honorem sibi convenientem cum moderatione et ex bono fine appetere, non est peccatum, sed actus *magnanimitatis*.

c. *Vana gloria*, quae est inordinatus appetitus manifestationis propriae excellentiae sive verae sive fictae, ut

si quis inordinate laudem quaerit, de aliorum humiliatione gaudet. Non committit vitium vanae gloriae, qui ob finem honestum excellere nititur e. g. ut ad officium postea gerendum aptus fiat, ut parentibus placeat, ut propositum praemium obtineat. Dicitur *vanitas*, si quis laudem et honorem quaerit ex bonis minoris momenti e. g. ex opibus, ex forma corporis, ex vestibus etc.

Triplici modo vana gloria se manifestat:

a. *Iactantia*, quae est inordinata manifestatio propriae excellentiae per verba.

β. *Ostentatione*, quae est inordinata manifestatio propriae excellentiae per facta vel signa;

γ. *Hypocrisis*, quae est inordinata manifestatio propriae excellentiae per simulatas virtutes.

Articulus secundus.

De avaritia.

303. 1. **Avaritia** definitur inordinatus appetitus bonorum temporalium (i. e. bonorum fortunae). Avaritia virtuti *liberalitatis* per defectum opponitur.

a. *Inordinatus* est amor divitiarum, si non regitur *fine debito* atque honesto, qualis est ad providendum necessitatibus familiae, ad benefaciendum aliis etc.; insuper si *nimia sollicitudine* acquirendi divitias vel *nimia parsimonia* laeditur modus a ratione in his rebus praescriptus.

b. Vitium avaritiae aequè in paupere atque in divite reperiri potest, cum uterque rebus possessis nimio affectu inhaerere vel possidenda nimio desiderio optare possit.

2. Avaritia est peccatum *ex toto genere suo veniale*: excessus enim in re alias indifferenti et licita venialis est; atqui amor bonorum temporalium ex se indifferens est.

Avaritia potest fieri mortale peccatum, si non sola liberalitas, sed etiam alia virtus laeditur e. g. iustitia vel caritas proximi, ut si homo adeo inordinate amat divitias, ut propter eas e. g. ditescendo ex alienis legem Dei violet aut negando debitam eleemosynam officiis erga proximum desit.

3. Avaritia duobus modis committitur: *a.* excedendo in retinendis bonis acquisitis (Geiz); *b.* excedendo in cura et sollicitudine nova bona acquirendi (Habsucht).

4. Avaritiae *filiae* recensentur potissimum quinque:

a. *Obduratio cordis* erga pauperes, quos avarus dure alloquitur, absque misericordia vacuos repellit et cum rigore ab eis debita exigit, etsi solvendo impares sint.

b. *Inquietudo cordis* e. g. vehemens et inordinata applicatio mentis ad divitias acquirendas et conservandas cum inani timore, ne non acquirantur vel perdantur.

c. *Fraus*, quae est deceptio alterius facto peracta, ut cum in rebus vendendis adulterantur pondera et mensurae.

d. *Dolus*, qui est deceptio alterius verbis peracta.

e. *Proditio*, quae est deceptio alterius contra fidem datam in eius damnum peracta.

Articulus tertius.

De invidia¹⁾.

304. 1. **Invidia** est tristitia de bono alterius, quatenus hoc apprehenditur ut diminutivum propriae excellentiae e. g. honor socii ut invidentis dedecus. Directe adversatur caritati, quae de bono proximi gaudet, quod bonum invidus destructum optat et non destructum dolet.

Differt *α.* ab *aemulatione*: aemulus enim non tristatur de bono proximi, sed tristatur de proprio malo, quia caret illo bono, quod videt in alio; *β.* ab *odio*, quo quis tristatur de bono alterius, quatenus eius bonum est; *γ.* ab illa *tristitia*, quam quis habet de bono alterius, quatenus inde sibi aliquod malum timet, si quis e. g. tristatur de elevatione alterius, quia inde sibi oppressionem timet; *δ.* ab *indignatione*, qua quis tristatur de bono alterius, quatenus hic illo bono indignus est. Haec per se non est peccatum; fieri autem potest peccatum, si repugnat providentiae divinae, quae ob certos fines etiam peccatoribus bona tum temporalia tum supernaturalia largitur.

2. Invidia oritur *ex superbia*, quatenus adeo inordinate aliquis amat propriam excellentiam in aliquo bono sive vero sive ficto, ut nolit eiusmodi bonum possideri a

¹⁾ De *luxuria* in fasciculo agitur separatim edito: *De sexto praecepto* etc.

proximo suo. Invidia solet esse in iis, *qui aequales* vel fere aequales sunt, quia gloria eorum, qui multum excellunt, non solet apprehendi ut diminutio propriae excellentiae. Et licet alii aliis sint natura magis proni ad invidiam, tam alte tamen omnibus insitum est hoc vitium, ut aliqui motus primi invidiae reperiantur etiam in viris perfectis.

3. Invidia est peccatum *ex genere suo mortale*: nam repugnat caritati; peccata autem contra caritatem ex genere suo gravia sunt. Admittit tamen parvitatem materiae. Ut invidia grave peccatum sit, requiritur: *a. ut ad magnum proximi bonum sive corporale sive spirituale referatur*; *b. ut invidus serio velit proximum eo carere, ne ipse subeat fictam imminutionem proprii boni.*

Quo maius bonum est, de quo alteri quis invidet, eo maius est peccatum invidiae: ideo gravissimum invidiae peccatum illud est, quo quis proximo invidet ipsa bona spiritualia: dona spiritus s., gratiam, virtutem, sanctitatem.

4. Invidiae *filiae* numerantur quinque sequentes: *odium, susurratio, detractio, exultatio* in adversis, *afflictio* in prosperis proximi.

Dum invidus de bono proximi tristatur, quatenus illud apprehenditur ut causa proprii mali, oritur in ipso desiderium, quod proximus illo bono excidat; ideo conatur illud diminuere vel penitus destruere per malas de proximo oblocutiones, quae si sint occultae, vocantur *susurratio*, et si sint manifestae, *detractio*. Quodsi hunc finem consequatur, *exultat*, si non consequatur, *affligitur* et tristatur, quae tristitia, si duret, generat *odium*.

Articulus quartus.

De gula.

305. 1. Gula est inordinatus appetitus cibi et potus.

a. Gulae inordinatio in eo consistit, quod modus a ratione in usu cibi et potus praescriptus non servetur.

b. Gula generice accepta opponitur duabus virtutibus, quae ad temperantiam pertinent: *abstinentiae*, quae moderatur usum cibi et potus non inebriativi, et *sobrietati*, quae moderatur usum potus inebriativi seu alcoholici. Gulae ergo duae sunt species: *comessatio* seu gula specificè accepta et *ebrietas*, quae sunt peccata specificè distincta.

2. Gula quinque modis peccari potest, qui iam a s. *Thoma* hoc versiculo comprehenduntur:

*Praepropere, laute, nimis, ardentem, studiose*¹⁾.

Inordinatio enim in usu cibi et potus versari potest aut circa ipsum cibum aut circa illius sumtionem et quidem:

a. Circa *substantiam* cibi, si appetuntur cibi pretiosiores et exquisitiores, quam statui et conditioni determinati hominis conveniat: *laute*.

b. Circa *quantitatem*, si ultra naturae appetitum comeditur i. e. plus, quam ad bonam corporis valetudinem et ad mentis convenientem dispositionem requiritur: *nimis*.

c. Circa *qualitatem*, si adhibetur praeparatio ciborum ob condimenta et eiusmodi nimis delicata et exquisita: *studiose*.

d. Circa *sumtionem ratione modi*, si quis nimis avide et voraciter comedat: *ardenter*.

e. Circa *sumtionem ratione temporis*, si quis debitum tempus praevenerit aut saepius, quam par est, comedat et bibat: *praepropere*.

3. Gula est peccatum *ex genere suo leve*: ex generali enim regula excessus in re alias indifferenti vel licita per se non est nisi venialis. Per accidens autem gula fieri potest mortalis, idque multipliciter praesertim vero:

a. Ratione laesae caritatis Dei, eo quod homo adeo inordinate amat delectationes cibi et potus, ut eas finem ultimum constituens paratus sit potius praecepta graviter obligantia contemnere quam his delectationibus renuntiare. Hi sunt, *quorum Deus venter est*²⁾.

b. Ratione gravis damni in corpore, si quis advertenter per nimiam ingluviem graviter laedat sanitatem corporis.

c. Ratione gravis damni in anima, si quis advertenter per excessum in cibo et potu se ineptum reddat ad exsequenda officia sub gravi obligantia.

α. Grave peccatum non est, *gulae indulgere usque ad vomitum*: aliud enim non habetur nisi excessus, utique enormis, in usu delectationis ex cibo et potu; atqui iste excessus ex genere suo venialis est, nisi accedat circumstantia speciem mutans.

β. Etsi grave peccatum sit sine necessitate vesci carne humana, tum quia id repugnat pietati defunctis debitae, tum quia viam pandit caedibus humanis; in extrema tamen, necessitate famis id licitum

¹⁾ S. *Thomas* II. II. q. 148. a. 4.

²⁾ Phil. 3, 19.

esse videtur, quia in extrema necessitate quandoque licita evadunt, quae alias lege naturae prohibentur. At nunquam licet in hunc finem hominem occidere.¹⁾

4. Gulae *S. Thomas* quinque *filiis* enumerat:

a. *Hebetudo mentis* seu deordinatio rationis in eo sita, quod quis nec orare nec alia id genus praestare possit.

b. *Inepta laetitia* seu inordinatio appetitus.

c. *Multiloquium* seu inordinatio verborum.

d. *Scurrilitas* seu inordinatio exteriorum actuum, ad quos inepta laetitia inducit.

e. *Immunditia* seu inordinatio in corpore: ex saturitate enim oriuntur emissiones seminis, vomitus et aliae rerum superfluarum excretiones.

306. De temperantia servanda. In usu cibi et potus ratio modum praescribit, quem exigit finis, propter quem cibus et potus ab auctore naturae creatus est. Cibus autem et potus ad vitae necessitatem et sustentationem ordinatus est, ut nempe corpus in integritate et vigore conservetur et sic menti in functionibus suis apte inservire possit. Iam vero ad vitae sustentationem *necessarium* non illud solum dicitur, quod ad existentiam, sed etiam illud, quod ad convenientiam et commodum requiritur. Pari modo ad vitam *non necessarium* tum illud dicitur, quod corporis sanitatem et mentis idoneam dispositionem impedit, tum illud, quod ad convenientem vitae sustentationem non requiritur. Qui in usu cibi et potus *virtutem temperantiae* servat, tantum comedit et bibit, quantum ad convenientem vitae sustentationem requiritur, at nunquam sumit, quod corporis sanitati aut mentis idoneae dispositioni ad eius functiones exercendas praevidet obfuturum: hoc enim esset peccatum gulae. Iis vero, quae ad convenientem sustentationem non requiruntur, nec tamen mentis et corporis aptam dispositionem impediunt, ob iustas causas e. g. hospitalitatis, festivitatis, extraordinariae laetitiae etc., moderate utitur: his enim non laeditur temperantia nec peccatum gulae committitur¹⁾.

De ebrietate.

307. Notiones. 1. *Ebrietas passive* accepta significat defectum usus rationis ex nimio potu inductum, unde

¹⁾ *Lessius*, De iustit. l. 4. c. 3. n. 9 ss.

²⁾ Cf. *S. Thomas* II. II. q. 141. a. 6. *Lessius*, de iustit. l. 4. c. 1. n. 9 ss.

ebrius aliquis dicitur: ebrietas *active* accepta denotat ipsam potationem, quae hunc effectum inducit, et definitur: ~~voluntarius~~ excessus in potu ex sola voluptate usque ad violentam privationem usus rationis. Haec est peccatum, illa effectus peccati.

In potu: vini scilicet vel alterius liquoris inebriantis, quibus verbis a comessatione differt. *Ex sola voluptate*: si enim potus ex alia causa e. g. ratione medicinae, etsi usque ad privationem usus rationis sumeretur, non esset ebrietas. Ideo tamen non desinit esse ebrietas, quia ex potu non percipitur voluptas, modo potus non sumatur ex alio fine. *Violenta*: nam usus rationis modo *naturali* intercipitur per somnum et modo violento per nimium potum, quo fit, ut ebrius ne expergefactus quidem e somno uti possit ratione.

Ex quibus patet propriam ebrietatis malitiam non esse in sola privatione usus rationis, sed in hac privatione, quae adducitur modo violento absque sufficienti causa propter voluptatem potus¹⁾.

2. Ebrietas dicitur *perfecta*, si penitus aufert usum rationis, et dicitur *imperfecta*, si usum rationis penitus non aufert.

Ebrietate perfecta laborare censetur: *a.* qui amplius distinguere nescit inter bonum et malum: *b.* qui sequenti die non recordatur rerum notabilium, quas in ebrietate dixit aut fecit; *c.* qui prorsus insolita agit, quae integra mente agere non consuevit. Ebrietas erit imperfecta, si solummodo phantasia parumper turbata est, lingua titubat, pedes vacillant, oculi duplicata aspiciunt, obiecta per gyrum verti videntur, vomitus sequitur et eiusmodi.

308. Num intrinsecus mala sit. Ebrietatis seu nimiae potationis effectus immediatus est relaxatio nervorum et sopor sensuum, ex quibus tamquam effectus privatio usus rationis consequitur. Ebrietas seu nimia potatio usque ad soporem sensuum in se indifferens et eatenus mala est, quatenus inducit privationem usus rationis; quodsi inducitur sine necessitate solius voluptatis causa, mala est, quia violentam turbationem rationis sine causa inducere non licet, quando autem ex alio motivo honesto inducitur, mala non est, etsi causet turbationem rationis, modo damnum temporariae privationis usus rationis a bono,

¹⁾ *Lessius* l. 4. c. 3. n. 13 s.

propter quod illud permittitur, sufficienter compensetur et turbatio rationis non intendatur.

Simili modo philosophandum est de licitate opii, aetheris, chloroformii et similium: eorum nempe effectus immediatus est sopor sensuum, ex quo privatio usus rationis consequitur: porro sopor iste sensuum licite adducitur ad obtinendum effectum bonum satis gravem, etsi praeter intentionem sequatur effectus malus, violenta turbatio rationis. *

1. Ergo licitum est se inebriare ad *morbum depellendum* secundum consilium medicorum e. g. ad curandum morbum cholerae vel ad evacuandam vim veneni: id enim, quod in hoc casu intenditur et ex potatione immediate consequitur, est augmentum caloris in visceribus vel evacuatio virtutis malignae veneni; simul cum hoc effectu permittitur sopor sensuum et exinde turbatio rationis; temporaria autem turbatio rationis a bono intento compensatur.

2. Licet se inebriare vel uti chloroformio *ad leniendos vel non sentiendos dolores* e. g. in operatione chirurgica vel in partu difficili. Effectus immediatus, qui in hoc casu intenditur, est sopor sensuum et, quae exinde consequitur, mitigatio doloris; ex sopore sensuum aequae immediate, sed indirecte sequitur privatio usus rationis, haec autem a bono intento compensatur.

Quaeritur, num liceat uti chloroformio ad mitigandos ordinarios partus dolores. Dubium est, num haec causa sufficiens sit [tum ad permittendam turbationem rationis, tum potissimum ad adducendum periculum, quod tam matri quam proli ex usu chloroformii enascitur¹⁾.

3. Licet se inebriare *ad vitandam mortem*, quam quis alteri minatur, nisi se inebriet, excepto tamen casu, quo quis ebrietatem exigat in contemptum Dei vel in odium virtutis: cum enim inebriatio non in se mala ideoque ex iusta causa licita sit, sane licita est ad se liberandum a morte.

4. Licet se inebriare ad molestiam *insomniarum* (Schlaflosigkeit) depellendam sub hac condicione, quod

¹⁾ Cf. *Capellmann, Medicina pastoralis*⁹ (Aquisgrani. Barth. 1893) p. 40 s., qui censet in ordinario partu id *non licere*, cui tamen contradicit *Olfers Pastoralmedizin*² (Freiburg. Herder. 1893) S. 103.

Handwritten note: "The great totis - if you have no other means, at your disposal" (written in a cursive hand across the bottom of the page)

alia remedia innocua frustra adhibita fuerint, ebrietas vero ad conciliandum somnum utilis sit.

5. Non licet se inebriare *ad melancholiam pellendam* vel ad levandum moerorem, tum quia iste finis non est causa sufficiens permittendi turbationem rationis, tum quia alia praesto sunt media ad illum finem obtinendum. Attamen licitum est ob hanc causam usque ad hilaritatem bibere¹⁾.

309. Eius moralis malitia. 1. Ebrietas *perfecta* est peccatum mortale: *a.* sacra scriptura ebrietatem inter peccata mortalia recenset, eo quod docet eam a regno coelorum excludere²⁾; *b.* gravis est deordinatio violenter non solum usu rationis, sed etiam potestate propinqua ea utendi se privare, idque propter solam voluptatem: praecipuum enim bonum, quo homo a brutis distinguitur, illud est, ut possit uti ratione et ex praescripto rationis suas actiones dirigere; iam vero hoc bono se privare et ad brutorum condicionem se abiicere propter voluptatem, gravis deordinatio est.

a. Etiam perfecta ebrietas *admittit parvitatem materiae*; si quis igitur ad breve tempus (quod horam non attingit) sine necessitate se privat usu rationis, non committit grave peccatum. Attamen pro praxi haec nota vix ullius est momenti, quia praevideri vix potest potum non diutius horae spatio usu rationis esse privaturum.

β. Qui ita immoderate bibit, ut certo sequeretur perfecta ebrietas, nisi hunc effectum somno se committens effugeret, nihilominus graviter peccat: potatione enim non solum causam mali eamque totam ponit, sed manet etiam privatus potestate propinqua utendi ratione; attamen graviter non peccat, qui pharmaco impediat, ne ex immoderato potu usu rationis privetur.

2. Ebrietas *imperfecta* per se veniale peccatum non excedit; ad graviora tamen venialia ipsa pertinet, praesertim si deliberate committatur. Per accidens autem potest fieri gravis: *a. ratione scandali*, quod e. g. sacerdos daret etsi semel tantum, vel paterfamilias, si saepius semiebrius

¹⁾ Gobat apud Lacroix l. 5. n. 324.

²⁾ 1. Cor. 6, 10. Gal. 5, 21.

esset; β . *ratione damni*, quod aut sanitati aut familiae inferretur; γ . *ratione finis*, ut si quis biberet ad vehementiorem in se libidinem excitandam; δ . *ratione gravis tristitiae*, quae uxori, filiis, parentibus inde causatur.

a. Prudenter notat *Ballerini*: „dum confitetur quis ebrietatem, interrogandus erit, an plene usum rationis amiserit. Nam vulgo putant falsa opinione grave adesse peccatum, si ad vomitum vinum provocaverit“.

b. Ergo sine dubio grave peccatum est alios inducere ad ebrietatem; itaque α . ad aequales haustus aliquem provocare cum periculo ebrietatis; β . saepius propinare cum praevisione ebrietatis; γ . alium urgere ac veluti cogere ad bibendum cum periculo ebrietatis, etsi urbanitatis causa fiat. δ . Licet autem largum potum offerre et proponere convivis, qui ex eo inebriandi praevidentur, modo hanc cooperationem (remotam) sufficiens causa coonestet.

c. Num et quatenus imputari possint peccata in ebrietate commissa, alibi dicitur; hoc loco notetur: α . Ebrio non imputantur *contumeliae* in alios prolatae: cum enim ne ab iis quidem aestimentur, quos afficiunt, aptae non sunt, quae alterius honorem laedant. β . Sunt, qui hoc idem etiam de *blasphemiis* affirmant; communiter tamen haec sententia reiicitur, quia honor Dei exigit, ut etiam blasphemia materialis vitetur¹).

310. De ^{*}usu morphii²). 1. *Effectus*, quos usus morphii producit, pro diversa quantitate, quae sumitur, diversi sunt. Quod de morphio hic dicitur, valet etiam de *opio*, *cocaino* et aliis eiusmodi remediis.

a. In magna quantitate haustum, pari modo ac venenum, inducit mortem; in minore quantitate sumtum soporem sensuum et privationem usus rationis causat, qui quidem effectus ab ebrietate nihil differt; si tandem valde modica quantitas sumatur, ad pacandos nervos reficiendasque vires inservit.

b. Iniectiones morphii, quae sub cute in parva quantitate fiunt, ad leniendos dolores inserviunt et voluptatem quandam haud exiguam producant; quod si iniectiones istae subcutaneae in maiore quantitate per notabile tempus

¹) *Lehmkuhl* I. n. 745. *Ballerini-Palmieri* I. n. 731 ss.

²) Cf. *Olfers* l. c. p. 103 s. *Capellmann* l. c. p. 41 ss.

* all these sins have the same specific malice as drunk
however it is often only a grave venial sin of the time, to
use or abuse: detestable but it

iterantur, sanitati corporis graviter nocent, vitam notabiliter abbreviant et insuper vehementem morphii cupidinem provocant, quae difficilius quam ebrietas superari et praeterquam in nosocomiis in hunc finem erectis curari vix potest.

c. Effectus isti maligni non causantur nisi ex usu maioris quantitatis saepius iterato; paucae iniectiones modicae corpori vel animae vix quidquam nocent.

2. Ex his quoad *liceitatem* huius usus iam sequentia colliguntur.

a. Morphii usus adeo exiguus, ut alium effectum non producat nisi restaurationem virium et pacationem nervorum, manifesto licitus est.

b. Morphii usus moderatus, etiam sine iusta causa solum ad sedandam eius cupiditatem adhibitus, veniale peccatum non excedit, cum sanitati graviter non noceat nec notabilem vitae abbreviationem causet; morphio autem ea quantitate et frequentia uti, ex quibus notabile sanitatis et vitae detrimentum sequatur, grave peccatum est.

c. Morphii usus ea quantitate adhibitus, ut sensus sopiantur et privatio usus rationis sequatur,

α. sine iusta causa grave peccatum est, aequae atque ebrietas ex potatione vini orta;

β. ex causa proportionate gravi necessitatis vel utilitatis licitus est, e. g. ut infirmus in operatione chirurgica sine resistentia se permittat manibus chirurgi, ne infirmus sentiat acerbos dolores;

γ. in articulo mortis certe non licet, si moribundus nondum est ad bene moriendum dispositus; immo etiamsi ad mortem rite dispositus sit, tamen non licet, quia non adest ratio sufficiens moribundum privandi usu rationis: siquidem eo tempore usus rationis tantae utilitatis ac necessitatis est, ut nullo emolumento temporali compensari possit: moribundus enim careret meritis, quae tum ex doloribus patienter toleratis tum ex actibus perfectae conformitatis cum divina voluntate aliarumque virtutum lucrari posset;

NTB

δ. si in articulo mortis ob nimios dolores vel ex aliis causis timendus esset lapsus in peccatum, alii quidem censent id permitti posse, *Lehmkuhl* autem (n. 743) negat¹⁾.

Idem propterea censet sacerdotem moribundis assistentem praxi medicorum sopiendi moribundos non solum quoad illos, qui ad mortem nondum dispositi sunt, sed etiam quoad dispositos, in quibus non est periculum graviter peccandi, resistere debere; solum quoad moribundos, qui sunt in periculo graviter peccandi, illam praxim non positive permitti, sed silentio tolerari posse.

Articulus quintus.

De ira.

311. 1. Ira definiri solet inordinatus appetitus vindictae. Ira *mansuetudini* per excessum opponitur.

a. Ira igitur, prout vitium est, seu *iracundia* est passio appetitus sensitivi (irascibilis), quae in appetitu vindictae consistit.

b. Ira pro duplici elemento, quod continet, proprie duplicem inordinationem includit, alteram ex parte motus in appetitu irascibili seu ex parte excandescitiae, quae nimia est, alteram ex parte obiecti seu ex parte vindictae, quam appetit iusto maiorem vel ob causam iniustam. Utrumque elementum exhibet haec irae definitio, qua dicitur: *inordinatus animi motus vindictam inordinate appetentis*.

c. *Inordinatus*, quia tum passio seu motus irae tum appetitus vindictae ex se indifferens honestus et licitus esse potest, si e. g. parentes irascuntur ob culpas filiorum easque punitione vindicant.

2. Ira, prout est *inordinatus motus* appetitus irascibilis, est peccatum *ex toto genere suo veniale*: excessus enim in re indifferenti per se culpam venialem non excedit.

a. Haec ira committitur, quando quis excandescit de re, quae iram non meretur, vel ultra quam res meretur, vel saepius quam oportet.

b. Per accidens haec ira peccatum mortale evadere potest ratione enormis excessus naturam rationalem prorsus deturpantis, quando quis deliberate ita furiose agit, ac si esset ratione privatus.

¹⁾ Cf. *Lacroix* l. 5. n. 331. *Villada*, Casus conscientiae III. p. 309.

c. Tres species seu modi diversi huius irae assignantur: α . *rancor* (Groll), qui est ira, quatenus causat indignationem, aversionem et odium; β . *insania* (Tollheit), quae est ira, quatenus mentem rationis usu privat; γ . *furor* (Wuth), qui est ira, quatenus in enormes motus externos erumpit.

3. Ira, prout est *inordinatus appetitus vindictae*, est peccatum *ex genere suo mortale*: directe enim repugnat caritati vel etiam iustitiae, quia inordinate vel etiam iniuste proximo malum appetit; atqui peccata contra caritatem vel iustitiam ex genere suo mortalia sunt.

Haec ira committitur: α . cum quis ei appetit vindictam, qui eam non meretur, vel β . ultra quam meretur vel γ . non ad debitum finem, scilicet non ex zelo iustitiae, sed ex odio personae vel ad satiandum animum malevolum vel ex libidine vindictae etc.

Articulus sextus.

De acedia.

312. 1. **Acedia specialis**, prout est vitium capitale, est tristitia de bono divino scilicet de gratia et amicitia Dei.

a. *Acedia* late accepta est taedium seu tristitia de labore. Dividitur in naturalem et spiritualem (moralem). *Naturalis* est taedium seu tristitia de labore corporis ob eius difficultatem. Patet hanc acediam a defatigatione corporis et a defectu virium probe distinguendam esse. *Acedia spiritualis* dividitur in generalem et specialem seu capitalem. *Generalis* est taedium seu tristitia de rebus spiritualibus ob laborem in illis exercendis necessarium. Haec acedia non est peccatum speciale a peccato per transgressionem praecepti ex acedia commisso distinctum, ut si quis ex acedia omittit sacrum dominicale. *Specialis* est tristitia de bono divino i. e. de gratia et amicitia Dei, quippe quae per observationem mandatorum difficilem ac laboriosam acquirenda et conservanda sit.

b. Speciale vitium *speciali virtuti* opponatur oportet. Virtus, cui acedia opponitur, est *caritas Dei*: specialis enim effectus caritatis est gaudium de Deo seu de bono divino, acedia autem de bono divino tristatur, eo quod sine labore non acquiritur¹⁾.

¹⁾ Cf. s. *Thomas* II. II. q. 35. a. 3.

2. Accidia specialis est peccatum *ex toto genere suo mortale*, quia directe repugnat caritati divinae, a qua acediosus ob taedium laboris in ea conservanda necessarii recedit. Attamen venialis esse potest ex imperfectione actus. Ceterum haec pessima acedia non adeo frequenter committitur.

Iuvenis, qui eo tristatur, quod cogitur opera devotionis et virtutum peragere, quae non sunt praescripta, non committit peccatum speciale acediae nec graviter peccat; graviter autem peccat peccato speciali acediae, qui tristatur, quod aeternam beatitudinem per observationem mandatorum sibi comparare debeat, quod fidem catholicam ad praecepta difficilia obligantem cognoverit.

3. Praecipuae eius *filiae* numerantur quinque:

a. *Malitia*, qua quis odio habet bona spiritualia et vellet ea non esse.

b. *Rancor*, quo ii fastidio sunt, qui ad spiritualia inducunt.

c. *Desperatio* de salute.

d. *Torpor*, quo bona non cum debito fervore fiunt.

e. *Evagatio mentis*, qua quis in exercitio rerum spiritualium evagatur circa illicita.



Index rerum.

Numerus arabicus numerum marginalem indicat.

A.

- Abrogatio legis** : quid sit 173; v. **Lex**.
- Acedia** : quid sit; quale peccatum sit; eius filiae 312.
- Actus** hominis, humanus 26; elicitus, imperatus; externus, internus, bonus, malus; naturalis, supernaturalis 27; num actus interni praecipi possint 115; quid sit actus violentus 51.
- Actus humanus** : eius principia 27; cognitio ad eum requisita 28; eius imputabilitas 33; eius impedimenta 39; eius moralitas 54; unde derivetur 56; eius obiectum 57. 58; circumstantiae 59. 60; finis 62. 63; num sint actus indifferentes in individuo 73. 74; num actui externo conveniat propria moralitas 77.
- *moralis* : eius condiciones 65.
- *moraliter bonus* : eius condiciones 66 ss.
- *supernaturalis* : eius condiciones 78 ss.
- *meritorius* : eius condiciones 84 ss.
- Advertentia** : quid sit 28; plena, semiplena, distincta, confusa 28; quae ad peccatum requiratur 261; quae ad peccatum mortale 269; signa semiplenae advertentiae 269.
- Aequiprobabilismus** : quid doceat; qui eum defendant 217; non omnes eodem sensu illum defendunt 217; quatenus a probabilismo differat 217; quibus argumentis demonstretur 218; quomodo refutetur 219.
- S. Alphonsus de Ligorio** : quodnam systema morale defenderit 225 s.; eius opera moralia 227; eius auctoritas in re morali 227; num omnes eius sententias sequi possimus 228.
- Aureola** : cur concedatur; quotuplex sit 256.
- Avaritia** : quid sit; quale peccatum sit; quot modis committatur; eius filiae 303.

C.

- Causa mali:** quando licita sit 37 s.
- Causae a lege deobligantes:** eximentes et excusantes 149; quae sint excusantes 150; num liceat apponere causam eximentem, excusantem 152.
- *dispensationis:* necessariae sunt 160; internae, externae, motivae, impulsivae 161.
- Circumstantia actus moralis:** quid sit 59; quot sint 59; quatenus moralitatem tribuat actui 60; quotuplex sit 61.
- Clausulae revocatoriae:** generales et speciales 172; num auferant privilegia 172.
- Concupiscentia:** quid sit 43; quotuplex sit 44; eius influxus in actus humanos 45; quatenam resistentia motibus concupiscentiae opponenda sit 47.
- Congregationes romanae:** quae decreta condant 111; quomodo decreta approbentur 112; quae promulgatione indigeant 113; earum auctoritas 113.
- Conscientia moralis:** quid sit 181; quotuplex sit 184; eius vis obligandi 183; dictamen conscientiae 181.
- *vera et erronea* 185; principia 186; peccatum ex conscientia erronea commissum 186; quomodo dignosci possit, num conscientia poenitentis fuerit invincibiliter erronea 186.
- *laxa* 187; quid de peccatis eorum, qui conscientiam laxam habent 187.
- *perplexa* 188; regulae ab eo servandae, qui conscientiam perplexam habet 188.
- *scrupulosa:* quid sit 189; causae conscientiae scrupulosae 190; signa conscientiae scrupulosae 191; eius remedia 192; num sit obligatio agendi contra consc. scrupulosam 193; v. **Scrupulus, Scrupulosus.**
- *certa:* quid et quotuplex sit 194; principia 194; quomodo formari possit conscientia practice certa 198.
- *dubia:* quid sit 196; non licet agere cum conscientia practice dubia 198; duplex modus deponendi conscientiam dubiam 198.
- *probabilis:* quid sit 199; quotuplex sit 200.
- Consensus:** ad peccatum requisitus 261; ad peccatum mortale 270; ad peccatum veniale 264; signa semipleni consensus 270; qualis consensus ad legitimam *consuetudinem* requiratur 178.
- Consilia:** quid sint 101; quomodo differant a legibus 101; qui ea impugnent 102; num existant 102; evangelica quae sint 103.
- Consuetudo:** quid sit 175; quotuplex sit 176; consuetudo derogatoria differt a praescriptione 175; vis consuetudinis derogatoriae 177; condiciones requisitae 178; consuetudo obligatoria 179; condiciones ad eam requisitae 180; num lex auferat consuetudines contrarias 180.

- Consuetudo vitiosa:** num augeat voluntarium 46; num peccata ex ea commissa sint imputabilia 53.
- Contemptus legis:** formalis et materialis 289; quando peccatum ex contemptu commissum grave sit 289.

D.

- Declaratio:** comprehensiva, extensiva 113.
- Decreta congregationum romanarum:** eorum valor 113; *formiter* edi debent 112.
- Delectatio:** num licite intendi possit 71; quatenus agere propter solam delectationem peccatum sit 70.
— *morosa:* quid sit 299; quale peccatum sit 300; num contineat malitias obiecti 300.
- Deliberatio:** quid sit 72; quatenus ad actum moralem necessaria sit 72.
- Derogatio legis:** quid sit 173; v. **Lex.**
- Desiderium pravum:** quid et quotuplex sit 294; desiderium efficax quale peccatum sit 295; quando desiderium inefficax peccatum sit 295; num liceat proximo desiderare malum 296.
- Dictamen conscientiae:** quid sit 181.
- Dispensatio legis** v. **Lex.**
- Distinctio peccatorum** specifica, numerica v. **Peccatum.**
- Domicilium ecclesiasticum:** quid et quotuplex sit 126; quomodo acquiratur, amittatur 127.
- Dona Spiritus sancti:** num sint 21; quot sint 21; eorum natura 22.
- Dubium:** quid sit 196; differt a suspitione, opinione, certitudine 196; quotuplex sit 196; dubium negativum contemnendum est 198; duplex modus deponendi conscientiam dubiam 198.

E.

- Ebrietas:** quid et quotuplex sit 307; num intrinsecus mala sit 308; quando grave peccatum sit 309; num imputari possint peccata (contumeliae, blasphemiae) in ebrietate commissa 309; num liceat se inebriare ad evitandam mortem; ad morbum depellendum; ad leniendos dolores (partus); ad melancholiam pellendam 308.
- Elisio** v. **Probabilitas.**
- Epikia:** quid sit 135; quando licita sit 135. v. **Lex.**
- Episcopus:** potestatem legiferam habet 109; in quibus dispensare possit 156; quos dispensare possit 157.

F.

- Finis actus moralis:** quid sit 62; quotuplex sit 63; quatenus moralitatem tribuat actui 64.
— *ultimus hominis:* quis sit 12; primarius, secundarius 13; num supernaturalis 14; media ad finem ultimum 16; obligatio ad eum tendendi 24 s.; norma suprema moralitatis 55.

- Finis legis**, quando cesset adaequate, inadaequate; contrarie, negative 174; num cesset lex, si eius finis cessat 174.
- Fortitudo**: quid sit 249; eius obiectum, eius actus proprius 250; vitia fortitudini opposita 251: eius partes integrantes et potentiales 252; eius actus principalis est *martyrium* 253.

G.

- Gaudium pravum**: quid sit 297; quotuplex eius obiectum 297; quale peccatum sit 298: num peccatum sit gaudere *de modo*, quo malum patratum est 298, *de bono effectu* mali 298, de malo *propter bonum effectum* 298.
- Gratia facta et facienda**: quid sit, num expiret morte concedentis 108.
- Gula**: quid et quotuplex sit; quot modis committi possit; quale peccatum sit; eius filiae 305; num grave peccatum sit comedere usque ad vomitum 305; vesci carnibus humanis 305.

H.

- Habitus**: substantivus, operativus 229.
- *infusi* v. **Virtutes**.
- *peccandi* v. **Consuetudo**.
- Hypnosis**: num libertatem auferat 39.

I.

- Ignorantia**: quid sit 40; quomodo differat ab errore et inadvertentia 40; quotuplex sit 41; eius influxus in actus humanos 42; unde desumatur quantitas culpae in peccatis ignorantiae 42; num omnis ignorantia simpliciter vincibilis (non crassa) leve peccatum sit 42.
- Imperfectio**: quotuplex distinguatur 260.
- Imputatio, imputabilitas**: quid sit 33; effectus bonus in causa voluntarius non imputatur 34; sub quibus condicionibus imputatur effectus malus in causa voluntarius 35.
- Intentio**: actualis, virtualis, habitualis 30. 67; quatenam praedominans 30;
- Invidia**: quid sit; unde oriatur; quale peccatum sit; eius filiae 304.
- Involuntarium**: quid sit 31; quotuplex sit 31; differt a non voluntario 31; involuntarium secundum quid 30.
- Ira, iracundia**: quid sit; quotuplex sit; quale peccatum sit; eius filiae 311.
- Iudicium practicum**: quid sit 72; quatenus ad actum moraliter bonum necessarium sit 72; v. **Conscientia**.
- Iurisdictio**: quid sit 105; quo differat a potestate dominativa 105.
- *ecclesiastica*: quid sit 106; quomodo differat a civili 106; quotuplex sit 106; quando delegata subdelegari possit 107; num expiret morte delegantis 107.

lus: quid sit 240; quotuplex sit 241.

Iustitia: tripliciter accipitur 242; eius species 243; eius partes 247; commutativa 244; distributiva 245; legalis 246; socialis 246; vindicativa 246; commutativa inducit obligationem restitutionis, si laesa fuerit 248.

L.

Laxismus quid doceat; qui eum defendant; quomodo refutetur 208; quinam dicantur *laxistae* 208.

Lex: quid sit 88; differt a praecepto 89; quotuplex sit 90; quando obligare incipiat 130.

— *naturalis*: quid sit 91; continet triplicis generis praecepta 92; num ignorari possit 93; quatenus immutabilis sit 95.

— *antiqua*: quatenus abrogata sit 97; quando abrogata sit 97; num adhuc licite observari potuerit 97.

— *positiva divina*: quid sit 96; cur supernaturalis dicatur 98; quae praecepta contineat 98; quos obliget 99; quando obligare coeperit 99; num ecclesia in ea dispensare possit 100.

— *humana*: quis in ecclesia leges ferre possit 109; eius obiectum quomodo comparatum esse debeat 114 ss.; num praecipere possit actus internos 115; num actus heroicis 116; num se extendat ad actus praeteritos 117; num lex auferat consuetudines contrarias 180.

— *in praesumptione fundata*: quid et quotuplex sit 144; quam vim habeat 145.

— *poenalis*: quid sit 139; num condi possit 139; num existat 140.

— *irritans*: quid sit 141; quotuplex sit 142; num lex irritans civilis actum solum civiliter irritet 143.

Legis subiectum: in genere quodnam sit 118; quodnam sit in lege naturali, positiva divina, humana 119; num haeretici teneantur legibus ecclesiae 119; num lege sua teneatur ipse legislator 120; quatenus legibus ecclesiae teneantur pueri 121; regulares 123; peregrini 124; vagi 125; num clerici teneantur legibus civilibus 122.

— *promulgatio*: quid sit 128; num necessaria sit 128; a quo fieri debeat 128; quomodo fieri debeat 129.

— *acceptatio*: quid sit 131; non requiritur 131.

— *interpretatio*: quid sit 132; quotuplex sit 133; authentica et doctrinalis 134.

— *epikia*: quid sit 135; quando ea uti liceat 135.

— *obligatio*: pendet a voluntate legislatoris 136; unde eius voluntas cognoscatur 136; quotuplex esse possit 137; ad quid obliget lex 138; quomodo cessare possit 148.

— *impletio*: quomodo lex implenda sit 146; quando implenda sit 148; num eodem actu et eodem tempore pluribus praeceptis satisfieri possit 147.

Legis dispensatio: quid sit 153; quomodo differat a licentia et declaratione 153; quotuplex sit 154; quis dispensare possit 155; in quibus legibus 156; quis dispensare possit cum peregrinis 157; num episcopus religiosos exemptos 157; num habens potestatem dispensandi secum ipse dispensare possit 158; num s. pontifex in lege divina 159; num dispensari possit absens, invitus 157; num superior dispensare debeat 160; quid requiratur ad validam, quid ad licitam dispensationem 162; qui utitur dispensatione valida, sed illicite petita, non peccat 162; num liceat uti dispensatione extra dioecesim 166; dispensatio quadrupliciter cessare potest 163—166.

— *cessatio:* lex cessat abrogatione et derogatione 173; cessatione finis 174; v. **Finis**; consuetudine contraria 138 ss.

Legislator humanus: qua potestate indigeat 105; quomodo aliquis eius subditus constituatur 126.

M.

Mania: quando auferat peccatum 46.

Martyrium: quid et quotuplex sit 253; num infantes martyrii sint capaces 253; condiciones veri martyrii 254; num haeretici possint esse martyres 254; num milites in bello fidei interemti sint martyres 254; quae sit dispositio ad martyrium requisita 255; effectus martyrii 256.

Melancholia: num auferat culpam 46.

Meritum: quid sit 82; quotuplex sit 83; condiciones meriti condigni 84.

Metus: quid sit 48; quotuplex sit 49; eius influxus in actus humanos 50; num metus reverentialis possit esse gravis 49.

Moralitas: quid et quotuplex sit 54; eius norma proxima et remota 55; eius fontes 56; num *actus externus* propriam moralitatem habeat 77.

Morphium: eius effectus 310; quando eius usus licitus sit, num in articulo mortis 310.

Motus: primo primi, secundo primi, secundi 28, quaenam resistentia motibus concupiscentiae opponenda 47.

N.

Norma moralitatis: quid sit 54; proxima et remota 55; subiectiva 55.

O.

Obiectum actus moralis: quid sit 57; quotuplex sit 58; quatenus moralitatem tribuat actui 59.

Obligatio: tendendi in finem ultimum 24. 3; legis v. **Lex**.

Omissio: quatenus operis boni omissio peccatum sit 76.

- Opinio:** quid sit 199; opinio speculative probabilis non est semper practice probabilis 200; opinio tenuiter probabilis non est vere probabilis 200; opinio unice probabilis quid sit 200; opinio tuta, minus tuta, tutior 201; opinio vere probabilis 211; opinio probabilior, aequprobabilis, minus probabilis, probabilissima 201; quando opinio tutior eligenda sit 210; quid requiratur, ut opinio probabilis eligi possit 211; quando liceat uti opinione probabili 214; num etiam in casu legis cessantis 220.
- Ordo** naturalis et supernaturalis 15; physicus et moralis 66; moralis est norma proxima moralitatis 55.

P.

- Parochus:** num dispensare et potestatem dispensandi delegare possit 156.
- Peccatum:** quid sit 260; quatenus differat ab imperfectione 260; requisita ad peccatum 261; nullum est peccatum philosophicum 262; multiplex peccati divisio 263; peccati distinctio theologica 264; peccatum indeliberatum 274; quodvis peccatum offensa Dei 264.
- *mortale:* eius existentia et essentia 265; eius effectus 266; condiciones ad illud requisitae 268 ss.; in quibus peccatis detur parvitas materiae 268; signa semiplenae advertentiae 269; signa semipleni consensus 270; quomodo peccet, qui nil cogitat, utrum res gravis an levis sit 269; qui dubitat, utrum aliquid grave an leve sit 269; qui deliberat de peccato committendo 270.
- *veniale:* eius existentia 271; eius essentia 272; cur dicatur *veniale* 272; eius effectus 273; condiciones ad illud requisitae 274.
- *habituale:* quatenus ab actuali differat 267; in quo consistat 267.
- Peccatorum distinctio specifica:** num sint peccata specificè distincta 275; norma specificè distinguendi peccata 275 s.; num peccata commissionis et omissionis contra eandem virtutem sint eiusdem speciei 276; num peccata pluribus praeceptis circa eandem materiam opposita sint diversae speciei 276.
- *distinctio numerica:* ex duplici fonte derivatur 277; quando plures actus moraliter unum constituent 278; quando plura obiecta moraliter unum constituent 283; quando actus voluntatis moraliter interrumpantur 279; quando multiplicentur actus interni 280; actus exterius complendi 281; actus externi 282; actus interni ad plura obiecta relati 284; actus externi ad plura obiecta relati 285.
- *gravitas:* criteria discernendi peccata gravia et levia 286; peccata ex toto genere gravia, ex toto genere levia, ex genere suo gravia 286; diversa est peccatorum mortalium gravitas 287; quot modis peccatum grave fiat leve 288; quot modis peccatum leve fiat grave 289; num plura venialia constituent mortale 290.
- Peccati periculum:** quid et quotuplex sit 291; quatenus vitare teneamur grave, quatenus leve 292.

- Peccata interna:** quot distinguantur 293; num specie morali differant 293.
 — *capitalia:* cur ita vocentur 301; quot numerentur 301.
- Potestas legifera:** cui competat 109 s.
 — *dispensandi:* quid et quotuplex sit 155; cui competat 156; num sit late interpretanda 155.
 — *dominativa:* quid sit, quo differat a iurisdictione, unde oritur 105.
- Praecepta legis naturalis:** quotuplicis generis sint 92; v. **Lex.**
- Praesumptio:** quid et quotuplex sit 144.
- Principium theologiae moralis:** quid sit 10; quodnam sit principium supremum 23; v. **Theol. moralis.**
 — *probabilismi* 209.
 — *possessionis* 221.
 — *reflexa;* quid sint 223; quae sint universalialia 223; quae particularialia 224.
- Privilegium:** quid sit 167; quotuplex sit 168; quis concedere possit 169; cui concedi possit, quomodo concedi possit 169; num teneamur uti privilegio 170; quomodo interpretandum sit privilegium 171; quot modis cesset privilegium 172; num clausulae revocatoriae auferant privilegia 172.
- Probabiliorismus:** quid doceat, qui eum defendant, quomodo refutetur 207; quomodo probabilioristae forment conscientiam practice certam 207.
- Probabilismus:** quid doceat 209; qui eum defendant 209; eius demonstratio 213; eius usus 214; etiam in casu legis cessantis 220; quatenus ab ecclesia approbatus sit 213. *Probabilismus laxus* v. **Laxismus.**
- Probabilitas:** quid sit 199; quotuplex sit 200; probabilitas externa opinionem facit vere probabilem 212; quando maior probabilitas elidat minorem 211.
- Propensio naturalis:** num auferat voluntarium et peccatum 46.
- Propositiones damnatae:** quae ad rem moralem pertinent 9; earum commentarii 9. nota.
- Prudentia:** quid sit, eius obiectum, eius functiones 237; vitia prudentiae opposita 238; eius partes integrales, subiectivae et potentiales 239.

R.

- Reatus:** culpaee et poenae quid sit 266.
- Regula morum proxima et remota, subiectiva et obiectiva** 87. 183.
- Remorsus conscientiae:** quid sit 184.
- Resistentia tentationis:** quotuplex sit 47; quae et quatenus necessaria sit 47.

S.

- Scrupulus**, *scrupulosus*: quid sit scrupulus 189; scrupulus non aufert conscientiam practice certam 189; causae scrupulorum 190; signa 191; remedia 192; potissimum obiectum 193; modus agendi cum *scrupulosis* 193.
- Semivoluntarium**: quid sit 29; veniale peccatum non excedit 29.
- Superbia**: quid sit 302; completa et incompleta quale peccatum sit 302; eius filiae 302.
- Superiores regulares**: leges condere possunt 109; in quibus dispensare possint 156.
- Superiorissae monialium**: leges ferre non possunt nec dispensare, sed solum vi potestatis dominativae *praecipere* 109.
- Synteresis**: quid sit, quomodo differat a conscientia et a scientia morali 182.
- Systema morale**: ad quid iuret 202; quid sit 203; quot sint systemata moralia 204; systemata probabilistica et antiprobabilistica 204; licita, illicita 204; conspectus historicus 213; s. Alphonsi 226.

T.

- Taciturnitas**: quid significet 30; sensus axiomatis: *qui tacet, consentire videtur* 30.
- Temperantia**: quid sit 257; eius obiectum 257; vitia temperantiae opposita 258; eius partes integrales, subiectivae et potentiales 259; quomodo servanda sit 306.
- Tentatio peccandi**: quid sit 47; quae resistentia ei opponenda sit 47.
- Theologi**: eorum auctoritas in theologia morali 9.
- Theologia moralis**: eius natura 1. 2; est scientia theologica, practica 2; eius relatio ad ethicam, dogmaticam 4; methodus 5. 6; divisio 7; utrum sit doctrina de virtutibus an de officiis 2; eius fontes 8 s.; eius *principia*: quid sint 10. 11; eius supremum principium 23. v. **Principia**.
- Theses damnatae** v. **Propositiones damnatae**.
- Tristitia de bono**: quale peccatum sit 298.
- Tutorismus absolutus**: quid doceat, qui eum defendant, quomodo refutetur 205; *mitigatus*: quid doceat, qui eum defendant, quomodo refutetur 206; *pars tutior* quando sequenda 210.

V.

- Violentia**: quid sit 51; quotuplex sit 51; eius influxus in actus humanos 52; num possit cadere in voluntatem 51; quae resistentia ei opponenda 52.
- Vis** v. **violentia**.
- Virtus**: quid sit 229; quotuplex sit 230; eius subiectum 229; eius obiectum formale et materiale 229; *medium virtutis*: quid sit; quo-

- tuplex sit; quaenam virtutes habeant medium ex parte obiecti 231; nexus virtutum 232.
- Virtutes morales:** quae sint 230; habent medium ex parte obiecti 231; earum nexus 232; unde desumatur earum distinctio specifica 233.
- *cardinales:* quot et quae sint 234; earum obiectum et subiectum 234; tripliciter considerari possunt 236; earum partes annexae 235.
- *supernaturales:* num sint 17; quae sint 18. 19; quid operentur 20; quomodo differant ab acquisitis 20.
- *theologicae:* quid sint et quot sint, quando augeantur et amittantur 18.
- Voluntarium:** quid sit 29; differt a voluto, spontaneo, libero 29. 30; quotuplex sit 30; voluntarium secundum quid est voluntarium perfectum 30; num possit esse voluntarium pure negativum 32.
- *in causa:* quid sit 33; num agenti imputetur 34; sub quibus conditionibus 35; quando imputetur effectus malus 36.
- Vomitus:** num peccatum grave sit comedere usque ad vomitum 305.

Index.

Introductio.

	Pag.
Quaestio 1. De natura theologiae moralis	1
Quaestio 2. De fontibus theologiae moralis	7
Quaestio 3. De principiis theologiae moralis	11

Liber primus. De fine hominis ultimo.

Quaestio 1. De ipso fine ultimo	14
Quaestio 2. De mediis ad finem ultimum.	
Art. 1. De virtutibus supernaturalibus	18
Art. 2. De donis Spiritus sancti	22
Quaestio 3. De obligatione tendendi in finem ultimum	26

Liber secundus. De actibus ad finem aptis.

Quaestio 1. De actibus humanis.	
Art. 1. De natura actuum humanorum	28
Art. 2. De principiis actuum humanorum	32
§ 1. De cognitione requisita	32
§ 2. De voluntario et involuntario	33
§ 3. De voluntario in causa	40
Art. 3. De impedimentis actuum humanorum	47
§ 1. De ignorantia	48
§ 2. De concupiscentia	52
§ 3. De metu	58
§ 4. De violentia	60
Quaestio 2. De actibus moralibus.	
Art. 1. De essentia moralitatis	63
Art. 2. De fontibus moralitatis	66
§ 1. De obiecto	67
§ 2. De circumstantiis	69
§ 3. De fine	72

	Pag.
Art. 3. De actibus moraliter bonis	76
Art. 4. De extensione actuum moralium.	
§ 1. De actibus indifferentibus	85
§ 2. De moralitate actus externi	89
Quaestio 3. De actibus supernaturalibus	91
Quaestio 4. De actibus meritoriis.	
Art. 1. De natura meriti	97
Art. 2. De condicionibus meriti	99
Liber tertius. De legibus.	
Quaestio 1. De natura legis	103
Quaestio 2. De lege divina.	
Art. 1. De lege naturali	107
Art. 2. De lege positiva divina	112
Art. 3. De consiliis	117
Quaestio 3. De lege humana.	
Art. 1. De auctore legis humanae	120
§ 1. De iurisdictione ecclesiastica	121
§ 2. De legislatoribus humanis	124
§ 3. De auctoritate congregationum romanarum	127
Art. 2. De obiecto legis humanae	131
Quaestio 4. De subiecto legis.	
Art. 1. De ipso subiecto legis	136
Art. 2. De domicilio ecclesiastico	145
Quaestio 5. De promulgatione et acceptatione legis	149
Quaestio 6. De interpretatione legis et de epikia	153
Quaestio 7. De obligatione legis.	
Art. 1. De obligatione legis in genere	156
Art. 2. De obligatione legum specialium.	
§ 1. De lege poenali	160
§ 2. De lege irritante	162
§ 3. De lege in praesumptione fundata	165
Art. 3. De modo obligationem implendi	166
Quaestio 8. De cessatione obligationis.	
Art. 1. De causis deobligantibus	171
Art. 2. De dispensatione legis	175
§ 1. De potestate dispensandi	176
§ 2. De causis dispensandi	181
§ 3. De cessatione dispensationis	185
Art. 3. De privilegio	188
Quaestio 9. De cessatione legis	193
Quaestio 10. De consuetudine	195
Art. 1. De consuetudine derogatoria	196
Art. 2. De consuetudine obligatoria	200

Liber quartus. De conscientia.

	Pag.
Quaestio 1. De natura conscientiae.	
Art. 1. De conscientia in genere	202
Art. 2. De conscientia vera et erronea	205
Art. 3. De conscientia scrupulosa	208
Art. 4. De conscientia certa et dubia.	
§ 1. De conscientia certa	213
§ 2. De conscientia dubia	215
Art. 5. De opinione probabili	218
Quaestio 2. De systemate morali.	
Art. 1. De variis systematibus	221
§ 1. De tutorismo absoluto	223
§ 2. De tutorismo mitigato	224
§ 3. De probabiliorismo	225
§ 4. De laxismo	227
§ 5. De probabilismo	228
§ 6. De aequiprobabilismo	241
Art. 2. De principiis reflexis	247
Art. 3. De systemate s. Alphonsi	249
Art. 4. De auctoritate s. Alphonsi	252

Liber quintus. De virtutibus.

Quaestio 1. De virtutibus in genere.	
Art. 1. De natura virtutum	256
Art. 2. De distinctione virtutum moralium	261
Quaestio 2. De virtutibus cardinalibus	263
Art. 1. De prudentia	264
Art. 2. De iustitia.	
§ 1. De natura iustitiae	267
§ 2. De obligatione iustitiae	274
Art. 3. De fortitudine (de martyrio)	275
Art. 4. De temperantia	281

Liber sextus. De peccatis.

Quaestio 1. De natura et divisione peccati	284
Quaestio 2. De distinctione peccatorum.	
Art. 1. De distinctione theologica	285
§ 1. De peccato mortali	291
§ 2. De peccato veniali	296
Art. 2. De distinctione specifica	300
Art. 3. De distinctione numerica	303
Quaestio 3. De gravitate peccatorum	311
Quaestio 4. De periculo peccandi	318

	Pag.
Quaestio 5. De peccatis internis	320
Art. 1. De desideriis pravis	321
Art. 2. De gaudiis pravis	323
Art. 3. De delectatione morosa	326
Quaestio 6. De peccatis capitalibus	327
Art. 1. De superbia	328
Art. 2. De avaritia	330
Art. 3. De invidia	331
Art. 4. De gula (de ebrietate)	332
Art. 5. De ira	340
Art. 6. De acedia	341

Corrigenda.

- Pag. 32 lin. 28 et 29 delendae sunt.
 „ 119 lin. 5 necessaria lege necessariae.
 „ 199 Ad n. 178. 4. a. addendum est: Attamen non omnis error impedit consuetudinem contra legem.

A. M. D. G.





DE
MATRIMONIO.

AD USUM SCHOLARUM

EX

SUMMA THEOLOGIAE MORALIS

EXPRIMENDUM CURAVIT

H. NOLDIN, S. J.

S. Theologiae professor in Universitate Oenipontana.

Editio quinta.

CUM APPROBATIONE EPISCOPI BRIXINENSIS ET SUPERIORUM ORDINIS.



OENIPONTE.

TYPIS ET SUMTIBUS FEL. RAUCH (C. PUSTET).

1904.





Liber primus.

De matrimonio¹⁾.

Quaestio prima.

De natura matrimonii.

1. 1. Matrimonium Deus instituit in paradiso terrestri, ut constat ex verbis, quae Adam ex divina in-

¹⁾ *S. Alphonsus* l. 6. n. 831—1147. *Thomas Sanchez*, De sancto matrimonii sacramento (Antverpiae. 1626). *Basilii Pontius*, De sacramento matrimonii (Lugduni. 1640.). *Mich. Rosset*, De sacramento matrimonii (Parisiis. Roger et Chernoviz. 1895—1896). *Ios. Carrière*, De matrimonio (Parisiis. 1877). *Petrus Gasparri*, Tractatus canonicus de matrimonio² (Parisiis. 1892.) *H. J. Feije*, De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus³ (Lovanii. Peeters. 1885). *Julius de Becker*, De sponsalibus et matrimonio² (Bruxellis 1904). *Ballerini-Palmieri*, Opus theologicum morale³ (Prati. Giachetti. 1892). Vol. VI. De matrimonio. *Lehmkuhl*, Theologia mor.¹⁰ (Friburgi. Herder) II. trac. VIII. De matrimonio. *M. Matharan*, Casus de matrimonio (Parisiis. Victor Retaux. 1893). *Fr. Heiner*, Grundriss des katholischen Ehe-rechtes² (Münster. Schöningh. 1892). *Joseph Schnitzer*, Katholisches Ehe-recht⁵ (Freiburg. Herder. 1898). *Rud. v. Scherer*, Handbuch des Kirchenrechtes (Moser. Graz. 1898) II. S. 84—593. *M. Leitner*, Lehrbuch des katholischen Ehe-rechtes (Paderborn. Schöningh. 1902). *Fr. Wernz*, Ius decretalium IV. (Romae. Typogr. s. c. de prop. fide. 1904). Epistola encyclica Leonis XIII. *Arcanum* (De sacramento matrimonii) 10. Febr. 1880. Pro austriacis addenda est *Instructio* pro iudiciis ecclesiasticis (auctore Card. *Rauscher*) a quinque theologis romanis examinata et approbata.

spiratione pronuntiat: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una*¹⁾. Iam ab initio Deus matrimonium ita instituit, ut esset imago et repraesentatio tum unionis Verbi divini cum natura humana tum unionis Christi et Ecclesiae²⁾, et ab initio proprietate unitatis et indissolubilitatis illud insignivit. Postea vero matrimonium a primaeva sua institutione defecit: nam praeterquam quod post lapsum protoparentum coepit fieri etiam remedium concupiscentiae, amisit insuper praerogativam unitatis et indissolubilitatis, cum patriarchis per dispensationem concessa fuerit *polygamia*³⁾ et populo israelitico *libellus repudii*⁴⁾. Christus autem matrimonium sublata dispensatione polygamiae et libelli repudii primaevae suae dignitati et puritati restituit, illudque ad rationem sacramenti elevavit, ubi referens verba geneseos addidit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*⁵⁾.

a. Verba, quibus matrimonium instituitur: *Quamobrem relinquet* etc. ab auctore geneseos tribuuntur quidem Adamo; Adam vero ea solum inspirante Domino edicere potuit. Ideo Christus haec verba ipsi Deo tribuit⁶⁾. Matrimonii *unitas* atque *indissolubilitas* continentur verbis: *Et erunt duo in carne una*, ex quibus Christus Dominus infert: *Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet*.

b. Disputant quidem, utrum *libellus repudii* id effecerit, ut vinculum matrimonii solveretur, an solum id, ut coniuges impune se separare potuerint; sed praeferenda est sententia, quae tenet per libellum repudii solutum fuisse matrimonium, adeo ut utraque pars ad alias nuptias valide et licite transire potuerit⁷⁾.

2. Matrimonium dupliciter considerari potest, prout est *contractus* et prout est *sacramentum*. Etsi matrimonium

¹⁾ Gen. 2, 23, 24.

²⁾ Eph. 5, 22—33.

³⁾ Cf. Gen. 16, 1 ss. 25, 1: 29, 27.

⁴⁾ Deut. 24, 1 ss.

⁵⁾ Matth. 19, 6.

⁶⁾ Matth. 19, 4.

⁷⁾ Cf. *Pesch*, Praelectiones dogmat. VII. n. 772 ss.

rationem contractus habeat, a ceteris tamen contractibus in his potissimum differt: *a.* in ceteris contractibus contrahentes condiciones contractus pro arbitrio determinare possunt, in contractu vero matrimoniali tum obiectum tum condiciones tum etiam officia a iure naturae vel ecclesiastico ita determinatae sunt, ut arbitrio contrahentium immutari nequeant; *b.* ceteri contractus mutuo contrahentium consensu dissolvi possunt, contractus vero matrimonialis consensu contrahentium solvi nequit, adeo ut obligationes et onera vi contractus semel suscepta abiici non possint, quamdiu ambo contrahentes in vivis existunt; *c.* ceteri contractus mere profani sunt, contractus vero matrimonialis considerata sola natura sua *res sacra* est.

Matrimonium considerata sola rei natura, praescindendo a ratione sacramenti, rem sacram atque religiosam esse, patet *α.* quia immediate a Deo institutum est; *β.* quia est adumbratio unionis Verbi et naturae humanae, Christi et ecclesiae; *γ.* quia in Deum ordinatum est, eo quod institutum est ad perpetuandum genus humanum, quod ad Deum colendum et glorificandum destinatum est. Ideo populi antiquitatis cultiores matrimonium considerarunt ut rem cum religione et sanctitate coniunctam¹⁾.

Articulus primus.

De matrimonio ut contractus est.

2. Notio. *Matrimonium* prout *contractus* est definitur consensus, quo vir et mulier de iure habiles mutuo sibi ius in corpora tradunt in ordine ad actum coniugalem.

a. Sicut omnes alii contractus, ita et matrimonium considerari potest *in fieri* seu prout est *actus* voluntatis inducens statum coniugalem, et *in facto esse*, prout est *status* coniugalis per ipsum illum actum productus et definitur legitima coniunctio viri et mulieris ad perpetuam vitae consuetudinem.

b. *De iure habiles* dicuntur personae, quibus neque ex iure naturali neque ex iure positivo obstat impedimentum, quo eorum matrimonium reddatur invalidum aut illicitum, proindeque personae, quae valide et licite matrimonium inire possunt.

¹⁾ Cf. encyclica *Arcanum* circa medium.

c. *Ius in corpus*, quibus verbis significatur obiectum contractus matrimonialis, quod etiam innuit s. Paulus his verbis: *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*¹⁾.

d. *Essentiale obiectum contractus matrimonialis* est igitur ius et potestas in corpus, sed eatenus tantum, quatenus ex se aptum est ad actum coniugalem seu ad generandam prolem. Scilicet distingui debet α. ius et potestas in coniugis corpus, quatenus aptum est ad actum generationis, quod est ius utendi corpore ad actum coniugalem seu ius petendi debitum coniugale; β. usus seu exercitium iuris per ipsum actum coniugalem; iam vero primum ad *essentiale obiectum matrimonialis contractus* pertinet; alterum vero ad eius *essentiam* non requiritur, ideoque salva matrimonii *essentia* ab obiecto contractus matrimonialis excludi potest.

e. Quandoquidem ius in corpus suum quilibet coniugum alteri tradit, non solum contra castitatem, sed etiam contra iustitiam peccat, tum qui post initum matrimonium ipse abutitur corpore suo, tum qui alteri extraneo usum corporis sui concedit.

3. Fines matrimonii. *Fines matrimonii* alii sunt *essentiales* et *interni*, quos Deus in institutione matrimonii intendit, alii *accidentales* et *externi*, quos contrahentes praeter *essentiales* intendere possunt; *essentiales* iterum vel sunt *primarii* vel *secundarii*.

a. *Finis essentialis* primarius est procreatio et educatio prolis: *crescite et multiplicamini et replete terram*²⁾; *fines essentialis secundarii* sunt: mutuum vitae adiutorium tum in curanda re domestica tum in prole educanda tum in sancto amore praestando: *faciamus ei adiutorium simile sibi*³⁾, deinde sedatio concupiscentiae, quae non incitat ad illicita, si ei per actum coniugalem licite satisfit, id quod innuunt verba: *quodsi non se continent, nubant: melius est enim nubere quam uri*⁴⁾.

b. *Fines accidentales* complures fingi possunt e. g. ad pacem familiarum conciliandam, ad honorem familiae con-

¹⁾ 1. Cor. 7, 4.

²⁾ Gen. 1, 28.

³⁾ Gen. 2, 18.

⁴⁾ 1. Cor. 7, 9.

servandum, ad pacem inter consanguineos componendam, ad honores, divitias, licitas voluptates obtinendas etc.

α. Matrimonium ante peccatum protoparentum ordinatum erat *in officium naturae* i. e. ad liberos procreandos et educandos atque ideo ad conservandum et propagandum genus humanum; post eorum lapsum ordinatum est etiam *in remedium concupiscentiae* i. e. ad vitanda carnis peccata per usum matrimonii secundum leges rationis.

β. *Finis* primarius matrimonii etiam prout institutum est in officium naturae *non est profanus sed sacer*: finis enim primarius matrimonii est procreatio et educatio prolis; prolis autem finis adaequatus non est felicitas temporalis sed est Deus religione colendus et postea aeterna beatitudine possidendus et per hoc glorificandus; ergo finis matrimonii directus est generatio et educatio prolis ad Deum glorificandum. Atqui finis iste sacer est et religiosus. Ideo matrimonium illi potestati subicitur, cui cura ultimi finis vitae humanae demandata est i. e. potestati religiosae.

4. Bona matrimonii. Praeunte s. *Augustino*¹⁾ theologi triplex bonum matrimonii distinguunt: *a.* bonum *prolis*, quod in generatione et educatione prolis consistit; *b.* bonum *fidei*, quod in mutua fidelitate consistit, quam uterque coniux alteri servare debet, tum eo quod alteri usum corporis facit, tum eo quod nulli alteri istum concedit; *c.* bonum *sacramenti*, quod in inseparabilitate coniugum consistit. Indissolubilitatem matrimonium natura sua quidem habet, quia tamen per sacramentum ea confirmatur, bonum sacramenti dici solet²⁾.

Haec tria *bona* matrimonii *essentialia* sunt, quae scilicet ad matrimonii essentiam pertinent, ita ut sine illis matrimonium haberi non possit. Essentialia autem hoc modo sunt: *a.* *bonum prolis*, quatenus consistit tum in obligatione ita utendi matrimonio, ut proles generari possit, tum in obligatione prolem susceptam conservandi atque educandi; *b.* *bonum fidei*, quatenus consistit in obligatione proprium coniugem admittendi, omnem vero alium ab usu corporis excludendi; *c.* *bonum sacramenti*, quatenus consistit in indissolubili vinculo matrimoniali.

5. De consensu matrimoniali. Contractus matrimonialis mutuo consensu perficitur; consensus autem eas-

¹⁾ De bono coniug. I. 32.

²⁾ Cf. s. *Thomas*, Supplem. q. 49.

dem qualitates habere debet, quae ad contractum onerosum generatim requiruntur; debet esse: *a.* verus; *b.* liber; *c.* mutuus; *d.* signo sensibili expressus, quarum qualitarum si una desit, nullum est matrimonium.

1. *Verus* seu internus (non externus seu fictus tantum), quo coniuges sibi mutuo tradere et acceptare volunt potestatem in corpus in ordine ad generationem prolis; sufficit autem consensus implicitus, modo *nihil eorum excludatur, quae ad essentiam contractus matrimonialis pertinent.*

a. Qui *ficte* i. e. exterius tantum sine animo ineundi matrimonium *contrahunt*, invalide contrahunt, sive unus contrahentium sive uterque consensum fingit: deficiente enim consensu, etiam unius partis tantum, nullus est contractus.

b. Utrum *ficte* contrahens sacrilegium committat necne, ab eo dependet, utrum *ficte* contrahens sacramentum simulet necne. Complures auctores cum *s. Alphonso* (l. 6. n. 62) recte censent matrimonium simulari posse, quin simuletur sacramentum: ad simulationem enim sacramenti requiritur, ut aliqua saltem pars essentialis sacramenti ponatur; sed qui matrimonium simulat, nec materiam nec formam sacramenti ponit, quae in ipso consensu matrimoniali consistunt, quem *ficte* contrahens non elicit.

6. 2. *Liber* i. e. positus cum plena mentis advertentia et perfecto voluntatis consensu, quia contractus matrimonialis gravem obligationem inducit; nemo autem censetur ultro gravem obligationem in se suscipere, nisi plene et perfecte consentiat.

a. Qui ergo sive habitualiter sive actualiter i. e. eo tempore, quo matrimonium ineunt, *actus perfecte humani non sunt capaces*, nequeunt valide contrahere:

α. Infantes, perpetuo amentes et habitualiter semifatui, qui, etsi aliquem rationis usum habeant, non tamen ea deliberatione utuntur, quae ad peccatum mortale requiritur. Si tamen lucida intervalla habeant, in quibus actus perfecte humani capaces sunt, hoc tempore valide contrahere possunt.

β. Ebrii, semidormientes etc., qui ratione ebrietatis, somni etc. perfecto usu rationis carent; qui tamen aliqua monomania laborant, valide matrimonium inire possunt, modo usus rationis non sit circa matrimonium turbatus.

b. Qui sciunt quidem matrimonium esse societatem inter virum et mulierem ad habendos filios institutam, sed *ignorant, quo modo filii procreentur*, valide contrahunt, quia implicite in verum matri-

monium consentiunt: volunt enim societatem ad habendos filios institutam; ergo volunt etiam medium seu actum ad id necessarium.

7. 3. *Mutuus* i. e. ab utraque parte positus: contractus enim matrimonialis est contractus bilateralis onerosus, qui ex utraque parte obligationes imponit, sed non potest ex utraque parte inducere obligationem, nisi uterque velit: nemo enim per contractum obligari potest, nisi ipse velit.

a. *Mutuus* contrahentium consensus debet esse *simultaneus*, at non requiritur, ut sit physice simultaneus, i. e. ut ab utroque eodem tempore eliciatur, sed sufficit, ut moraliter simultaneus sit, i. e. ut unius consensus adhuc perduret, quando alter consensum suum exhibet: maiorem enim simultaneitatem et unionem quam hanc moralem, nec ratio contractus nec ratio sacramenti exigit. Non *ratio contractus*: etenim si unius consensus semel elicitus non fuerit revocatus, ideoque moraliter duret, alterius consensus se ei coniungere atque ideo mutuum consensum constituere potest. Non *ratio sacramenti*, quia sufficit, ut materia et forma simul coëxistant ea simultaneitate, quam exigit natura sacramenti; atqui natura huius sacramenti, quippe quod in contractu consistat, aliam simultaneitatem nisi moralem non exigit.

b. Ad quaestionem, quantum temporis spatium inter unius et alterius consensum intercedere possit, ut adhuc moraliiter simultanei censeantur, non una est auctorum responsio: alii enim censent quodcumque temporis intervallum, alii septennium, alii triennium, alii denique annum intercedere posse, quin impediatur moralis simultaneitas consensuum, modo prior consensus non fuerit revocatus nec pro determinato tantum tempore elicitus. Duo in hac re certa videntur: α . consensum per lapsum longi temporis tacite revocatum censi, nisi in aliquo effectu externo virtualiter perduret: β . quamdiu duret consensus semel elicitus, non absolute, sed relative determinandum esse, scilicet ratione habita adiunctorum particularium, quae efficiunt, ut consensus modo diutius, modo brevius perseveret¹⁾.

8. 4. *Signo sensibili expressus*: ad validum enim matrimonium ineundum tum ratione contractus tum maxime ratione sacramenti (quod essentialiter in signo sensibili consistit) non sufficit consensus internus, sed requiritur externus, signo sensibili manifestatus.

Determinatum autem signum ad valorem neque iure naturae neque iure ecclesiastico praescribitur; quare omnes

¹⁾ Cf. *Sanchez* l. 2. disp. 32. n. 6.

valide et, qui loquela carent, etiam licite contrahunt aliis signis e. g. annuli acceptatione vel manus porrectione. Cum tamen verba sint signum aptissimum, utpote prae aliis certum, ex usu et consuetudine ecclesiae non admittuntur alia signa praeter verba in iis, qui loquela instructi sunt.

Rubrica ritualis romani praecipientis, ut *verbis* consensus exprimat, sub levi tantum obligat, quare ex rationabili causa e. g. ex magna verecundia consensus alio signo manifestari posset.

9. Corollaria. Cum matrimonium natura sua sit contractus, de eo valet, quod de aliis contractibus valere demonstratur; itaque:

1. Matrimonium valide et ex gravi causa etiam licite *per litteras* iniri potest hoc modo, ut una pars litteras a comparte missas et consensum exprimentes coram paroco et testibus legat, et ipsa simul suum consensum exprimat.

2. Valet matrimonium initum *per procuratorem* sive unus sive uterque per procuratorem contrahit¹⁾: etsi enim ad validum matrimonium requiratur consensus proprius et personalis ipsorum contrahentium, hunc tamen consensum etiam per alium exhibere possunt. Licite autem solum ex gravi causa ab episcopo probanda per procuratorem contrahi potest²⁾.

Quatuor condiciones requiruntur, ut matrimonium per procuratorem iniri possit: *a.* ut procurator speciale mandatum acceperit cum persona determinata contrahendi: *b.* ut ipse per se, non per alium mandatum exequatur, nisi etiam ad hoc speciale mandatum habeat; *c.* ut mandatum non sit revocatum: etenim si mandatum revocatum est, matrimonium ex defectu consensus nullum est, etsi tum mandatarius tum altera pars, quacum contrahit, revocationem ignorent; *d.* ut mandatum paroco et testibus notum sit, alias matrimonium est clandestinum ideoque illicitum, quin et invalidum, ubi impedimentum clandestinitatis viget.

10. De matrimonio sub condicione inito. Nec natura contractus nec ratio sacramenti per se impedit,

¹⁾ C. Procurator fin. (9) *de procurat.* (I. 19) in 6^o, ubi recensentur etiam condiciones, sub quibus id fieri possit.

²⁾ Instructio n. 50.

quominus matrimonium sub condicione iniri possit, nisi *condicio substantiae matrimonii repugnet*; attamen matrimonia condicionata non nisi ex urgentissima causa admittuntur. De ipsis autem condicionibus, quae a contrahentibus privatim apponi possent, haec notanda sunt.

a. Condiciones *impossibiles et inhonestae* de futuro (*si digito coelum tetigeris — si patrem occides*) iure pro non adiectis habentur¹⁾: praesumitur enim eas non esse serio accipiendas. Quodsi certo constaret eas serio adiectas esse, condicio quidem impossibilis matrimonium reddit nullum, condicio autem inhonesta efficit, ut matrimonium impleta condicione valeat, condicione autem non impleta invalidum sit: praesumptio enim cedit veritati.

Ratio huius dispositionis iuris, vi cuius matrimonium in hoc casu potius validum praesumitur, quam invalidum, est, quia haec dispositio cedit in favorem matrimonii: cavetur enim periculum solvendi matrimonium forte validum et aliud contrahendi invalidum, si nempe consensus reipsa adfuisset.

b. Si condiciones (*etiam inhonestae*) de praeterito vel de praesenti adiectae sunt (*duco te, si pater tuus mortuus est — duco te, si es filia Sempronii*), valet matrimonium condicione verificata, condicione autem non verificata matrimonium est invalidum.

c. Si condiciones *possibiles et honestae* de futuro adiectae sunt (*duco te, si pater tuus consentiet*), matrimonium suspenditur; si non impletur condicio, nullum est, impleta autem condicione validum fit, sive contrahentes sciunt sive nesciunt condicionem impletam esse. Interim vero tenentur expectare condicionis eventum, nec licet uni, altero invito, revocare consensum.

In praxi a condicione explicita, a qua pendet consensus matrimonialis, probe distingui debet *explicita suppositio* (causa), quae in forma condicionis exprimitur. Bertha e. g. inducit Caium ad matrimonium secum ineundum falso asserens ipsum esse patrem prolis, quam gestat. Iam si Caius dicat: *sumo te, si (quia) pater sum prolis*, haec verba non tam condicionem quam suppositionem expriment. Videlicet Caius hisce non intendit matrimonium condicionatum inire, sed potius

¹⁾ C. Si condiciones fin. (7) *De condicion. appos.* (IV. 5).

intendit matrimonium absolute inire, *supponens se esse patrem prolis*. Haec verborum interpretatio ideo potissimum admittenda est, quia fideles de matrimonio condicionato vix quidquam sciunt.

Num impleta condicione de futuro requiratur novus consensus. — Certe requiritur novus consensus, si alterutra pars interim consensum revocavit; quodsi consensus revocatus non fuit, matrimonium impleta condicione fit validum, quin renovetur consensus: nulla enim est ratio de matrimonio aliud statuendi ac de aliis contractibus, quia Christus rationem contractus non immutavit, cum illum ad rationem sacramenti elevaret. Nihilominus suaderi potest, ut renovetur consensus.

Hanc doctrinam, canonistis eam passim concedentibus, complures moralistae impugnant, quorum doctrinam s. Alphonsus (n. 895) probabilem habet. Verum cum nullo iure quoad matrimonium statuatur exceptio, tenendum est matrimonium aequae atque alios contractus sub condicione initos sine novo consensu validum esse.

11. De condicionibus, quae adversantur substantiae matrimonii¹⁾. Sicut tria sunt bona essentialia matrimonii, ita pariter tres distinguuntur obligationes eius essentialia et tres condiciones, quae iisdem obligationibus et proinde etiam substantiae matrimonii adversantur: *a.* si generationem evites; *b.* si te adulterandam trades; *c.* nisi te ditiozem reperiam.

1. Matrimonium initum cum condicione, quae sit *contra essentialem obligationem matrimonii*, invalidum est: etenim sine essentialibus obligationibus matrimonium existere nequit.

a. Qui contrahit sub condicione, qua se obligat sive ad non utendum matrimonio nisi modo onanistico sive ad procurandum abortum, proindeque ad generationem frustrandam vel impediendam, invalide contrahit, quia condicio apposita contraria est *bono prolis*.

a. Qui de *partiali frustratione generationis* conveniunt, una nempe alterave prole suscepta non nisi onanistice congregiendi, valide contrahunt, si hac condicione non ipsam obligationem rite congregiendi,

¹⁾ C. Si condiciones fin. (7) *De condicion. appos.* (IV. 5).

sed solum voluntatem obligationem susceptam implendi excludere intendunt. Quod hac condicione ipsam obligationem rite utendi matrimonio excludere intendunt, invalide contrahunt: ad essenziale enim obiectum contractus matrimonialis pertinet obligatio perpetua, non solum temporanea, actum coniugalem peragendi iuxta naturam. Si intentio contrahentium dubia esset, in praxi renovari deberet consensus.

β. Matrimonium sub condicione initum *filios educandi in haeresi*, non est invalidum: haec namque condicio est quidem contra bonum spirituale, non autem contra bonum naturale prolis; sed solum condicio, quae est contra bonum naturale prolis, adversatur substantiae matrimonii, quippe quae obligationem involvat ad actus, quibus proles generari et physice, non pie et sancte, educari possit.

b. Qui contrahit sub condicione, qua excluditur ius in corpus alterius, item qua alterutri vel utrique conceditur ius vel imponitur obligatio cum aliis se committendi, invalide contrahit, quia condicio apposita est contra *bonum fidei*.

Condicio contractui matrimoniali expresse adiecta *servandi virginitatem* seu nunquam utendi matrimonio, non invalidat matrimonium, quia eius substantiae non repugnat: hac enim condicione apposita contrahentes non excludunt mutuum ius in corpus, sed tradito hoc iure eiusdem usui renuntiant. Et sane, qui contrahit sub condicione servandae virginitatis acquirit ius in copulam, sed simul obligationem induit non utendi hoc iure seu copulam non exigendi; altera vero pars eo ipso libera evadit ab obligatione reddendi copulam et simul obligationem assumit copulam non reddendi¹⁾.

c. Qui contrahit sub condicione in certo aliquo eventu e. g. adulterii, discordiarum etc. solvendi vinculum matrimoniale, invalide contrahit, quia condicio adiecta est contra *bonum sacramenti*.

Ex his non sequitur invalidum esse *matrimonium graecorum*, qui decet propter adulterium solvi matrimonium, vel *haeticorum*

¹⁾ Cf. Zeitschrift für k. Theol. XXVII (1903) S. 719. Quoad matrimonium *b. virginis Mariae cum s. Iosepho* certum est inter ipsos intercessisse verum matrimonium; pariter certum est eos iam ante matrimonium emisisse votum perpetuae virginitatis proindeque contraxisse sub condicione servandae virginitatis. Verum cum certum non sit eos hanc condicionem in pactum deduxisse et expresse contractui matrimoniali apposuisse, ex eorum matrimonio nequit desumi argumentum ad confirmandam doctrinam expositam.

et infidelium, qui putant matrimonium in certis adiunctis solubile esse, et ideo contrahunt cum animo illud in certo eventu solvendi; condicio enim solvendi matrimonium non deducitur in pactum neque ulla ratione exterius manifestatur. Scilicet hi omnes in contrahendo matrimonio duas intentiones habent, alteram contrahendi verum et validum matrimonium, et alteram contrahendi matrimonium solubile; haec autem secunda intentio per priorem utpote praevalentem destruitur, atque ideo valide contrahunt. Cum hac doctrina concordat praxis ecclesiae, quae acatholicorum matrimonia propter eiusmodi errorem nunquam habuit irrita et nulla.

2. Ut invalidum sit matrimonium initum sub conditione, quae eius substantiae repugnet, requiritur, ut condicio *in pactum deducatur* seu expresse contractui matrimoniali ab utroque contrahente apponatur.

a. Si ab uno tantum contrahente eiusmodi condicio apponatur altero contradicente, et ille nihilominus contrahat, eo ipso a prava conditione recessisse praesumitur. Si tamen reipsa haberet intentionem excludentem essentialem aliquam obligationem, matrimonium in foro interno esset nullum, quia sine vero interno consensu contractus matrimonialis fieri non potest.

b. Qui contrahit cum intentione *non servandi obligationes matrimoniales*, ergo non generandi, adulterandi, negandi debitum etc., illicitè quidem contrahit, sed tamen valide, quia solum propositum habet non implendi obligationes susceptas. Item si condiciones turpes, quae essentiae matrimonii non adversantur, in pactum deducantur, matrimonium non fit invalidum.

Nota. *Matrimonium s. Iosephi (Josephsehe)*, quod dicitur, est matrimonium initum ad exemplum matrimonii s. Iosephi et beatæ v. Mariae, nimirum cum voto perpetuae et perfectæ castitatis. Ut eiusmodi matrimonium iniri possit, haec requiruntur: *a.* votum castitatis perpetuae mutuo consensu emissum; *b.* animi propositum contrahendi verum matrimonium i. e. acquirendi omnia iura veri coniugii, praesertim ius utendi corpore alterius partis; *c.* voluntas in perpetuum cedendi usui iuris in alterius corpus per matrimonium acquisiti; *d.* moralis certitudo, quod exclusum sit periculum peccandi.

12. Personae de iure habiles ad valide et licite contrahendum sunt vir et femina nullo impedimento dirimente vel impediendo obstrictae. De impedimentis quidem infra sermo erit; hic solum quaeritur, *num validum sit matrimonium, si a contrahentibus a. ignoratur b. dubitatur c. falso putatur adesse impedimentum dirimens.*

1. Si reipsa adest impedimentum dirimens, etsi ignoratum ab uno vel ab utroque contrahentium, matrimonium est nullum, quaecumque est ignorantia sive iuris sive facti: ignorantia enim excusat quidem a peccato contra legem prohibentem, at non potest efficere, ut actus sit validus contra legem irritantem.

2. Si reipsa nullum adest impedimentum, sed tamen unus vel uterque contrahentium dubitat vel suspicatur inter ipsos forte aliquod impedimentum existere, matrimonium est validum: hi enim censentur consensum dare sub condicione de praesenti: *si habilis sum*; quoniam autem condicio verificatur, consensus fit absolutus et validus.

3. Si unus vel uterque contrahentium certo sibi persuadet adesse impedimentum dirimens, cum tamen nullum inter ipsos existat, alii affirmant *nullum esse matrimonium*, quia nemo potest serio et efficaciter velle id, quod apprehendit esse impossibile; ergo nullus in hoc casu habetur verus consensus. Quod quidem concedendum erit in eo, qui de existentia impedimenti sibi videtur esse certus et simul eius vim irritantem probe cognoscit. Alii autem docent matrimonium *esse validum*, quia in eiusmodi adiunctis contrahentes consentiunt, quantum possunt seu contrahere volunt, si possibile foret: reipsa autem matrimonium possibile est, ergo validum est. Quod quidem concedi poterit in eo, qui de existentia impedimenti non est omnino certus aut vim irritantem impedimenti non plane perspicit: in hoc enim casu fieri potest, ut non obstante persuasione de existentia impedimenti contrahat cum intentione *faciendi, quod potest*; et cum reipsa nullum adsit impedimentum, valide contrahit.

In praxi contrahentes diligenter examinandi sunt circa intentionem, qua contractum matrimoniale inierunt.

13. Num copula ad essentiam matrimonii requiratur. Sunt, qui affirmant mutuum consensum ad ineundum verum matrimonium non sufficere, nisi accedat *copula carnalis*, siquidem copula affectu maritali peracta constituat verum proprieque dictum matri-

monium. Verum cum doctrina ecclesiae catholicae haec theoria (Kopulatheorie) non concordat.

a. Ex doctrina ecclesiae constat *matrimonium solo consensu contrahi*¹⁾ et e contrario copulam carnalem sine utriusque consensu non constituere matrimonium²⁾.

b. Si praeter consensum internum copula carnalis ad ineundum matrimonium essentialiter requireretur, rationem signi externi haberet, quo consensus exterius manifestetur tum alteri contrahenti tum communitati (ecclesiae); atqui tale signum copula esse nequit, nec alteri contrahenti, cum non sit signum indubium, nec ecclesiae, quia non admittit testes.

Articulus secundus.

De matrimonio ut sacramentum est.

14. Definitio. Matrimonium, ut *sacramentum* est, definiri potest: contractus matrimonialis inter baptizatos de iure habiles initus, quo significatur et confertur gratia ex opere operato. Vel ad analogiam aliorum sacramentorum: matrimonium est sacramentum, quo per mutuum viri et mulieris traditionem et acceptationem potestatis in corpus confertur gratia ad eorum coniunctionem sanctificandam.

a. Solum *matrimonium in fieri est proprie dictum sacramentum* producens gratiam ex opere operato; matrimonium in facto esse non est proprie dictum sacramentum, sed status matrimonialis ex consensu sacramentali ortus, qui eatenus dici potest latiore sensu sacramentum, quatenus significat unionem Christi cum ecclesia.

b. Status matrimonialis consistit in *vinculo coniugali* seu in mutuis iuribus et obligationibus, quibus coniuges invicem adstringuntur. Tum contractus naturalis tum contractus sacramentalis producit vinculum indissolubile, hoc tamen discrimine, quod vinculum ex contractu sacramentali ortum sit firmiter et magis indissolubile.

15. Asserta. 1. *Matrimonium christianum verum est novae legis sacramentum.*

¹⁾ C. Quum locum 14. *De sponsalibus.* (IV. I). Decretum Eugenii IV. pro Armenis (Denzinger n. 597).

²⁾ C. Tua nos 26. *De sponsalibus* (IV. 1).

a. Contractum matrimoniale signo externo initum a Christo euectum esse ad *sacramentum* constat ex definitione concilii tridentini: „Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo institutum a. s.“¹⁾. Ex fontibus revelationis ostendunt dogmatici contractum matrimoniale ex institutione Christi esse signum efficax gratiae²⁾.

b. Matrimonium duplici sensu dici potest *sacramentum*: α. sensu lato, quatenus est res sacra, quo sensu *Innocentius III.* matrimonia infidelium quoque sacramenta appellat³⁾; β. sensu proprio, quatenus matrimonium fidelium est verum novae legis sacramentum.

2. *Sacramentum* matrimonii non differt a contractu matrimoniali, sed ipse contractus matrimonialis a Christo euectus est ad dignitatem sacramenti, adeo ut contractus matrimonialis a sacramento dissociari non possit. Hinc est, quod inter christianos (etiam haereticos et schismaticos) haberi non possit contractus matrimonialis, quin simul habeatur sacramentum matrimonii.

a. Haec quaestio antea disputata recenti tempore variis summorum pontificum declarationibus definita est. *Pius IX.* proscripsit hanc propositionem: „Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile“⁴⁾; *Leo XIII.* declarat: „Non potest huiusmodi distinctio (inter contractum et sacramentum) seu potius distractio probari, cum exploratum sit in matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus iure“⁵⁾.

b. Si christiani contrahentes absolute *nolunt sacramentum* suscipere, neque validum matrimonium ineunt: qui enim non vult sacramentum, neque verum matrimonium velle potest. Quodsi verum matrimonium inire volunt, etiam sacramentum suscipiunt, licet sacramentum perficere nolint: qui enim ita contrahunt, de facto duas intentiones habent, alteram contrahendi verum matrimonium, alteram excludendi sacramentum; iam si prior intentio praevaleat, altera per eam destruitur. Prior autem intentio eo facilius praevalebit, quia contra-

¹⁾ *Concilium* trid. sess. 24. can. 1.

²⁾ Cf. *Pesch* VII. n. 699 ss.

³⁾ C. Gaudemus S. *De divortiis* (IV. 19).

⁴⁾ Syllabus damnat. propos. prop. 66; cf. etiam prop. 73.

⁵⁾ Encyclica *Arcanum* 10. Febr. 1880.

hentes plerumque nesciunt, matrimonium et sacramentum indissolubili nexu invicem cohaerere.

c. Ergo etiam matrimonium in initum *inter absentes* est verum sacramentum, sicut est verus contractus. Quamobrem contrahens per procuratorem vel per epistolam curare debet, ut in statu gratiae sit eo tempore, quo perficitur contractus: eodem enim tempore recipit sacramentum. Patet non procuratorem, sed principalem agentem esse ministrum sacramenti; pariter non procuratoris sed principalis agentis consensum esse materiam et formam sacramenti. Quare non peccat procurator, qui eo tempore, quo pro alio contrahit, in statu peccati sit.

16. Materia et forma. Quoniam contractus matrimonialis a sacramento non distinguitur, eadem est *materia et forma* sacramenti, quae est materia et forma contractus.

a. *Materia remota* sunt corpora contrahentium seu ius in corpora, quod contrahentes mutuo sibi tradunt; materia *proxima* est ipsa traditio mutua huius iuris signo sensibili expressa.

b. *Forma* sacramenti est mutua iuris acceptatio signo sensibili expressa. Et quia traditio et acceptatio ordinarie per verba significantur, dici etiam potest *verba*, quibus mutua traditio et acceptatio iuris exprimitur, constituere materiam et formam sacramenti; materiam quidem quatenus exprimunt iuris traditionem, formam vero quatenus exprimunt eiusdem acceptationem.

17. Ministri huius sacramenti sunt ipsi contrahentes: si enim sacramentum a contractu non differt, conficientes contractum etiam sacramentum conficiunt. Quae quidem doctrina olim controversa hodie extra omne dubium posita est¹⁾.

Nihilominus sacramentum *conferunt* tum fideles, qui ignorant se esse ministros sacramenti, tum haeretici, qui non credunt matrimonium esse sacramentum, ideoque (explicite) non intendunt conficere sacramentum. Et illi quidem, quia generalem intentionem habent faciendi, quod faciunt ceteri fideles matrimonium ineuntes, atque ideo faciendi, quod Christus instituit; haeretici vero, quia plerumque saltem generalem intentionem habent contrahendi, ut christiani in ecclesia a Christo

¹⁾ Cf. *Pesch* VII. n. 868 ss.

instituta contrahunt, quae intentio ad conferendum sacramentum sufficit. Ad *suscipiendum* autem matrimonii sacramentum in baptizatis sufficit consensus matrimonialis, modo expresse non excludatur ratio sacramenti: eo ipso enim, quod volunt contractum matrimonialem, implicite volunt etiam sacramentum.

18. Subiectum matrimonii, prout hoc *merum contractum* constituit, est quivis homo nullo impedimento iuris naturae vel divini inhabilis.

Subiectum matrimonii, prout simul *sacramentum* constituit, est quivis homo baptizatus nullo impedimento iuris naturalis, divini vel ecclesiastici inhabilis.

Ergo *inter duos infideles* matrimonium esse non potest nisi contractus, non autem sacramentum nisi latiore sensu. Num matrimonium sit sacramentum, *si fidelis per pontificis dispensationem cum infideli contrahit*, non constat.

Quaestionem negat *Sanchez* cum multis aliis: contractus enim matrimonialis, qui elevatur ad sacramentum, unus est ab utroque contrahente effectus; non sunt duo partiales contractus, ex quibus unus totalis coalescit. Quare ut esse possit sacramentum, uterque contrahens sacramenti capax esse debet, quemadmodum ut sit contractus, uterque ad contrahendum habilis esse debet. Nihilominus affirmantem sententiam tenent complures alii ut *Caietanus, Soto, Vega, Ferraris, Palmieri*, qui censent contractum in persona, quae sacramenti capax sit, esse sacramentum, quia contractus ex institutione Christi est efficax gratiae: qui proinde gratiam percipere potest, eius fit particeps.

19. 1. Effectus matrimonii. *quatenus contractus est*, alii sunt communes utrique coniugi, alii sunt singulorum proprii.

a. Effectus communes sunt: α . vinculum coniugale idque perpetuum, quod in mutuis iuribus et obligationibus consistit; β . legitimitas filiorum; γ . quaedam communio bonorum.

b. Effectus pro marito: α . potestas maritalis; β . potestas patria.

c. Effectus pro uxore: α . ius accipiendi a marito honestam sustentationem; β . participatio status, dignitatis, titularum et privilegiorum mariti; γ . acquisitio domicilii et eiusdem fori cum marito.

2. Effectus matrimonii, *quatenus sacramentum est*, sunt: *a.* augmentum gratiae sanctificantis; *b.* ius ad gratias actuales statui coniugali necessarias scilicet ad mutuam amorem conservandum et perficiendum, ad fidem et castitatem coniugalem integre servandam, ad prolem bene educandam, ad onera matrimonii christiane ferenda.

Nota. *Matrimonium necessarium* est communitati in genere, non autem singulis eius individuis: *Crescite et multiplicamini et replete terram*¹⁾. Alia matrimonii necessitas hisce scripturae verbis non enuntiatur. Cum hanc veritatem non impugnent nisi adversarii coelibatus, non est huius loci contra eorum obiectiones illam tueri²⁾.

20. Bona matrimonii per sacramentum perficiuntur et nobilitantur:

a. Bonum prolis, eo quod matrimonio christiano dignior atque perfectior competit finis: ab initio enim ad propagandum genus humanum institutum est, deinde ad sacramentum elevatum est ad filios et cultores veri Dei et salvatoris Iesu Christi procreandos atque educandos³⁾.

b. Bonum fidei, eo quod unitas matrimonii perfectiore claritate elucet et maiore necessitate exigitur: Christus enim unam ecclesiam fundavit eamque unicam diligit.

c. Bonum sacramenti, eo quod matrimonium maiorem firmitatem accipit. Quo perfectius enim matrimonium repraesentat unionem indissolubilem Christi cum ecclesia, eo maior est eius firmitas; sed matrimonium christianum perfectius eam repraesentat quam naturale; perfectissima autem imago illius unionis est matrimonium christianum consummatum, in quo ad unitatem animorum per contractum accedit unitas corporum per copulam effecta. Ideo matrimonium christianum consummatum est simpliciter indissolubile sicut unio Christi et ecclesiae insolubilis est.

¹⁾ Gen. 1, 28; 9, 1.

²⁾ Cf. *Leitner* § 4.

³⁾ Cf. *Catechism. rom.* pr. 2. c. 8. q. 15.

Articulus tertius.

De matrimonii divisionibus.

21. Matrimonium dividitur: 1. In matrimonium legitimum, ratum et consummatum.

a. Legitimum est matrimonium iuxta leges iuris naturalis et positivi initum, quin tamen rationem sacramenti habeat, ideoque matrimonium validum infidelium, quale nunc inter iudaeos, turcas et gentiles contrahitur.

Olim hoc distinctionis membrum a canonistis etiam ad matrimonia fidelium referebatur, cum matrimonium legitimum vi nominis significet matrimonium iuxta leges initum, ideoque matrimonium validum sive fidelium sive infidelium; hodie vero communiter ad sola matrimonia infidelium restringitur¹⁾.

b. Ratum est matrimonium validum inter fideles initum, quod ergo rationem sacramenti habet, sed nondum copula carnali consummatum est. Dicitur ratum, quia ecclesia illud ratum habet et approbat.

c. Consummatum est matrimonium validum, quod copula carnali completum est, et efficit, ut coniuges fiant una caro.

Patet matrimonium tum legitimum infidelium tum ratum fidelium fieri posse consummatum. Ut matrimonium vere consummatum dici possit, requiritur: α . ut copula carnalis sit perfecta i. e. ex se ad generationem apta; β . ut ante copulam verum matrimonium adfuerit: hinc si duo ante matrimonium copulam habeant et deinde matrimonium contrahant, hoc ante novam copulam in ipso matrimonio peractam non dicitur consummatum.

2. In matrimonium verum, praesumptum, putativum.

a. Verum seu validum dicitur, quod reipsa contractum et qua tale probatum est aliquo ex iis argumentis (e. g. testimonio parochi), quibus et cetera negotia probari solent.

b. Praesumptum dicitur, quod, etsi forte non existat, a iure tamen, posito aliquo facto, ut existens praesumitur. Factum, ex quo ecclesia matrimonium initum praesumebat, erat copula a sponsis habita; nunc autem haec praesumptio iuris ideoque matrimonium praesumptum abrogatum est.

¹⁾ Cf. *Benedictus XIV.* De synodo l. 8. c. 12. n. 5.

a. Ante concilium tridentinum ad matrimonium validum mutuus contrahentium consensus sufficiens erat, id quod adhuc valet in locis, ubi decretum tridentinum circa matrimonia clandestina non viget. Iam si post inita sponsalia inter sponsores copula carnalis haberetur, haec affectu maritali potius quam fornicario peracta praesumebatur, et quoniam solus consensus ad validum matrimonium contrahendum in illis regionibus sufficiens est, matrimonium contractum praesumebatur. Num matrimonium in hoc casu obiective validum fuerit, pendeat ab affectu, quo sponsi reipsa copulam habebant. Iam vero haec species matrimonii praesumpti, quae praecipua erat, a s. pontifice per decretum *s. Officii* abrogata est¹⁾.

3. Cum copula carnalis affectu coniugali habita sit signum externum consensus sive antea sive in actu copulae existentis, hoc modo validum iniri potest matrimonium, ubi non viget impedimentum clandestinitatis. Decretum enim supra citatum efficit quidem, ut copula post sponsalia peracta non possit amplius *ex praesumptione* haberi signum matrimonii, at non efficit, ut sponsi non possint amplius consensum per copulam manifestare.

c. *Putativum* dicitur, quod ab ipsis coniugibus vel saltem ab alterutro validum existimatur, cum tamen reipsa ob latens aliquod impedimentum sit nullum.

Matrimonium putativum speciem veri matrimonii habet eiusdemque effectus iuridicos producit; sed ut iuris effectus reipsa producat, et praesertim ut proles in eo nata censeatur legitima, requiritur: a. ut contrahatur bona fide saltem ab uno ex coniugibus, qui impedimentum ignoraverit; β. ut contrahatur publice et in facie ecclesiae i. e. coram paroco et duobus testibus et praemissis proclamationibus, nisi super his dispensatum fuerit.

3. In matrimonium canonicum et politicum: *canonicum* dicitur matrimonium, in quo omnia servantur, quae a iure ecclesiastico ad verum matrimonium requiruntur; *politicum* dicitur, in quo etiam ea servantur, quae a iure civili in matrimonio exiguntur; sine his matrimonium a potestate politica non habetur legitimum, ideoque effectibus civilibus caret.

4. In matrimonium sollemne et minus sollemne: *sollemne* dicitur matrimonium, in quo praeter formalitates

¹⁾ *S. Officium* 15. febr. 1892. Ratio abrogandi hanc iuris dispositionem erat difficultas in praxi ex eo orta, quod fideles eam ignorarent.

substantiales a lege praescriptas etiam accidentales habentur, scilicet benedictio nuptialis et festivitates nuptiales; *minus sollemne* dicitur, in quo praeter sollemnitates substantiales nullae aliae habentur.

5. In matrimonium publicum et clandestinum: *publicum* dicitur, quod in facie ecclesiae i. e. coram parcho et testibus celebratur; *clandestinum* dicitur, quod clam et secreto i. e. sine praesentia parochi et testium celebratur.

6. Ad matrimonium canonicum referri solet tum matrimonium morganaticum tum matrimonium conscientiae.

a. Matrimonium *morganaticum* est matrimonium cum muliere inferioris condicionis ea lege initum, ut neque uxor nec liberi in dignitate, titulis et insignibus mariti vel patris succedant et determinata solum parte paternorum bonorum contenti sint¹⁾.

b. Matrimonium *conscientiae* seu secretum est matrimonium coram parcho vel alio sacerdote ab ordinario delegato et duobus testibus absque praevis proclamationibus clam initum eo pacto, ut omnes, qui intererant, ad secretum servandum teneantur.

Haec matrimonia, etsi legibus ecclesiae contraria et periculis plena sint, ab ecclesia tamen, si necessitas postulaverit, sub certis condicionibus permittuntur, quas *Benedictus XIV.* constitutione *Satis vobis* (17. nov. 1741) determinat.

a. Potestas eiusmodi matrimonium permittendi est penes episcopum. Recenti tempore haec permissio facta est difficilior, quia in plerisque regionibus ob leges civiles vix caveri potest periculum, ne proles habeatur civiliter illegitima.

β. Matrimonium celebrari debet in forma tridentina coram parcho vel alio sacerdote delegato et duobus testibus. Testimonium celebrati matrimonii exhibendum est episcopo, qui illud in libro apposito transcribendum et in archivo episcopali asservandum curabit.

γ. Proles ex eiusmodi matrimonio nata baptizanda est in ecclesia tectis parentum nominibus atque episcopo significandum est prolem tali loco et die baptizatam esse legitimam.

¹⁾ In eiusmodi casu tum uxori tum liberis donum nuptiale seu determinata portio bonorum tempore sponsalium addicitur; quod donum cum *Morgengabe* diceretur, inde per corruptionem *morganaticum* ortum est.

δ. Scandalum tum apud domesticos tum apud extraneos eo caveri debet, quod coniuges publice non se gerant ut coniuges. Quodsi scandalum non caveatur, matrimonium publicandum est.

Articulus quartus.

De potestate ecclesiae in matrimonium.

22. De ipsa potestate. Cum paucae leges, quae ex iure naturali circa matrimonium existunt, ad ordinandum hunc contractum aequae frequentem ac difficultatibus implexum non sufficiant, iam quaeritur, utrum Deus auctoritati ecclesiasticae an civili potestatem commiserit leges circa matrimonium condendi. Atqui ecclesiae eique soli, non ex concessione auctoritatis civilis, sed iure proprio competit potestas in matrimonia fidelium. Et sane, ecclesiae eique soli a Deo commissa est potestas administrandi sacramenta atque ideo statuendi, quae ad valide et licite conferenda et suscipienda sacramenta requiruntur; contractus autem matrimonialis est sacramentum; ergo ad solam ecclesiam pertinet statuere, quae ad valide et licite ineundum contractum matrimonialem requirantur. Ex hoc canone generali in specie infertur:

a. Ecclesiam solam potestatem habere statuendi impedimenta dirimentia;

b. ecclesiam solam potestatem habere statuendi impedimenta prohibentia seu praescribendi condiciones et modum ineundi matrimonii;

c. ecclesiam solam potestatem habere diiudicandi causas matrimoniales, et quidem

α. de valore et solutione sponsalium propter eorum connexionem cum matrimonio;

β. de valore et nullitate matrimonii sive contrahendi sive iam contracti;

γ. de dissolutione matrimonii;

δ. de separatione coniugum a thoro et mensa; agitur enim de iudicanda obligatione, quae ex ipso matrimonio immediate oritur;

ε. de legitimitate prolis: agitur enim de effectu, qui ex valido matrimonio immediate resultat.

23. Quis in ecclesia statuere possit impedimenta.

1. *Summus pontifex* et concilium generale statuere possunt impedimenta dirimentia et impediencia tum pro universa ecclesia tum pro determinato territorio.

2. *Episcopi* et concilia particularia antiquitus quidem *impedimenta impediencia et dirimentia* pro sua regione statuere poterant; nunc vero summus pontifex hanc potestatem sibi reservavit: possunt tamen dispositiones iuris communis, etiam sancitis poenis, urgere et celebrationem matrimonii ad modum praecepti in particulari casu ex iusta causa prohibere e. g. ad cavendum scandalum, ob timorem discordiarum, ob suspicionem latentis alicuius impedimenti etc.

Communis doctorum sententia statuit episcopos iure divino *impedimenta dirimentia* et impediencia ad modum legis statuere posse potestatemque istam reapse exercuisse, summum autem pontificem *Gregorium IX.* († 1241) eam sibi reservasse ad uniformitatem in usu huius sacramenti apud omnes fideles obtinendam. Possunt tamen episcopi tempore clauso ipsas nuptias prohibere.

Num consuetudine introduci possit impedimentum.

a. Consuetudine *universali* introduci potest impedimentum tum dirimens tum impediens, scilicet summo pontifice vel expresse vel tacite approbante; sic sola consuetudine introductum est impedimentum disparitatis cultus.

b. Consuetudine *particulari* nunc non potest introduci impedimentum nec dirimens neque impediens: cum enim consuetudo particularis vim accipiat a consensu superioris particularis, hic autem impedimenta statuere non possit, consuetudo particularis vim non habet introducendi impedimenta.

24. Quos obligent leges matrimoniales ecclesiae.

1. Leges matrimoniales ecclesiae *obligant omnes fideles*, non solum catholicos sed etiam haereticos (et schismaticos); quare impedimenta canonica afficiunt etiam matrimonia

haereticorum. Et sane ecclesia nunquam ut valida agnovit matrimonia haereticorum, quibus obstabat impedimentum canonicum¹⁾, et saepius declaravit ne longissimi quidem temporis consuetudinem efficere posse, ut quoad haereticos vim suam amittant leges matrimoniales ecclesiae²⁾.

Nonnulli Germaniae theologi ut *Laymann* et *Schmalzgrueber* putabant, ecclesiam posse quidem, sed non velle suis legibus matrimonialibus obligare etiam haereticos, ideoque ecclesiam a quibusdam saltem impedimentis canonicis haereticos eximere. Verum hodie non est amplius theologus, qui hanc sententiam profiteatur; solum de obligatione impediendi clandestinitatis movetur dubium, de quo infra dicitur. Nec tamen inferendum est haereticorum prolem frequentem esse illegitimam: cum enim haeretici coniuges ordinarie in bona fide sint, eorum matrimonium est putativum ideoque proles legitima.

2. Leges matrimoniales ecclesiae *non obligant infideles*, ideo impedimenta canonica saltem directe non afficiunt matrimonia infidelium: in infideles enim ecclesia potestatem iurisdictionis exercet nullam.

Directe dicitur, quia indirecte, idque in triplici casu, potestas ecclesiae etiam ad matrimonia infidelium se extendit. *a.* Matrimonia infidelium reguntur iure naturali et divino; ecclesia autem est infallibilis interpretis iuris naturalis et divini; quare declarationes huius iuris ab ecclesia prolatae etiam ad infideles se extendunt. *b.* Si infidelis matrimonium contrahit cum fidei, quia hic subest legibus ecclesiae, ratione connexionis etiam infidelis indirecte subiicitur ecclesiae. *c.* Si infidelis matrimonio iunctus convertitur ad fidem, eius matrimonium per dispensationem summi pontificis solvi potest, quo in casu matrimonium eius, qui manet in infidelitate, ratione compartis fidelis subiicitur ecclesiae.

Articulus quintus.

De potestate auctoritatis civilis in matrimonio.

Potestas auctoritatis civilis considerari debet relate ad matrimonium fidelium et relate ad matrimonium in-

¹⁾ Cf. *Becker* p. 38 s.

²⁾ De hac quaestione conferri possunt tres constitutiones *Benedicti XIV.*: *Matrimonia* 4. nov. 1741; *Magnae* 29. iun. 1748; *Ad tuas manus* 8. aug. 1748.

fidelium. Insuper supremus princeps, cuius potestas in matrimonium examinanda est, ipse fidelis aut infidelis esse potest.

25. In matrimonia fidelium. 1. Potestas civilis quoad *matrimonia fidelium* nullum ius habet et proinde neque impedimenta dirimentia neque impediencia statuere potest; ideo efficere nequit, ut matrimonia fidelium per se sive invalida sive illicita sint, quod et ratio dictat et declaratio ecclesiae confirmat¹⁾.

Quodsi potestas civilis nihilominus circa matrimonium quidquam statuit, quod in se malum non sit, fideles non solum licite morem gerere possunt, sed eis etiam iniungendum est, ut servent condiciones, quas potestas civilis ad validum vel licitum matrimonium praescribit; non quod directe in conscientia illae obligent, sed ne fidelium matrimonia careant effectibus civilibus in proprium et liberorum detrimentum; indirecte ergo ex caritate erga se ipsos et liberos suos illas leges servare tenentur.

2. Etsi auctoritas civilis in *effectus matrimonii* essentielles influxum exercere nequeat, effectus tamen matrimonii civiles propria potestate regere potest. Ratio *primi*: qui de ipso matrimonio eiusque valore iudicat, etiam de iis, quae necessario inde sequuntur, iudicare debet. Ratio *secundi*: cum matrimonium sit contractus socialis, etiam iura et obligationes civiles parit, quae effectus civiles nuncupari solent; iam circa hos effectus potestas civilis, eaque sola, leges fert i. e. eos determinare et certis matrimoniis ex iusta causa eos abiudicare potest.

a. Effectus matrimonii alii sunt essentielles, alii civiles: *essentiales* sunt: obligatio cohabitandi, patria potestas in filios et legitimitas prolis. Hi effectus ideo essentielles dicuntur, quia ex ipso contractu matrimoniali necessario consequuntur. Effectus *civiles* matrimonii, qui iure proprio ad potestatem politicam pertinent, sunt: α . contractus coniugum circa bona temporalia; β . ius uxoris et filiorum participandi in bonis, dignitatibus et titulis mariti vel patris; γ . ius succedendi tamquam heredem legitimum in bona defuncti; δ . quantitas dotis; ϵ . quantitas partis legitimae etc.

b. Leges politicae, quibus reguntur effectus civiles matrimonii, in conscientia obligant: sunt enim leges ab auctoritate competente in

¹⁾ Cf. *Pesch* VII. n. 881.

bonum commune latae; ergo nihil eis deest, quominus in conscientia obligent.

c. Quae matrimonia valida, quae invalida sint, potestas politica discere debet ab ecclesia; iam vero matrimoniis, quae ab ecclesia habentur valida, per se concedere, iis vero, quae ab ecclesia invalida habentur per se negare tenetur effectus civiles. Quodsi tamen matrimonium, quod in facie ecclesiae validum est, bono communi vere adversaretur, potestas politica eiusmodi matrimonio effectus civiles negare potest, quin tamen de eius validitate vel de effectibus essentialibus quidquam statuere praesumat.

3. Auctoritas civilis *indirecte statuere* potest impedimenta matrimonii impedientia, potest nempe quaedam matrimonia ratione boni communis etiam additis poenis prohibere. Etenim si bonum commune, cuius cura ei commissa est, id exigat, certas condiciones praescribere potest ab iis servandas, qui matrimonium inire volunt, et potest matrimonia eorum, qui illas condiciones non servant, effectibus civilibus privare. Attamen ad ecclesiam spectat, de iustitia harum legum iudicium ferre, cum ecclesiae sit de moralitate actuum iudicare.

Eiusmodi leges matrimonium reddunt illicitum, non quidem per se et directe quatenus illud est actus religiosus et sacramentalis, sed indirecte et per accidens, quatenus adversatur bono communi.

26. In matrimonia infidelium¹⁾.

Momentum practicum huius quaestionis in dies augetur: etenim non solum missionarii catholici usque novas infidelium regiones ingrediuntur earumque incolas ad fidem christianam perducunt, sed terrae infidelium identidem etiam potestati principum christianorum subiiciuntur, immo inter ipsos fideles in dies crescit eorum numerus, qui filios suos ne baptizandos quidem curant: hi proinde more infidelium adolescent et matrimonium civile, quod solis legibus civilibus regitur, contrahunt.

Controversia est inter theologos, num matrimonia infidelium subsint potestati auctoritatis civilis. Sententia tamen affirmans, quae inter antiquitatis theologos vera et recepta erat, recenti tempore a nonnullis impugnata hodie

¹⁾ Cf. *Resemans*, De competentia civili in vinculum coniugale infidelium (Romae. Desclée. 1887). *Leitner* p. 26 ss.

iterum inter theologos saltem probabilior et communior evasit¹⁾. Ex horum ergo sententia potestas civilis matrimonia infidelium regit ideoque statuere potest impedimenta dirimentia et impedientia pro matrimoniis subditorum infidelium. Huius sententiae argumenta ad haec revocantur:

1. Matrimonium infidelium est contractus naturalis; atqui omnis contractus naturalis praeter normas iuris naturalis et divini regitur legibus potestatis civilis; ergo matrimonium infidelium regitur legibus potestatis civilis, non quidem iure proprio, sed iure translato, modo hae leges non adversentur legibus iuris naturalis et divini.

Matrimonium est quidem contractus naturalis, sed simul etiam religiosus et sacer; ideo potestas civilis illud non regit iure proprio, sed iure translato. In societate enim, in qua non est auctoritas a civili distincta, quae regat res religiosas, potestatis civilis est, res sacras ordinare, non ut est politica, sed ut est simul religiosa. Inde est, quod etiam iuramentum et sacrificium in eiusmodi societatibus ab auctoritate civili regantur.

2. Praeter normas iuris naturalis et divini matrimonium complures leges positivas exposcit: innumera enim sequerentur inconvenientia, si matrimonia infidelium solis legibus iuris naturalis et divini regerentur; ergo adesse debet auctoritas, quae circa matrimonia infidelium leges condant; atqui praeter auctoritatem civilem non est alia, quae eiusmodi leges condere possit; ergo auctoritas civilis iure leges statuit circa matrimonia infidelium.

3. Praeferenda est sententia, cui favet praxis ecclesiae; atqui praxis ecclesiae favet sententiae affirmanti matrimonia infidelium subesse iurisdictioni auctoritatis civilis: etsi enim ecclesia mentem suam circa hanc quaestionem explicite non manifestaverit, ex declarationibus tamen sacrarum congregationum colligitur eas pro invalidis habere matrimonia infidelium, quibus obstat im-

¹⁾ Nomina auctorum tum recentium tum antiquorum, qui sententiam affirmantem tenent, exhibet *Gasparri* I. n. 281; *Schnitzer* p. 28.

pedimentum dirimens a potestate civili statutum¹⁾. Inde est, quod etiam missionarii in locis infidelium iuxta hanc sententiam matrimonia eorum, qui ad fidem convertantur, diiudicent²⁾.



Quaestio secunda.

De proprietatibus matrimonii.

Duae sunt praecipuae matrimonii proprietates, quae ex eius natura oriuntur, matrimonii *unitas* atque *indissolubilitas*.

Articulus primus.

De unitate matrimonii.

27. Quae sit unitas matrimonii. Unitas matrimonii seu *monogamia* in eo consistit, quod sit coniunctio unius viri cum una muliere. Unitati matrimonii opponitur *polygamia*, quae simultanea et successiva esse potest. Polygamia *simultanea* aut est *polyandria*, si una mulier plures maritos habet, aut *polygynia*, si unus vir plures simul mulieres habet. Polygamia successiva dicitur *bigamia* sive unus vir successive plures mulieres, sive una mulier successive plures viros ducit.

1. *Polyandria* repugnat iuri naturali, quia repugnat fini primario matrimonii, scilicet generationi et educationi prolis: *generationi* quidem, quia mulier, ad quam plures viri accedunt, redditur sterilis, *educationi* autem, quia ignoratur pater susceptae prolis, proindeque nullus pater

¹⁾ S. C. de propag. fide 26. iun. 1820.

²⁾ Cf. Gasparri I. n. 284.

eius educationem curat. Hinc polyandria semper et ubique prohibita fuit, ita ut ne Deus quidem ab hac lege dispensare possit.

2. *Polygynia* repugnat iuri naturali et fini matrimonii secundo; repugnat etiam legi positivae divinae: *omnis, qui dimittit uxorem suam et aliam ducit, moechatur*¹⁾.

a. Complures sunt rationes, ob quas *polygynia* iuri naturae adversatur: a. physice impossibilis est, cum utriusque sexus fere idem sit numerus personarum; natura ergo monogamiam intendit; b. repugnat aequalitati iurium, quae utriusque sexui et universim hominibus competit; c. repugnat bono communi, cum virum enervet, et mulierem dignitate sua privet; d. conturbat tranquillam vitae consuetudinem et mutuum inter coniuges adiutorium.

b. Ab hac lege Deus dispensare potest et reipsa dispensavit: post diluvium enim patriarchis et populo israelitico concessa fuit polygamia, quae concessio etiam ad gentiles extendebatur. Per Christum tamen, qui matrimonium primaevae integritati restituit, dispensatio haec etiam quoad infideles sublata est, adeo ut etiam inter infideles secundum matrimonium durante priore invalidum sit et apud iudaeos per libellum repudii matrimonium amplius non solvatur²⁾.

3. *Bigamia* seu *polygamia successiva* tam viro quam mulieri etiam in nova lege permittitur: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit; quodsi dormierit vir eius, libera est; cui vult nubat: tantum in Domino*³⁾. Quare ecclesia secundas nuptias post mortem prioris coniugis initas semper licitas habuit, quamvis eas minus probaret.

Articulus secundus.

De indissolubilitate matrimonii.

28. **Quae sit indissolubilitas matrimonii.** Duplex distinguenda est indissolubilitas, interna et externa. *Interna* in eo consistit, quod matrimonium per causam internam seu per mutuum contrahentium consensum solvi non possit; *externa* in eo consistit, quod matrimonium

¹⁾ Luc. 16, 18. Cf. *concilium trid.* sess. 24. can. 2.

²⁾ Matth. 19, 3 ss.

³⁾ 1 Cor. 7, 39.

per causam externam scilicet divinam vel ecclesiasticam solvi non possit. De hac re dogmatici sequentes theses statuunt.

1. *Matrimonium* omne tum iure naturae tum lege positiva divina *intrinsecus indissolubile* est, adeo ut contrahentium consensu nunquam solvi possit.

2. *Matrimonium fidelium ratum et consummatum* etiam *extrinsecus indissolubile* est, adeo ut solvi nequeat nisi per mortem alterius coniugis.

Indissolubilitas asserenda est etiam matrimonio consummato, quod per dispensationem summi pontificis a fidei cum infidei contrahitur¹⁾, sed non constat, utrum simpliciter sit indissolubile, an solum de facto nunquam in eo dispensatum fuerit.

3. *Matrimonium autem ratum fidelium* et *matrimonium etiam consummatum infidelium* potestate externa solvi potest.

§ 1. De matrimonio rato fidelium.

29. Quomodo solvatur. 1. *Matrimonium ratum et non consummatum fidelium* ex gravi causa solvi potest per *dispensationem* summi pontificis.

Duplex ergo condicio requiritur, ut matrimonium ratum solvi possit: *a.* ut constet illud non fuisse actu coniugali consummatum; *b.* ut adsit gravis causa, quae solutionem exigat. Hanc causam publicam esse debere antiquitus theologi contendebant, ex hodierna autem praxi ecclesiae dispensatio haec etiam ex gravi causa boni privati conceditur.

Olim inter doctores acris controversia agitabatur, num summo pontifici divinitus collata sit haec potestas; nunc vero de ea amplius dubitari nequit: nam *a.* ecclesia saepius utitur hac potestate solvendi matrimonia rata fidelium; atqui non solum temerarium, verum etiam impium foret ecclesiae negare potestatem, qua ipsa utitur. *b.* Obligationes iuris divini, quarum existentia in particulari casu ab humana voluntate dependent, ecclesia ex iusta causa per dispensationem solvere potest, ut de votis et

¹⁾ *S. Officium* 1. aug. 1759; 4. iul. 1855.

iuramentis constat. c. Vinculum professionis religiosae fortius est, quam vinculum coniugii, quia professio religiosa matrimonium ratum solvit; atqui professionem religiosam summus pontifex solvere potest; ergo a fortiori matrimonium ratum.

Frequentius recenti quam antiquo tempore summi pontifices utuntur hac potestate. Nunc ea utuntur praesertim in iis adiunctis, in quibus de nullitate matrimonii agitur quaestio, nullitas autem certo demonstrari nequit. In hoc enim casu vinculum, si quod existat, solvitur, et quidem, una parte ex iustis causis solutionem petente, etiam contra voluntatem alterius partis. Immo non desunt exempla dispensationis matrimonii validi, quae tum praesertim conceditur, cum una pars cum tertia persona iam iniit matrimonium civile¹⁾.

30. 2. Matrimonium ratum et non consummatum fidelium solvitur per professionem sollemnem unius coniugis in religione (stricte tali) ab ecclesia approbata, quod de fide certum est: „Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per sollemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi a. s.²⁾.

a. Ut matrimonium hoc modo solvatur, requiritur: α. ut constet illud non fuisse actu coniugali consummatum; β. ut emittatur valida professio religiosa: vim enim solvendi matrimonium professio religiosa habet ratione voti sollemnis castitatis, quod in ea continetur, non tamen potestate divina, sed potestate ecclesiastica illud solvit. Ideo matrimonium non solvit: α. votum simplex castitatis extra religionem emissum; β. nec votum simplex castitatis (professio simplex) in religione emissum; γ. nec votum sollemne in subdiaconatu emissum.

b. Quamdiu matrimonium non est consummatum, coniux religionem ingredi potest, etiam invito altero coniuge³⁾. Qui de capessenda religione cogitat, primo bimestri matrimonium consummare non tenetur; elapso autem bimestri vel religionem ingredi vel debitum reddere debet⁴⁾. Alter coniux in saeculo manens usque ad professionem expectare debet, neque alias nuptias inire potest: etenim si ante alterius professionem novum matrimonium iniret, hoc invalidum esset, cum prius matrimonium per professionem demum solvatur. Matri-

¹⁾ Cf. Acta s. sedis XXVIII. p. 400.

²⁾ *Concilium trid.* sess. 24. can. 6. Cf. etiam C. Verum 2. et C. Ex publico 7. *De convers. coniugat.* (III. 32).

³⁾ C. Verum 2. *De convers. coniug.* (III. 32).

⁴⁾ C. Ex publico 7. *De convers. coniug.* (III. 32).

monio autem semel consummato neutra pars religionem ingredi potest, nisi altera pars consentiat vel perpetuae separationis causam dederit sive per adulterium sive per lapsum in haeresim.

c. Quia nunc etiam in ordinibus religiosis stricte dictis sollemnis professio emitti non potest nisi triennio post simplicem professionem elapso, si una pars ante consummatum matrimonium religionem ingrediatur, pars in saeculo remanens elapso compartis novitiatu adire potest s. sedem ad solutionem matrimonii rati nondum consummati obtinendam, ne diutius expectare debeat. Quod si unus coniugum congregationem religiosam ingrediatur atque in ea perseverare velit, non extat aliud medium solvendi matrimonii nisi dispensatio summi pontificis, cum professio in congregatione emissa matrimonium non solvat.

d. Utrum privilegium, quo coniuges primo bimestri non tenentur debitum reddere, solis iis concessum sit, qui de ingressu in religionem deliberare volunt, an omnibus coniugibus, etiam iis, qui de religione deliberare nolunt, non constat. Plerique autores cum *s. Alphonso* (n. 958) bimestre omnibus concedunt, alii autem nolentibus deliberare illud negant¹⁾.

§ 2. De matrimonio consummato infidelium.

Quomodo solvatur. Matrimonium etiam consummatum infidelium solvi potest iure divino in casu privilegii paulini seu in casu apostoli ut dicunt²⁾, et per dispensationem summi pontificis.

Hoc privilegium dicitur *paulinum*, quia a s. Paulo nobis promulgatum est; dicitur etiam privilegium *fidei*, quia in favorem fidei seu baptismi divinitus concessum est. In interpretandis *s. Pauli* verbis eatenus dissentiunt theologi, quod alii affirmant illis promulgari potestatem immediate divinam, alii vero putent ea exhibere potestatem solum mediate divinam, immediate vero apostolis et ecclesiae concessam. Verum praeferenda est prior sententia, cum *s. Officium* ex-

¹⁾ Cf. *Feje* n. 517. *Génicot* II. n. 513. *Gasparri* I. n. 437. *Noldin*, De sexto praecepto etc. n. 81.

²⁾ „Si quis frater uxorem habet infidelem et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Quodsi infidelis discedit, discedat: non enim servituti (matrimonii in infidelitate contracti) subiectus est frater aut soror in huiusmodi; in pace autem vocavit nos Deus.“ 1. Cor. 7, 12 ss.

presse declaret hoc privilegium a Christo Domino in favorem fidei concessum et per apostolum Paulum promulgatum esse¹⁾.

31. De privilegio paulino²⁾. Privilegium paulinum est ius coniugi ex infidelitate converso et baptizato divinitus concessum in certis adiunctis aliud matrimonium ineundi, quo inito matrimonium in infidelitate contractum dissolvitur.

1. Matrimonium in infidelitate contractum et consummatum solvi posse, edicitur his verbis: *Quodsi infidelis discedit, discedat: non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.* Nempe ex voluntate Christi caveri debet, ne conversio ad fidem ei, qui convertitur, sit molesta et onerosa; atqui conversio parti fideli valde onerosa esset, si ipsi ad alias nuptias transire non liceret: nam aut innupta manere aut cum molestia vitae et fidei periculo cum coniuge infideli cohabitare deberet. Ideo voluit Christus, ut vinculum matrimonii in infidelitate contractum solvi posset.

Pars conversa vi privilegii paulini facultatem non habet ineundi novas nuptias nisi *cum alia parte catholica*. Ideo si contraheret cum parte infideli, matrimonium invalidum esset propter impedimentum disparitatis cultus, et si contraheret cum parte haeretica vel schismatica, matrimonium validum quidem esset, sed illicitum propter impedimentum mixtae religionis. In priore casu pontifex dispensat, in posteriore autem non datur dispensatio³⁾.

2. Matrimonium in infidelitate contractum non solvitur, quando suscipitur baptismus, nec quando pars infidelis declarat se nolle cohabitare cum parte fideli, sed *quando pars fidelis aliud matrimonium init⁴⁾*.

Si ergo pars fidelis novum matrimonium non contrahit, et postea etiam altera pars convertitur, non licet amplius uti privilegio paulino, quia cessante fine privilegii per conversionem partis infidelis cessat

¹⁾ *S. Officium* 11. iul. 1886. Cf. *Zeitschrift f. k. Th.* XVI. (1892) S. 158 f.

²⁾ Cf. *De Becker* p. 412 ss.

³⁾ Cf. *Génicot* II. n. 559, 5.

⁴⁾ *S. Officium* 11. iul. 1866.

ipsum privilegium; immo *per se* vitae consuetudinem instaurare tenentur, cum matrimonium inter ipsos adhuc existat.

32. *Quatuor condiciones* requiruntur, ut pars fidelis ad alias nuptias transire possit:

1. Ut matrimonium *in infidelitate contractum* sit; quocirca si coniux a fide deficiat per apostasiam, altera pars fidelis non potest novum matrimonium inire.

Uti possunt privilegio paulino duo coniuges in protestantismo nati, si constet eos ante matrimonium baptizatos non fuisse¹⁾.

2. Ut una pars *per susceptum baptismum ad fidem convertatur*: privilegium enim concessum est in favorem eorum, qui ad fidem convertuntur, ne scilicet ab amplectenda fide absterreantur.

Ideo catechumenus non potest uti hoc privilegio; quoniam autem conversio ad fidem per susceptionem baptismi fit, ideo hoc privilegio frui potest etiam infidelis, qui ad sectam haeticam convertitur, modo valide baptizetur²⁾.

3. Ut pars infidelis *discedat*; discedere autem dicitur, ubi haec duo concurrunt: *a.* si infidelis nolit converti, *b.* nec pacifice cum parte fidei cohabitare.

a. *Pacifice* cohabitare non vult, si cohabitare omnino non vult aut solum *cum contumelia creatoris* i. e. ita, ut sive directe sive indirecte partem fidelem ad peccata gravia inducat, ut si fidelis propter cohabitationem cum parte infideli exponatur periculo amittendae fidei vel si infidelis Dei laudem et domesticorum conversionem prohibeat, si prolis educationem christianam non permittat, si concubinas dimittere renuat etc.

b. Si pars infidelis renuat quidem converti, at pacifice cum conversa habitare velit, haec non potest vi privilegii paulini ad alias nuptias transire: ait enim s. Paulus: *si discedit, discedat*; ergo solum sub condicione *discessus* novae nuptiae a s. Paulo permittuntur. Attamen ab infideli quoad torum et mensam se separare, immo per dispensationem summi pontificis etiam ad alias nuptias transire potest.

c. Hoc privilegium non solum valet, ubi pars infidelis ante vel paulo post susceptum baptismum compartis discedit, sed etiam ubi postea discedit, quando iam per plures annos cum parte fidei cohabi-

¹⁾ *S. Officium* 13. mart. 1901.

²⁾ Cf. *Palmieri*, De matrim. christ. thes. 27. *Archiv f. k. Kirchenrecht* XXXVI. S. 402 ff.

taverat et matrimonium consummaverat, modo pars fidelis post baptismum *non dedit ei iustam causam discedendi* e. g. per adulterium commissum¹⁾.

4. Ut praecedat *interpellatio* coniugis infidelis, nisi ab ea obtenta fuerit dispensatio.

33. De interpellatione facienda.

1. Post susceptum baptismum, antequam novum matrimonium contrahitur, interpellari debet coniux infidelis: *a.* num velit et ipse converti ad fidem; *b.* num saltem pacifice cohabitare velit cum parte fidei.

2. Interpellatio *in hunc finem praecipitur*, ut certo constet de *discessu* alterius partis; quapropter si de voluntate discedendi partis infidelis iam constat, ut ubi vir infidelis uxorem conversam e domo eiiciat, non est necesse, ut fiat interpellatio.

a. Sunt quidem, qui contendunt etiam in hoc casu, ubi de voluntate partis infidelis iam certo constat, necessariam esse interpellationem; verum ad rem inutilem nulla est obligatio.

b. Sunt regiones, in quibus propter commune perversionis periculum et propter scandalum fidei non permittitur cohabitare cum parte infidei. In genere permittitur cohabitatio in regionibus infidelibus et prohibetur in regionibus christianis; ubique autem prohibetur conversis cohabitatio cum iudaeis, nisi converti velint et ipsi²⁾. In regionibus, in quibus ad removendum perversionis periculum vel scandalum lege ecclesiastica cohabitatio cum infidei prohibetur, parti fidei ad alias nuptias transire licet, si infidelis converti nolit, etsi cohabitare velit.

3. Interpellatio *necessaria est ad liceitatem*, non ad valorem novi matrimonii; hinc peccat, qui ommissa interpellatione ad alias nuptias transit, nisi dispensationem a facienda interpellatione obtinuerit; matrimonium autem validum est, si infidelis reipsa renuat, et invalidum est, si consentiat pacifice cohabitare.

Haec sententia aptis quidem rationibus firmatur³⁾, nihilominus sunt, qui contendunt interpellationem requiri, non solum ut licitae

¹⁾ *S. Officium* 5. aug. 1759; 11. iul. 1886.

²⁾ *C. Iudaei* 10. c. 28. q. 1.

³⁾ *Ballerini-Palmieri* VI. n. 435. *D' Annibale* III. n. 476.

sed ut validae sint secundae nuptiae¹⁾. S. sedes quaestionem hucusque dirimere noluit, ideo congregationes romanae in particularibus casibus matrimonium sine interpellatione contractum irritum declararunt²⁾. Practice ergo novum matrimonium non praemissa interpellatione aut dispensatione permitti non potest, et si quando sine interpellatione aut dispensatione initum fuisset, renovandus esset consensus.

4. Interpellari debet *coniux* infidelis.

Si maritus ad fidem conversus plures uxores habuit, interpellanda est tantum legitima, quae est prima, nisi constet matrimonium cum prima fuisse invalidum. Quodsi una ex uxoribus ad fidem convertitur, maritus conversus, aliis dimissis, hanc tamquam legitimam uxorem retinere potest, etsi non sit prima, quam duxerat, et quamvis prima cohabitare consentiat sine contumelia creatoris, nisi et ipsa converti voluerit³⁾.

5. Quod *modum* interpellationis attinet, iuxta alios interpellatio fieri debet ab ordinario in forma iudiciali; iuxta alios autem sufficit, si a persona privata (ab ipsa persona conversa) fiat, dummodo de facta interpellatione constare possit aut per documentum authenticum aut per (duos) testes.

6. A facienda interpellatione summus pontifex ex gravi causa *dispensationem concedit*; gravis causa a s. sede nunc vix alia admittitur, praeterquam quod constet interpellationem impossibilem esse, ut si pars infidelis adiri non possit⁴⁾.

34. Nota. Sicut pars fidelis alias nuptias inire, ita etiam *religionem ingredi* vel *sacros ordines suscipere* potest. Num matrimonium in infidelitate contractum per professionem religiosam dissolvatur, sicut per aliud matrimonium solvitur, certo non constat; per susceptionem autem sacrorum ordinum matrimonium in infidelitate contractum non dissolvi certum est.

a. *Sanchez* quidem censet de dissolutione matrimonii per professionem religiosam dubitandum non esse: etsi enim neque in iure neque in divinis litteris professioni religiosae vis tribuatur solvendi

¹⁾ *Gasparri* II. n. 1090.

²⁾ *S. C. de prop. fide.* 15. mart. 1816. *S. Officium* 20. iun 1858; 17. ian. 1900.

³⁾ *Constitut. Pii V. Romani pontificis* 2. aug. 1571.

⁴⁾ *S. Officium* 13. mart. 1901.

matrimonii in infidelitate consummati, extat tamen certa ratio vim illam professioni tribuendi, eo quod professio solvat matrimonium ratum fidelium, cuius vinculum matrimonio consummato infidelium firmitus est. Verum cum de hac efficacia professionis religiosae neque ex divinis litteris neque ex iure canonico constet, res dubia manet, donec ecclesia eam definierit.

b. Si mulier infidelis convertatur, postquam maritus fidelis iam sacros ordines suscepit, atque ad alias nuptias transire cupiat, petenda est dispensatio, aut ut vir ad uxorem redire aut ut uxor novas nuptias inire possit¹⁾.

35. De dispensatione summi pontificis. Matrimonium in infidelitate contractum, etsi consummatum sit, per dispensationem summi pontificis solvi potest, si aut una aut utraque pars ad fidem convertitur. Matrimonium infidelium, quamdiu utraque pars in infidelitate manet, etsi nondum consummatum fuerit, a summo pontifice solvi non potest, quia infideles eius iurisdictioni non subiacent; cum primum vero saltem unus coniugum ad fidem convertitur, matrimonium ratione partis fidelis iurisdictioni summi pontificis subiicitur, qui pro potestate sua illud solvere potest, etsi in infidelitate consummatum fuerit, modo post utriusque conversionem consummatum non sit. Id ex eo constat, quod summus pontifex eiusmodi matrimonia saepius iam solvit.

Theologi de hac quaestione hodie adhuc disputant. Qui potestatem hanc summi pontificis negant, acta s. sedis circa matrimonia infidelium dicunt authenticas declarationes iuris divini seu privilegii paulini²⁾; qui vero hanc potestatem summo pontifici tribuunt, ex ipsis actis s. sedis potissimum argumentum eam asserendi desumunt³⁾. Ipsa sancta sedes a dirimenda quaestione consulto abstinet et in suis decisionibus nunc eos loquendi modos

¹⁾ Cf. *Sanchez* l. 7. disp. 76. n. 9. *Ballerini-Palmieri* VI. n. 472 ss. *Lehmkuhl* II n. 709.

²⁾ *Pontius, Schmalzgrueber, Benedictus XIV., De Angelis* etc.

³⁾ *Sanchez, Pirhing, s. Alphonsus, D' Annibale, Ballerini, Palmieri, Gasparri, Feje, De Becker*, nec tacendi sunt duodecim theologi insignes societatis Iesu, inter quos numerantur *Bellarminus, Azor* et *Ledesma*, qui disputationem a se conscriptam de hac potestate a. 1589 summo pontifici obtulerunt. Cf. *Zitelli, De dispens. matr.* p. 183 ss.

adhibet, qui expresse non significant dissolutionem matrimonii in infidelitate contracti, sed solum dispensationem ab interpellatione.

Potestas solvendi matrimonia consummata infidelium, quae summo pontifici tribuenda est, ita explicanda videtur, ut dicatur *ipsam potestatem*, qua in favorem fidei solvantur matrimonia, esse immediate divinam et iuris divini, summum pontificem vero pro sua potestate condiciones determinare posse, sub quibus eiusmodi matrimonia solvantur, sicut s. Paulus apostolica sua auctoritate determinavit, ut matrimonium solvi possit, si pars infidelis discedat¹⁾.

a. *Ratio interna*, ob quam s. pontifex matrimonium in infidelitate consummatum solvere possit, cum primum eius potestati subest, desumenda est ex minore firmitate, quae matrimoniis infidelium convenit: matrimonium enim consummatum infidelium minus firmum est quam ratum fidelium, quia minus perfecte significat unionem indissolubilem Christi et ecclesiae; matrimonium autem ratum fidelium a summo pontifice solvi potest; ergo etiam matrimonium in infidelitate contractum et consummatum.

b. *Ratio externa* desumitur ex facto: etenim constans est praxis sanctae sedis permittendi infidelibus neoconversis aliud matrimonium etiam in iis adiunctis, in quibus privilegium paulinum applicari non potest, quia desunt requisitae condiciones, praesertim vero quia pars infidelis non *discedit*; atqui id permitti non posset, nisi prius matrimonium ex declaratione summi pontificis solvatur. Et sane permittitur aliud matrimonium:

α. Si pars infidelis de sua voluntate cohabitandi interrogari non potest, etsi fieri possit, ut etiam ipsa converti vel saltem pacifice cohabitare velit.

β. Si maritus fidelis, qui plures uxores habuit, eam retinere cupit, quae cum ipso convertitur, etsi haec non sit prima seu legitima, et legitima cohabitare velit.

γ. Non solum si pars infidelis non interpellata cohabitare voluisset, sed etiam si ipsa interim ad fidem conversa sit²⁾.

c. Summi pontifices expressis verbis hanc potestatem sibi tribuunt: „Nos attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta vera quidem non tamen adeo rata censerit, ut necessitate suadente dissolvi non possint³⁾“.

¹⁾ Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. II. n. 709.

²⁾ *Ballerini-Palmieri* VI. n. 444. ss. *De Becker* p. 430 ss.

³⁾ *Gregorius XIII.* constitutio *Populis ac nationibus* (25. ian. 1585) similia habet *Urbanus VIII.*

Quaestio tertia.

De sponsalibus.

Articulus primus.

De natura sponsalium.

36. Definitio. *Sponsalia* (a spondere) definiri possunt: *promissio mutua futuri matrimonii*.

a. Promissio mutua; pertinent ergo sponsalia ad contractus bilaterales onerosos; quam ob rem omnia principia, quae de his contractibus in genere valent, sponsalibus applicari debent. *Futuri matrimonii*: his verbis obiectum exprimitur, circa quod contractus sponsalium versatur; ideo dicuntur etiam *sponsalia de futuro*, et qui sibi mutuo promittunt matrimonium postea contrahendum, dicuntur *sponsi de futuro*.

b. Obiectum contractus sponsalitiæ est matrimonium suo tempore ineundum, idque tum validum tum licitum: ad matrimonium enim invalidum vel illicitum nemo se obligare potest. Quae ergo matrimonium reddunt invalidum vel illicitum, reddunt sponsalia ex parte obiecti invalida. Ubi notandum est discrimen inter promissionem illicitam et promissionem rei illicitae: haec enim nunquam obligat, cum non possit dari obligatio praestandi rem illicitam; illa vero obligat, si res illicitè promissa licite praestari potest. Hinc si quis voto castitatis obstrictus matrimonium promisit, invalida est promissio; at vero si quis insciis parentibus matrimonium promisit, illicitè egit, promissio autem valida est.

c. Sponsalia simpliciter et sine addito ordinarie significant sponsalia de futuro mox descripta, prout distinguuntur a sponsalibus de praesenti. Sponsalia de praesenti significant ipsum matrimonium ratum per copulam nondum consummatum, et sponsi de praesenti appellantur, qui matrimonium contraxerunt, antequam illud consumment.

37. Condiciones sponsalium. Ut sponsalia veram obligationem inducant, omnes illas qualitates habere debent, quae ad contractum validum requiruntur. Quae si in definitione explicite ponantur, sponsalia uberius definiri possunt: *promissio vera, deliberata, mutua, signo sensibili*

expressa futuri matrimonii inter personas habiles ad contrahendum.

1. *Vera*, i. e. interna et seria cum animo se obligandi et obligationem implendi, non externa et ficta tantum.

Num teneatur stare promissis, qui fecte matrimonium promittit.

a. In foro externo promissio habetur vera et valida, nisi probetur ficta; in foro interno autem is, qui matrimonium promittit *cum animo se obligandi* quidem, sed non cum animo implendi promissionem, vera sponsalia facit, ideoque promissioni suae stare tenetur.

b. Qui verbis exterius quidem promittit, *at sine animo se obligandi*, vera sponsalia non facit, quare vi sponsalium non tenetur inire matrimonium, etsi fictae promissioni iuramentum addidisset; si tamen ex ficta promissione alteri parti ortum est damnum, fecte promittens hoc reparare tenetur; quodsi alio modo reparari non potest, ipse per se ex iustitia inire tenetur matrimonium promissum, non quidem vi contractus, qui nullus est, sed ad reparandum damnum iniuste illatum¹⁾.

38. 2. *Deliberata*, i. e. cum plena cognitione obligationis, quae ex contractu sponsalium oritur, et cum perfecta voluntate se obligandi inita: gravem enim obligationem nemo sibi imponere censetur nisi ex perfecta cognitione et pleno consensu.

a. Cum ad sponsalia contrahenda usus rationis isque expeditus requiratur, prout perfecta deliberatio eum exposcit, *sponsalium incapaces* sunt infantes, ebrii, amentes, quin etiam semifatui, semiebrii, semidormientes etc.

b. Ad valide igitur contrahenda sponsalia per se sufficit *aetas septem annorum*, immo iam ante septennium valide contrahi possunt, si malitia suppleat aetatem, i. e. si adsit sufficiens usus rationis.

c. Ordinarie valida sunt sponsalia, quae *in aestu passionis* e. g. ira vel vehementi amore impellente contrahuntur, quia hinc quidem aestus passionis raro aufert deliberationem, quae ad graviter peccandum atque ideo ad contrahenda sponsalia requiritur, inde vero quia sponsalia ex vehementi passione inita nullo iure declarantur invalida.

¹⁾ Duo de ficta matrimonii promissione notanda sunt: a. Qui fecte matrimonium promittit, in foro externo ad illud contrahendum compellitur: etenim in hoc foro praesumitur animus externae promissioni conformis ideoque etiam obligatio ad id, quod promittitur, nisi defectus seriae voluntatis probetur. b. Qui fecte matrimonium promittit, ordinarie graviter peccat contra iustitiam, quia alteram partem in re gravi decipit, quippe quae ius habeat exigendi, ut promittens serio agat.

d. Libertati sponsalium sicut aliorum contractuum maxime ob-
sunt *error et metus*. Error, qui contractum matrimonialem constituit
invalidum, irritat etiam sponsalia¹⁾; de sponsalibus autem ex metu
initis haec notanda sunt:

39. De sponsalibus ex metu iniusto initis. a. Si
metus *gravis* est, sive absolute sive relative tantum, spon-
salia quidem valida sunt tum iure naturae tum iure eccle-
siastico, quod sponsalia ex metu gravi et iniusto inita non
declarat invalida, modo constet consensum fuisse verum
et internum; attamen rescindi possunt ex parte eius, qui
metum passus est.

b. Si metus *levis* est, sive absolute sive relative, spon-
salia certe valida sunt, sed pari modo rescindi possunt
ex parte eius, qui metum passus est.

Sunt quidem, qui doceant sponsalia gravi metu iniuste extorta
utroque iure, naturali et positivo, invalida esse; verum praeferenda
videtur sententia proposita. Et sane

α. Iure naturae omnis contractus, qui gravi metu iniuste incusso
extortus est, validus censetur, matrimonio et professione religiosa ex-
ceptis²⁾; atqui nulla est ratio sponsalia ab aliis contractibus excipiendi,
etsi matrimonium excipiatur.

β. Textus iuris canonici, qui allegari solet ad probandam horum
sponsalium invaliditatem³⁾, rem evincere non videtur⁴⁾.

γ. Haec quaestio eatenus *practicum momentum* habet, quatenus
ex eiusmodi sponsalibus, si valida sunt, impedimentum publicae hone-
statis oritur, si vero invalida sunt, impedimentum non oritur. Iam
vero theoretice sententia affirmans validitatem omnino tenenda videtur;
cum tamen sententia validitatem negans sua probabilitate saltem ex-
terna non destituatur (*S. Alphonsus* n. 844 negantem dicit probabi-
liorem), practice dicendum est ex eiusmodi sponsalibus non oriri im-
pedimentum publicae honestatis: impedimentum enim dubium impedi-
mentum nullum est.

40. 3. Mutua: sponsalia enim sunt contractus bila-
teralis, vi cuius contrahentes sibi mutuo obligantur. Quare
non sufficit, ut una pars promittat et altera promissionem

¹⁾ Cf. *De praeceptis* n. 526 s.

²⁾ Cf. *De praeceptis* n. 527, ubi huius affirmationis ratio exponitur.

³⁾ C. Ex litteris 11. *De desponsat. impub.* (IV. 2).

⁴⁾ Cf. *Matharan* n. 16.

acceptet, sed requiritur, ut altera pars repromittat: solum enim si promissio acceptata per repromissionem confirmata est, habetur utriusque partis mutua obligatio.

a. *Promittens ante repromissionem tenetur stare promissis*, si absolute et gratuito promittere intendit, modo altera pars promissionem acceptaverit. Ordinarie vero qui sponsalia contrahere intendit, ante repromissionem ad nihil obligatur: verba enim contrahentium intelligenda sunt secundum naturam contractus; sed sponsalia natura sua sunt contractus mutuus, qui non continet sponsonem simplicem, sed condicionatam: *promitto, si tu quoque promittis*. Inde ortum est adagium inter canonistas usitatum: *sponsalia non claudicant* i. e. aut in utroque sponso aut in neutro pariunt obligationem.

b. Frequenter in acceptatione promissionis *virtualiter* continetur repromissio; sic mulier honesta, quae post acceptationem sponsalium in fornicationem consentit, vel quae promissionem acceptat, postquam de sponsalibus hic et nunc contrahendis actum est, virtualiter repromittere censetur¹⁾.

41. 4. *Signo sensibili expressa*: neque enim de acceptatione promissionis nec de repromissione constare potest, nisi ex utraque parte adhibeantur signa externa. Requiritur autem et sufficiunt illa signa, quae vel ex se vel ex usu vel ex adiunctis significant promissionem matrimonii determinatae personae factam: verba, nutus, litterae etc.

a. Quare non fiunt sponsalia his verbis: *promitto tibi amorem meum, fidelitatem meam; non aliam ducam nisi te*. Haec enim verba: *Non ducam aliam, quam te — iuro me nullam aliam ducturum praeter te* non continent vera sponsalia, quia non significant absolutam matrimonii promissionem. Cum eorum sensus sit: *si aliquam ducturus sum, te ducam*, qui serio eiusmodi verbis utitur, ad alterutrum tenetur, aut ad abstinendum a matrimonio aut ad hanc ducendam. Ceterum cum eiusmodi promissio ex una parte facta non obliget nisi ex fidelitate et proinde sub levi, ex quavis rationabili causa licet aliam uxorem ducere.

b. Ergo praeter verba etiam alia signa e. g. traditio et acceptatio annuli, porrectio manus, oblatio et acceptatio munerum etc. adhiberi possunt, quae, si praecesserit tractatio de futuro matrimonio, sufficienter consensum sponsalium significant.

¹⁾ *Ballerini-Palmieri* VI. n. 22.

c. Taciturnitas non contradicentis mulieris, cui offertur matrimonium, non sufficit ad contrahenda sponsalia, etsi interius in promissionem consenserit. Si verba vel signa *dubia* sunt, non censentur orta sponsalia.

42. De sponsalibus a parentibus pro filiis initis.

Sponsalia per se ab ipsis futuris sponsis fieri debent, nec valent ab aliis pro eis contracta, nisi agatur de procuratore cum mandato speciali. Attamen *ex dispositione iuris parentes pro filiis minoribus sponsalia inire possunt*¹⁾, scilicet ex praesumpto consensu in foro externo.

Valent ergo sponsalia, quae parentes contrahunt pro filiis minorennibus, si hi praesentes sunt et non contradicunt vel si absentes quidem sunt, sed postea, de re moniti, non contradicunt, dummodo ad silendum inducti non fuerint metu reverentiali. Quia vero sponsalia suapte natura verum et internum consensum exposcunt, si filii revera non consentiant, in foro interno nulla oriuntur sponsalia.

a. At matrimonium parentes pro filiis etiam praesentibus et consentientibus valide contrahere nequeunt. Dispositio enim iuris, quae de sponsalibus valet, non est extendenda ad matrimonium, cuius non est eadem ratio, cum matrimonium sit indissolubile, sponsalia vero facile solvi possint²⁾.

b. Si parentes, ut mos est apud Sinenses, pro suis infantibus usum rationis nondum habentibus sponsalia contrahunt, haec manifesto invalida sunt; quia tamen leges civiles eiusmodi sponsalia declarant valida et vix unquam eorum solutionem permittunt, prudentia exigit, ut missionarii eorum solutionem suadeant, at non exigant, ne odium infidelium in religionem christianam concitetur.

43. 5. *Inter personas habiles.* Habiles ad contrahenda sponsalia dicuntur, qui valide et licite matrimonium inire possunt; qui ergo aetatem a iure praescriptam habent et nullo impedimento nec dirimente neque impediante prohibentur; qui vero matrimonium validum et licitum inter se inire nequeunt, ad contrahenda sponsalia inhabiles

¹⁾ C. Si infantes un. § 2. *De despons. imp.* (IV. 2) in 6°.

²⁾ *Matharan* n. 81.

sunt, quia eorum sponsalia utpote de re impossibili vel illicita, invalida sunt.

Ergo sponsalia *absolute* contracta ab eo, qui aliquo impedimento sive dirimente sive impediante laborat, invalida sunt; cum restrictione autem contracta valere possunt, ut infra dicitur. Ad contrahenda enim sponsalia necesse non est, ut contrahentes inter se inire possint matrimonium eo tempore, quo contrahunt sponsalia, sed sufficit, ut illud *aliquando* inire possint.

44. Sponsalia dividuntur: *a.* In *sollemnia* seu ecclesiastica, quae coram parochi et testibus celebrantur, et *privata* seu clandestina, quae a solis contrahentibus nemine praesente vel coram parentibus tantum fiunt.

a. Sponsalia privata valida et licita sunt, quia nullo iure ad sponsalia sive valida sive licita praesentia parochi vel testium requiritur. Statuta tamen dioecesana in quibusdam locis exigunt, ut sponsalia in facie ecclesiae seu coram parochi celebrentur, tum ut promissiones illicitae, inconsultae et dubiae praecaveantur, tum ut sponsalia serio ac religiose perficiantur, tum denique ut parochus ad denuntiationes procedere possit. Nequit autem episcopus in contrahendis sponsalibus formalitates praescribere, a quibus validitas eorum dependeat¹⁾.

β. Merito tamen notat *Marc* (n. 1951): „Saepenumero promissiones futuri matrimonii, quae inter adolescentes sese invicem adamantes fieri solent, non sunt vera sponsalia, cum propositi potius quam contractus onerosi condiciones prae se ferant, in illis praesertim regionibus, ubi est in more positum, ut sponsalia cum aliqua sollemnitate ineantur“.

b. In *simplicia et poenalia*, in quibus poena adiecta est, si alterutra pars sine legitima causa a sponsalibus recedit.

¹⁾ Ex iure civili in *Hispania* non valent sponsalia, nisi publica scriptura firmata sint. Lex ista in se quidem invalida, per consuetudinem ab ecclesia approbatam, vim legis obtinuit. Cf. Acta s. Sedis XIII. 191. Et quamvis recenti tempore lex ista abolita sit, tamen sponsalia sine publica scriptura inita declarantur invalida (S. C. C. 10. apr. 1891). Utrum solum pro foro externo, an etiam pro foro interno invalida sint, auctores hucusque disputabant; verum nunc constat ea esse invalida pro foro externo et interno. *S. C. pro neg. eccl. extraord.* 5. nov. 1901. Cf. *Villada*, Casus consc. II. p. 76 ss. *Matharan* n. 17. Haec eadem lex ex decretis *concilii plenarii Americae latinae* (a. 1899) valet etiam in *America latina*.

Ius positivum *invalidam* declarat *poenam* ex contractu ab eo solvendam, qui a sponsalibus recedat, ne libertas matrimoniorum diminuatur¹⁾. Lex ista ex omnium sententia ita intelligenda est, ut invalida declaretur poena ab eo solvenda, qui *inuste* a sponsalibus recedit: utrum invalida sit necne poena ab eo solvenda, qui *iniuste* a sponsalibus resilit, auctores disputant. Cum sententia affirmans probabilis sit, confessarius obligare nequit iniuste resilientem ad poenam solvendam²⁾.

c. In *absoluta* et *condicionata* prout sub aliqua conditione aut sine illa ineuntur. De sponsalibus condicionatis eadem valent, quae de contractu condicionato dicta sunt³⁾.

45. Nota. a. A poena sponsalibus adiecta distingui debet *arra* (Angeld), quae est omne id, quod sponsi mutuo sibi tradunt in *signum* sponsalium initorum et in *pignus* matrimonii contrahendi. Qui a sponsalibus recedit, amittit ea, quae dedit, et accepta reddere debet, matrimonio vero contracto sponsi recuperant arrham, quam dederant. Arrhae non sunt illicitae.

b. Ab arrhis distinguenda sunt *dona* seu munera, quae praesertim a sponso tradi solent sponsae. Eiusmodi munera, si pro conditione sponsorum exigui sunt valoris, censentur absolute donata et proinde non sunt restituenda, si matrimonium non sequatur. Quodsi magni sint valoris, donata censentur intuitu futuri matrimonii, et proinde restituenda sunt, si matrimonium non sequatur. Attamen iuxta probabilem sententiam retineri possunt, si ex culpa sponsi solvantur sponsalia.

46. De sponsalibus impuberum. Sponsalia impuberum ex iure ecclesiastico valida censentur, sed suspensa. Scilicet tempore impubertatis eiusmodi sponsalia non possunt, ne mutuo quidem consensu, rescindi; postquam autem sponsi pubertatem adepti sunt, (intra triduum a cognita hac facultate) sponsalia pro lubitu rescindere possunt, et quidem si ambo impuberes erant, uterque resilire potest, simul ac pubertatem adeptus est, quamvis alia pars adhuc impubes maneat; et solus impubes, si cum alio iam

¹⁾ C. Gemma 29 *De spons. et matrim.* (IV. 1).

²⁾ Cf. *Ballerini-Palmieri* VI. n. 116 ss.

³⁾ *De praeceptis* n. 531.

pubere sponsalia fecit. Quamdiu altera pars impubes est, puber solum ob causam, ex qua etiam invita comparte sponsalia solvere licet, ab iis resilire potest.

Ex iure ecclesiastico ad contrahenda sponsalia requiritur septennium completum¹⁾. Num in contrahendis sponsalibus malitia suppleat aetatem, in iure quidem nullibi statuitur; quia tamen in contrahendo matrimonio id expresse cautum est, plerique auctores etiam in contrahendis sponsalibus idem admittunt, praesertim quia existente in contrahentibus sufficiente usu rationis sponsalia iure naturae ante septennium valide et licite iniri possunt.

47. De sponsalibus per procuratorem initis. Sponsalia sub certis condicionibus tum valide tum licite per procuratorem iniri possunt: matrimonium enim per procuratorem iniri potest; ergo etiam sponsalia.

Condiciones autem requisitae sunt: *a.* ut procurator habeat speciale mandatum contrahendi sponsalia cum determinata persona; *b.* ut mandatum exequatur ipse per se et non per alium, nisi habeat potestatem alium sibi substituendi; *c.* ut mandatum non sit revocatum, etsi nec procuratori nec alteri parti, quacum contrahit sponsalia, revocatio innotuit²⁾.

48. De sponsalibus invitis parentibus initis.
a. Sponsalia sine consensu parentum inita *per se* valida sunt, ubi nempe ipsum matrimonium non est illicitum: consensus enim parentum neque iure naturae nec lege positiva ad valida sponsalia requiritur. Insuper matrimonium certe validum est, etsi in sciis vel invitis parentibus contrahatur³⁾; ergo etiam sponsalia, quae sunt via et praeparatio ad matrimonium.

b. *Per accidens* autem fieri potest, ut non quidem matrimonium sed sponsalia, quae invitis parentibus fiant,

¹⁾ C. Litteras 4 et C. Accessit 5 *De spons. impub.* (IV. 2).

²⁾ Nihil impedit, quominus procuratorem agat femina; siquidem necesse non est, ut is, qui procuratorem agit, ipse sit capax illius iuris, quod mandanti acquiritur. Hinc fieri potest, ut duo viri vel duae feminae officio procuratorum fungentes sponsalia contrahant pro sponsis absentibus. Cf. *Sanchez* l. 2. disp. 11. n. 15.

³⁾ Cf. *concilium trid.* sess. 24. c. 1. De reform. matr.

invalida sint. Scilicet si parentes iustam rationem habent dissentiendi, sponsalia sunt invalida, non propter dissen- sum parentum, sed quia matrimonium in hoc casu illicitum est; ad rem illicitam autem nulla est obligatio. Hinc si parentes sine iusta ratione dissentiunt, sponsalia non solum valida, sed etiam licita sunt, modo eorum consilium debite exquisitum fuerit.

Omnes consentiunt parentes iuste dissentire, si matrimonium cedit in *dedecus familiae* vel si ex eo *gravia scandala vel dissensiones* oritura praevidentur: filii enim dedecus familiae ex iustitia et scandala atque dissensiones ex caritate praecavere tenentur; unde eorum matrimonium in hoc casu illicitum esset. Utrum iuste dissentiant parentes *propter notabilem disparitatem condicionis* utriusque sponsi, sive ex nobilitate sive ex divitiis ea oriatur, an vero sponsi in hoc casu teneantur stare promissis, non aequè consentiunt auctores. Notandum est quaestionem supponere, sponso tempore sponsalium disparitatis inter ipsos existentis sibi conscios fuisse: etenim si eam ignorassent, sponsalia aut invalida aut saltem rescindibilia essent. Itaque *a.* si matrimonium propter disparitatem condicionis utriusque sponsi affert aut dedecus familiae aut scandala sive odia et dissensiones propinquorum, sponsalia propter hos effectus futuri matrimonii invalida sunt. Quodsi *b.* nihil horum ex futuro matrimonio timendum est, sponsalia censi debent valida; et sane illicitum non est, ut nobilis cum plebeia, dives cum paupere matrimonium ineat.

49. De sponsalibus inter eos initis, qui aliquo impedimento sive dirimente sive impediante laborant.

1. Sponsalia inter personas impedimento indispensabili laborantes invalida sunt: cum enim matrimonium propter impedimentum nunquam valide iniri possit, spondentes se obligant ad rem illicitam et impossibilem; ad rem autem illicitam vel impossibilem nulla est obligatio.

Indispensabile dicitur impedimentum, in quo ecclesia dispensare aut non potest, aut nunquam solet, aut dispensare quidem solet, sed in particulari casu desunt causae, quae ad obtinendam dispensationem sufficiant.

2. Idem dicendum est de sponsalibus *absolute* initis inter personas impedimento dispensabili laborantes: quamdiu enim impedimentum existit, licite contrahere non possunt; ergo neque ad contrahendum absolute se obligare possunt.

3. Sponsalia *condicionate* inita:

a. Certe valida sunt, si impedimentum aut ex se aut ex contrahentium voluntate cessat.

α. Hinc valide et licite contrahit sponsalia cessante voto implenda, qui temporaneo voto castitatis obstrictus est. — Valide et licite pars catholica cum parte acatholica contrahit sponsalia post conversionem partis acatholicae implenda. Vi horum sponsalium pars acatholica tenetur ad conversionem, quam cum matrimonio implicite promisit.

β. Si maritus vivente uxore sua (etsi infirma, immo morti proxima) alteri matrimonium promittit mortua uxore ineundum, non solum graviter peccat, quia eiusmodi promissio iure ecclesiastico sub gravi prohibetur, ne detur ansa captandae mortis¹⁾, sed ex *Sanchez*²⁾ etiam invalide promittit, quia propter impedimentum dirimens inhabilis est, et ex *Lacroix*³⁾, quia ius eiusmodi promissionem irritat. — Verum haec sponsalia omnino valida videntur, tum quia inhabilitas ob impedimentum, quod sine dispensatione cessat, non obstat validis sponsalibus, tum quia ius haec sponsalia illicita, non invalida declarat.

b. Si impedimentum solum per dispensationem cessat, et sponsalia fiunt sub conditione expressa vel tacita *si papa (episcopus) dispensaverit*, ipsa pariter valida sunt: etenim sunt contractus initus sub conditione possibili et honesta; in iure autem non irritantur, sed potius ut valida agnoscuntur, quia etiam resignatio beneficii cum pensione sub conditione facta, *si papa consenserit*, valida habetur⁴⁾.

α. Sunt quidem (*Feje, De Becker*), qui eiusmodi sponsalia simpliciter invalida dicant, tum quia inhabiles ad matrimonium ineundum etiam inhabiles censentur ad sponsalia sive absolute sive condicionate contrahenda, tum quia variae decisiones congregationum romanarum ea invalida declarant⁵⁾. Verum primum argumentum infirmum esse ex eo patet, quod sponsalia condicionata inita cum impedimento, quod sine dispensatione cessat, valida dicuntur. Pleraeque autem decisiones romanae ad sponsalia referuntur, quae non subsistentia declarantur, quia ante impletam condicionem a sponsis soluta sunt⁶⁾. Nihilominus

¹⁾ C. Si quis fin. 18 *De eo, qui duxit* (IV. 7).

²⁾ Cf. l. 7. disp. 79. n. 40.

³⁾ Cf. l. 6. pr. 3. n. 55.

⁴⁾ Cf. *Schmalzgrueber*. Inter recentiores hanc sententiam tuetur *Ballerini-Palmieri* VI. n. 57.

⁵⁾ Cf. *De Becker* p. 14.

⁶⁾ Cf. *Ballerini-Palmieri* VI. n. 57 s.

probabilitas huic sententiae prorsus negari nequit. Ex decisionibus quibus ecclesia invalida declarat sponsalia, ubi matrimonio promisso obstat impedimentum disparitatis cultus vel mixtae religionis¹⁾, id certe colligitur, ecclesiam haec impedimenta, in quibus aegre tantum ac veluti invita dispensat, quoad sponsalia habere ut impedimenta non dispensabilia²⁾.

β. Sponsalia inita *cum persona acatholica*, si fiant sub condicione obtinendae dispensationis, hac obtenta et acceptata valida sunt, saltem post renovatum consensum (n. 536); at parti catholicae matrimonio nondum inito manet facultas recedendi a sponsalibus, nisi matrimonium sit medium necessarium reparandi iniuriam. Cum enim matrimonium mixtum raro sit plane licitum et ecclesia illud semper dissuadeat, adest ratio sufficiens sponsalia dissolvendi.

50. De necessitate sponsalium. Etsi matrimonio non debeant necessario praemitti sponsalia, adeo ut illud tum valide tum licite sine sponsalibus contrahi possit; complures tamen extant rationes, ob quas matrimonio sponsalia praemittantur.

Rationes, ob quas matrimonio praemitti soleant sponsalia, sunt: α. ut sponsi interim parent ea, quae necessaria sunt ad vitam coniugalem ducendam; β. ut alter indolem et mores alterius interim experiatur: licet enim iam ante sponsalia haec investigatio necessaria sit, ipsa tamen tempore sponsalium continuari potest et debet; et si inde constaret matrimonium infelicem exitum habiturum esse, haec praevio sufficiens ratio esset recedendi a sponsalibus; γ. ut crescat desiderium futuri matrimonii; δ. ut interim matrimonium futurum denuntiari, atque ut exquiri possit, num aliquod impedimentum inter sponsos subsistat.

Articulus secundus.

De effectibus sponsalium.

51. Quatuor sunt effectus sponsalium: 1. *Obligatio iustitiae* eaque *gravis* ad matrimonium postea contrahendum.

a. Oritur *obligatio*, quia sponsalia sunt contractus; omnis autem contractus veram obligationem parit. *Iustitiae*, quia sponsalia sunt contractus onerosus; omnis autem contractus onerosus obligationem

¹⁾ *S. Officium* in instruct. 12. dec. 1888.

²⁾ Cf. *Génicot* II. n. 442.

iustitiae parit. *Gravis*, quia obiectum contractus est res gravis scilicet matrimonium. *Ad matrimonium* aut, si iniuste a sponsalibus receditur, saltem ad reparandum damnum, quod ex solutione iniusta ortum est. *Postea* i. e. tempore determinato, si quod in contractu sponsalium praefinitum est, aut si nullum definitum fuit, quando una pars matrimonium rationabiliter postulat. Quare matrimonium ultra id tempus sine iusta causa notabiliter differre, peccatum grave est.

b. Obligationi utriusque sponsi contrahendi cum altero matrimonium in utroque respondet ius exigendi ab altero suo tempore matrimonium. Ideo *a.* non licet iuveni, qui sponsalia contraxerat cum puella, hanc citra iniuriam derelinquere, ut aliam ducat in uxorem, etsi eam abundanter dotare velit: nam sponsa ipsum matrimonium iure suo exigere potest. *β.* Potest episcopus tamquam iudex in hac re competens eum, qui valida sponsalia implere recusat, nisi adsit iusta resiliendi causa, etiam additis censuris compellere, ut servet datam fidem. In praxi tamen raro expedit, ut sponsi cogantur inire matrimonium, quia eiusmodi matrimonia coacta infelicem exitum habere solent.

c. Sponsalia eo quod obligant ad matrimonium postea contrahendum, obligant etiam ad omittenda omnia, quae futurum matrimonium impedire vel difficilius et gravius reddere possunt, et proinde ad omittenda ea, quae parti innocenti causam praebent rescindendi sponsalia, praesertim vero commercium carnale cum tertia persona¹⁾.

2. Invaliditas sponsalium, quae cum alia persona contra fidem priorum contrahuntur: quod enim vi promissionis uni iam debetur, non potest alteri promitti.

Hinc si iuvenis cum duabus feminis sponsalia contraxit et cum secunda peccavit:

a. Tenetur ducere primam, nisi haec iure suo sponte cedat: prima enim sponsalia vim suam non amittunt, etsi postmodum alia contraxerit. Quocirca primae sponsae suaderi potest, ut iuri suo sponte renuntiet, ad id autem non tenetur, etsi ipsa nullum vel leve tantum, secunda vero magnum detrimentum pateretur²⁾.

b. Si prima iure suo sponte cedit, iuvenis secundam ducere tenetur, non quidem vi promissionis, quae nulla fuit, sed ad reparanda damna secundae illata, ubi haec ob spem futuri matrimonii in copulam consensit et ex ea gravida evasit.

c. Quodsi secunda, quando copulam cum eo habuit, sponsalia cum prima iam inita cognovit, iuvenis aliam obligationem erga secundam

¹⁾ Quale peccatum sit copula carnalis sponsorum cum tertia persona, dicitur in fasciculo *De sexto praecepto* n. 19, 2.

²⁾ *S. Alphonsus* n. 640.

non habet, nisi ut pro educatione prolis forte susceptae solvat, quia scienti et volenti non fit iniuria.

3. *Publica honestas*, quae est relatio quasi-affinitatis orta inter alterutram partem sponsorum et consanguineos alterius partis et constituens impedimentum dirimens publicae honestatis.

4. *Impedimentum impediens*, quominus matrimonium licite cum tertia persona iniri possit.

52. Ad quid obligent sponsalia sub condicione inita. *a.* Sponsalia inita *sub condicione possibili et honesta* (e. g. si hoc munus accepero) obligant sub gravi ex iustitia ad expectandum condicionis eventum; impleta autem condicione absque alio consensu transeunt in absoluta et ceterorum sponsalium obligationes pariunt, dummodo neutra pars consensum interim revocaverit.

Invalida sunt sponsalia, quae ante condicionis eventum cum tertia persona contrahuntur, quia sunt contra ius alterius partis; at impedimentum publicae honestatis sponsalia condicionata non producunt, quia non sunt perfecta sponsalia.

b. Sponsalia inita *sub condicione impossibili* sunt invalida, nisi probetur condicionem ioco appositam et sponsalia serio inita fuisse.

c. Sponsalia inita *sub condicione turpi* ante impletam condicionem invalida sunt, ideo non obligant ad expectandum condicionis eventum; impleta autem condicione transeunt in absoluta et pariunt obligationem ineundi matrimonium, nisi condicio adversetur substantiae matrimonii.

Sponsalia sub condicione inita *si papa dispensaverit* ex supra dictis *a.* sunt valida sponsalia, ex quibus oritur obligatio procurandi et expectandi dispensationem eamque, si conceditur, acceptandi.

β. Non ipsa dispensatione, sed dispensationis acceptatione sponsalia condicionata fiunt absoluta; dispensatio autem simulac sponsis communicatur, etiam acceptari censetur, nisi expresse reiiciatur aut consensus sponsalitiis interim revocatus fuerit.

γ. Quia tamen sententia, vi cuius haec sponsalia invalida sunt nullamque obligationem pariunt, externa saltem probabilitate non caret et ab ipso *s. Alphonso* (n. 843) probabilis habetur, non posset cogi ad ineundum matrimonium, qui post obtentam dispensationem matrimonium inire recuset.

Articulus tertius.

De dissolutione sponsalium.

53. Quomodo solvi possint. Sponsalia sunt contractus suapte natura dissolubilis, quippe cuius perpetuitatem nec lex divina ut in matrimonio nec lex humana ut in professione religiosa exigat. Duplici autem modo sponsalia dissolvi possunt, aut *ipso iure* ex utraque parte aut *per voluntatem unius partis*, cui iusta praebetur causa resiliendi. Iam indicandae sunt causae, quae ipso iure ex utraque parte sponsalia solvunt, et causae, quae uni parti facultatem concedunt sponsalia rescindendi. Patebit tam varias esse has causas, ut iudex ecclesiasticus vel confessarius raro obligationem sponsalium urgere possit.

§ 1. Causae, ob quas sponsalia ipso iure solvuntur.

Existente causa, quae sponsalia ipso iure ex utraque parte solvit, utrique parti conceditur libertas aliud matrimonium ineundi. Eiusmodi causae quatuor numerantur: *mutuus consensus, impedimentum superveniens, electio status perfectioris, dispensatio summi pontificis.*

54. Mutuus consensus, quo sponsi obligationem sponsalium sibi remittere possunt, etsi iuramento fuissent firmata: omnis enim contractus mutuo consensu solvi potest, sicut mutuo consensu ortus est, nisi ius eius resolutioni resistat; atqui solutioni contractus sponsaliti inter puberes ius non resistit¹).

a. Hoc valet etiam in casu, quo sponsi post sponsalia copulam carnalem habuerint: per copulam enim ipsa sponsalia maiorem firmitatem non acquirunt. Aliae tamen obligationes implendae sunt, si sponsa facta sit gravida.

b. Qui iuramentum sponsalibus addit, erga Deum se obligat ad matrimonium promissum contrahendum; Deus autem obligationem acceptat in gratiam eius, cui matrimonium promissum est; si ergo iste

¹) C. Praeterea 2 *De sponsal. et matrim.* (IV. 1).

obligationem remittit, eam etiam Deus remittere censetur; hinc mutuo consensu solvuntur etiam sponsalia iuramento firmata. Ideo iuramentum, quod sponsalibus additur, hac tacita condicione fit: *nisi ab altera parte remittantur.*

55. Impedimentum superveniens, quo matrimonium promissum redditur impossibile: quod enim sponsos prorsus inhabiles reddit ad ineundum matrimonium promissum, penitus aufert obligationem sponsalium. Impedimenta supervenientia esse possunt:

a. Impedimenta iuris naturae ut amentia, impotentia perpetua, quae absolute inhabiles reddunt, vel *iuris ecclesiastici*, in quibus dispensari potest; priora simpliciter solvunt sponsalia.

Si superveniat impedimentum dirimens futurum matrimonium, in quo dispensari potest ut cognatio spiritualis vel affinitas ex copula illicita, sponsalia non eo ipso solvuntur, sed pars, quae voluntarie impedimentum contraxit, tenetur petere dispensationem, si pars innocens urgeat promissionis executionem. Excusatur quidem ab obligatione petendi dispensationem, si eam obtinere nequeat nisi cum magnis expensis et longa mora¹⁾; verum hodie haec excusatio vix unquam locum habebit.

b. Professio religiosa et susceptio ordines sacri: qui enim professionem emittit vel ordinem sacrum suscipit, ad contrahendum redditur inhabilis, cum professio sollemnis et ordo sacer constituent impedimentum perpetuo dirimens matrimonium. Quoad professionem religiosam accedit alia ratio: si enim ex dispositione iuris per professionem solvuntur sponsalia de praesenti, a fortiori solvuntur sponsalia de futuro.

c. Matrimonium cum alia persona contractum, quod tamen non certo sed probabiliter tantum sponsalia dissolvit.

Omnes concedunt alteram sponsorum partem habere ius statim aliud ineundi matrimonium; quaestio autem, utrum obligatio sponsalium per subsequens matrimonium cum alia persona initum penitus extinguatur, an solum durante matrimonio suspendatur, adeo ut soluto matrimonio iterum reviviscat, controversa est. Qui docent sponsalia

¹⁾ *S. Alphonsus* n. 858.

omnino solvi, provocant ad corpus iuris, quod ita habet: sponsalia de futuro, etiam iurata, solvuntur per sponsalia secunda de praesenti¹⁾. Insuper hanc rationem addunt: obligatio firmior matrimonii extinguit obligationem minus firmam sponsalium. Tandem qui matrimonium contrahit, per se inhabilis redditur ad ineundum matrimonium promissum, cum suscipiat statum *ex se* perpetuum, qui matrimonio promisso repugnat. Quodsi matrimonium morte compartis dissolvatur, id fit *per accidens* nec rei naturam mutat. Qui vero cum *s. Alphonso* (n. 875) docent sponsalia solum suspendi, argumentantur in hunc modum: qui contrahit matrimonium, non redditur absolute inhabilis, cum matrimonium contractum non repugnet matrimonio promisso pro tempore, quo prius matrimonium per obitum alterius partis solutum fuerit. Insuper qui edito voto castitatis matrimonium contraxit, tenetur soluto matrimonio votum implere; ergo etiam qui initis sponsalibus matrimonium contraxit, tenetur soluto matrimonio sponsalia implere, si altera pars velit. Tandem nemini fraus sua patrocinari debet. — Cum utraque sententia vere probabilis sit, merito scribit *Ballerini*: confessarius nec viduum cogere potest ad pristinam illam promissionem implendam nec impedire, quominus altera pars ius suum prosequatur et urgeat coram iudice, cuius sententiam admittere uterque tenebitur²⁾.

56. Electio status perfectioris. 1. Sponsalia enim semper fiunt cum hac tacita condicione: *nisi perfectiorem statum elegero*³⁾; ergo uterque sponsus sibi reservat ius libere et licite transeundi ad statum perfectiorem relicto statu matrimoniali.

Sunt quidem, qui hanc vim solvendi sponsalia non tribuant electioni cuiusvis status perfectioris; sed solum *electioni status religiosi* seu voluntati et voto profitendi religionem: hi enim dicunt illicitam esse electionem alterius status et proinde invalidum votum assumendi statum perfectiorem, quia Deus non acceptat, quod alteri iam promissum est. Verum cum eadem ratio pro *omni statu perfectiori* militet, ad omnes aequae extendenda est. Ratio autem est tacita condicio, sub qua sponsalia fiunt. Solvuntur enim sponsalia propter notabilem mutationem supervenientem, qua scilicet praevisa sponsalia non fuissent inita; sed eiusmodi mutatio est vocatio ad statum perfectiorem et voluntas eum assumendi⁴⁾.

¹⁾ C. Duobus 1 *De sponsa duorum* (IV. 4) et C. Si inter 31 *De sponsal. et matr.* (IV. 1). Ideo *Instructio pro iudiciis eccl.* (n. 8) simpliciter affirmat sponsalia in hoc casu *dissolvi*.

²⁾ *Gury-Ballerini* II. n. 733.

³⁾ *S. Alphonsus* n. 870 ss.

⁴⁾ Cf. *Ballerini-Palmieri* VI. n. 185.

2. Status eiusmodi perfectior est: *a. Status virginitatis*, quem eligit, qui emittit votum castitatis perpetuae.

In *foro externo* quidem sponsalia, propter votum privatum castitatis perpetuae non iudicantur soluta, in *foro interno* autem hoc votum emittentem ab obligatione sponsalium reddit liberum, dummodo seria et sincera voluntate emissum sit.

b. Status clericalis in ordine sacro, quem eligit, tum qui facit votum suscipiendi ordines sacros, tum qui suscipit minores vel ingreditur seminarium clericale cum vera et sincera voluntate suscipiendi ordines sacros.

c. Status regularis in ordine vel congregatione cum votis perpetuis, quem eligit, tum qui facit votum ingrediendi religionem, tum qui religionem ingreditur cum vera et seria voluntate in ea emittendi professionem.

a. Auctores disputant, utrum electione status perfectioris sponsalia ex utraque parte solvantur, an alteri parti solum ius resiliendi a sponsalibus detur, si ipsa velit. Iuxta primam sententiam sponsalia (in foro interno) solvuntur per ipsum actum voluntatis, quo unus sponsorum sincere servitio divino in statu perfectiori se dedicat; iuxta sententiam secundam per voluntatem eligendi statum perfectiorem altera pars fit libera, quia eligens statum perfectiorem iure suo cedit; ipse vero liber evadit suscepto demum statu perfectiori i. e. suscepto ordine sacro vel emissa professione religiosa.

β. Cum sententia affirmans solutionem sponsalium ex utraque parte vere probabilis sit, confessario non competit ius cogendi eum ad implenda sponsalia, qui conceptam voluntatem amplectendi statum perfectiorem non exequitur, sed e. g. post aliquod tempus e novitiatu vel e seminario egreditur. Supponitur tamen ipsum sincere ex vero amore status perfectioris egisse: etenim si dolose animum vitae perfectioris solum affectasset, ab obligatione sponsalium certe non liberatur¹⁾.

57. Dispensatio summi pontificis. Si sponsalia ab initio valida ex alia causa solvi non possunt, in iis ex iusta causa dispensare potest summus pontifex, isque solus, non autem episcopus: nam *a.* summus pontifex dispensare potest in matrimonio rato; ergo a fortiori in sponsalibus; *b.* summus pontifex in sponsalibus reipsa dispensat; ergo in iis dispensare potest. Et sane, bonum commune

¹⁾ Cf. *Ballerini-Palmieri* VI. n. 174 ss. *Gasparri* I. n. 92 ss. *De Becker* p. 19.

exigit, ut summus princeps existente iusta causa dispensare possit in iure, quod tertio quaesitum est.

a. Episcopus potest quidem in causis sponsalium iudicare, num valida, num ex utraque parte soluta, num ex una parte rescindibilia sint, at valida sponsalia per dispensationem solvere nequit: ubi enim in sponsalibus dispensatur, ius acquisitum alterius partis aufertur; atqui ius iuste acquisitum auferre non potest nisi summus princeps, idque solum ubi utilitas publica id postulat.

b. Summus pontifex (per S. C. C.) dispensare solet, si una pars obligationem sponsalium implere, altera vero ius acquisitum remittere recusat, et si omnibus consideratis maiora bona ex solutione quam ex adimplentione sponsalium praevidentur. Occasio dispensandi s. pontifici tum praesertim se offert, ubi aliquis post inita sponsalia relicta sponsa cum alia matrimonium civile contrahit et postea cum hac matrimonium coram ecclesia inire petit, prima sponsa vero iuri suo acquisito renuntiare recusat¹⁾.

§ 2. *Causae, ob quas sponsalia rescindere licet.*

Existente causa, quae uni parti facultatem concedit rescindendi sponsalia, haec pars pro lubitu sponsalia solvere potest; quodsi ipsa a sponsalibus recedere nolit, alteri parti, quae ansam solvendi dedit, recedere non licet, nisi forte matrimonium ei notabiliter gravius existat. Eiusmodi causae tres numerari possunt: *a.* fractio fidei sponsalitia; *b.* status rerum a cognito diversus; *c.* mutatio notabilis.

58. Violatio fidei sponsalitia: nam fidem frangenti fides servanda non est; actiones autem, per quas fides sponsalitia violari censetur, sunt potissimum sequentes:

a. *Nimis differre matrimonium contrahendum.* Vel enim sponsalibus praefixus est terminus matrimonii contrahendi vel nullus praefixus est. *a.* Si primum, vel terminus praefixus est ad finiendam obligationem, quo in casu elapso termino sponsalia ipso iure ex utraque parte soluta sunt, vel terminus praefixus est ad urgendam obligationem, quo in casu, sive culpabili sive inculpabili mora unius

¹⁾ Cf. *Acta s. sedis* XV. p. 586.

partis elapsum est tempus, pars innocens a sponsalibus resilire potest. β. Quod si nullus terminus matrimonii contrahendi praefixus fuit, illa pars, quae diutius moras trahit, alteri parti potestatem recedendi a contractu facere censetur. Quanto autem tempore expectare haec debeat, ut a sponsalibus iure resilire possit, prudentum iudicio consideratis adiunctis determinandum est.

b. Sine consensu alterius partis alio se conferre. Si una pars migrat in alium locum, inscia vel invita altera parte, quin spes sit eam brevi redituram esse, pars remanens statim a sponsalibus resilire potest, sive causa migrationis fuit necessaria sive voluntaria: qui enim alio migrat, hoc ipso sponsalibus renuntiare censetur, altera vero pars acquirit libertatem cum alio contrahendi¹⁾.

Si pars remanens migrationis alterius partis notitiam habuit et consensit, reditum expectare debet. Quodsi altera pars in locum vicinum se contulit vel spes est eam brevi reversuram esse, eius reditus expectandus vel ipsa monenda est, ut intra certum tempus redeat ad celebrandum matrimonium promissum. et si non redeat, pars remanens libera est.

c. Alia sponsalia inire; et sponsalia quidem contra fidem priorum contracta invalida sunt, etsi iuramento firmata essent, utpote illicita, et pars, quae fidem sponsalitiā violavit, primis sponsalibus tenetur, altera autem pars innocens ab obligatione liberatur.

d. Fornicationem committere cum alia persona. — Distingui debet fornicatio ante sponsalia et post sponsalia commissā; insuper in fornicatione, quam sponsi committunt, duo attendi debent: primo is, qui fornicatur cum persona extranea, frangit fidem sponsalitiā, et deinde ob fornicationem redditur vilior; iste tamen effectus magis sponsam afficit, quam sponsum.

a. Propter fornicationem ante sponsalia commissam et post sponsalia cognitam tum sponsus tum etiam sponsa

¹⁾ C. De illis. 5 *De sponsal. et matrim.* (IV. 1).

habet ius recedendi a sponsalibus, etsi sponsae hoc ius nonnulli negent¹⁾).

β. Propter fornicationem *post sponsalia* commissam potest pars innocens (tam sponsus quam sponsa) a sponsalibus resilire, quia altera pars fidem fregit.

γ. Si fornicatio *ex utraque parte* commissam fuit, habetur quidem delicti mutua compensatio, nihilominus sponsus recedere potest, quia sponsa, quae notabiliter facta est vilior, ius sponsi graviter laesit; sponsa autem iuxta communem sententiam resilire nequit, nisi sponsus prolem ex alia habuerit aut habitum fornicandi contraxerit²⁾): sponsus enim ex fornicatione non censetur factus notabiliter deterior et proinde ius sponsae graviter non laesit. Sunt tamen, qui dicant sponsae obligationem ineundi matrimonium cum sponso fornicatore *non esse certam* et proinde ad matrimonium cogi non posse³⁾.

Si unus sponsorum *tactus impudicos* cum tertia persona committit, sponsus a sponsalibus resilire potest, immo etiam sponsa, si eiusmodi turpia tam crebro admittuntur, ut recte timeri debeat, ne sponsus sit fidem coniugalem violaturus.

59. Status rerum notabiliter diversus ab eo, qui antea cognitus fuerat. Si nimirum contractis iam sponsalibus una pars in cognitionem circumstantiae devenit tempore sponsalium iam existentis, quam si antea cognovisset, sponsalia non fecisset, haec pars iustam habet causam a sponsalibus resiliendi: sponsalia enim non obligant ultra voluntatem contrahentium; atqui contrahentes non censentur se obligare voluisse ad futurum matrimonium tam grave et difficile. Iam quaeritur:

Num sponsa defectus, quibus laborat, sponso manifestare teneatur et vicissim sponsus sponsae.

1. *In genere* dicendum est:

¹⁾ *Lehmkuhl*, Casus consc. II. n. 848.

²⁾ *S. Alphonsus* n. 862.

³⁾ *Lehmkuhl*, Casus consc. II. n. 849; consentit *Gury*, *Matharan*, *Génicot*.

a. Uterque sponsus *ius* habet cognoscendi notabiles alterius partis defectus, ut contractui matrimoniali plena libertas servetur; ideo graviter contra iustitiam peccat, qui eiusmodi defectus occultat, sicut contra iustitiam agit qui merces inutiles vendit ei, qui mercium vitia ignorat.

b. Non omnis defectus, qui cognitus sponsis *ius* tribuit recedendi a sponsalibus, sub gravi manifestari debet: quandoque enim defectus eiusmodi sunt, qui vix alteri parti matrimonium reddunt difficilius; iam vero in hoc casu illius *ius* graviter non laeditur, si defectus plane occultentur.

2. *In specie* haec notanda sunt:

a. Defectus, qui matrimonium reddunt invalidum, quantumvis probrosi, manifestandi sunt aut a matrimonio abstinendum est.

Eiusmodi defectus duplicis generis est: aut est defectus, cuius absentiam sponsus exigit *tamquam condicionem sine qua non*, e. g. si virgo es, si illud crimen non commisisti; aut est defectus, qui *impedimentum dirimens* continet.

b. Defectus, qui alteri parti matrimonium reddituri sunt vel damnosum vel notabiliter difficilius, quamvis probrosi sint, sub gravi manifestari debent, tum ante tum post sponsalia, si his iam initis supervenerint.

Eiusmodi defectus sunt: morbus praesertim contagiosus, gravis infamia personae vel familiae, proles ex alio viro relicta, sterilitas, status viduitatis, alia religio, graves defectus morales etc.

Quoad *fornicationem* ita distinguendum est: *α.* si *sponsus* ex ea prolem habuit, id sponsae manifestandum est, nisi talia sint adiuncta, ut sponsa nunquam in rei cognitionem deveniat. Si *sponsa* ex ea facta est gravida, rem sponso revelare debet; si tamen ante matrimonium parere et partum viro plane occultare possit, defectus diiudicari potest, ac si esset simplex fornicatio.

β. Si de simplici fornicatione agitur, sponsus delictum revelare non tenetur, quia defectus iste in sponso non censetur notabilis; sponsa vero fornicationem revelare debet, quia in sponsa defectus iste notabilis censetur, nisi artificio rem plane occultare possit, vel nisi ex cognita sponsi indole prudenter iudicari possit ipsum hunc defectum non valde aestimare.

c. Non est obligatio (saltem gravis) manifestandi sive ante sive post sponsalia defectus, qui matrimonium non

reddunt notabiliter difficilius, etsi illud minus appetibile reddant et alteri parti aliquam tristitiam afferant, sicut non est obligatio in contractibus leviores mercis defectus manifestandi. Nemo enim tenetur seipsum infamare et spe nubendi privare, ubi silentio suo ius alterius non laedit. Si tamen timendum esset, ne post matrimonium res palam fiat et exinde oriatur infaustum matrimonium, saltem ex caritate tenerentur manifestare defectum aut abstinere a coniunctione.

Eiusmodi defectus sunt: deformitas, ignobilitas, paupertas, insoles aspera et iracunda, inhabilitas ad gerenda negotia, ad administrandam domum etc.

60. Mutatio notabilis, quae sponsalibus superveniat: sponsalia enim censentur inita sub hac tacita condicione: *si res in eodem statu permanent*, idque ne matrimonium infelicem exitum sit habiturum.

Mutatio *notabilis* induci censetur quavis circumstantia, quae, si ante inita sponsalia extitisset aut cognita fuisset, a contrahendis sponsalibus retraxisset; eiusmodi autem est quaevis circumstantia, qua promissum matrimonium vere redditur multo gravius, difficilius et molestius. Mutatio haec accidere potest vel in bonis animi vel in bonis corporis vel in bonis fortunae.

a. In bonis animi: gravis morum asperitas, propensio ad ebrietatem, ludum, impietatem; si quis atrox crimen committit: atrox crimen illud censetur, quod grave damnum vel infamiam parit ut haeresis, homicidium, grave furtum.

b. In bonis corporis: morbus insanabilis vel contagiosus, amissio venustatis praesertim in sponsa; caecitas, abscissio membri.

c. In bonis fortunae: superveniens paupertas in utroque sponso utrique concedit facultatem resiliendi, quia ex utraque parte accidit notabilis mutatio et matrimonium utrique redditur gravius; si alteruter amittat notabilem partem bonorum, altera pars, cuius bona immutata manent, resilire potest: si sponsa detegitur non habere dotem; si sponso adveniat pinguis hereditas; quod si bona sponsi manent immutata et solum sponsae accedit pinguis hereditas, communiter huic non conceditur ius resiliendi a sponsalibus; at non videtur improbabilis sententia, quae etiam sponsae in hoc casu ius discedendi tribuit, quia si mutationem futuram praevidisset, sponsalia non contraxisset; si alteruter est nimio aere alieno gravatus, quin adsit spes, fore ut solvere possit; si sponsus evadit ineptus ad acquirendum officium pro sustentatione familiae necessarium.

Nota. Ob hanc autem rationem nullatenus solvi possunt sponsalia, quod alia eaque melior se offerat occasio ineundi matrimonii. Immo ordinarie saltem dissuaderi, ne dicatur prohiberi debet sponsalium rescissio, quamvis sponso se offerat alia sponsa multo ditior nec quoad alias qualitates inferior.

61. *Num existente iusta causa solvendi sponsalia haec solvi possint propria auctoritate.* Si iusta causa solvendi sponsalia certo subsistit, ad ea solvenda *per se* non requiritur sententia iudicis, sed propria auctoritate per mutuum consensum solvi vel rescindi possunt: neque enim iure naturae neque iure communi positivo praecipitur, ut sponsalia non solvantur, nisi interveniente auctoritate iudicis.

Per se: ex triplici enim causa fieri potest, ut ad solvenda sponsalia requiratur auctoritas iudicis: *a.* iure naturae ad avertendum scandalum, si sponsalia publice nota, causa vero solutionis ignota est; *b.* ex statuto particulari plurium dioecesium, quo non permittitur, ut sponsalia, quae publice celebrata vel postea facta sunt publice nota, solvantur, quin causa ad episcopum deferatur; *c.* tandem ubi de existentia vel sufficientia causae dubitatur, solutio sponsalium permittenda non est sine auctoritate iudicis, ut periculum iniustitiae vel inimicitiae inter sponso praecaveatur.

62. *Ad quid tenetur, qui sine iusta causa a sponsalibus recedit?*

a. Non solum is, qui sine iusta causa a sponsalibus recedit, sed etiam is, qui iustam resiliendi causam aut celavit aut sua culpa adduxit, tenetur reparare damnum, quod alteri parti resiliendo infertur.

b. Plena reparatio damni complectitur tum damnum positivum tum damnum negativum. Illud consistit in donis et expensis ab altera parte intuitu furturi matrimonii factis; hoc tum oritur, ubi sponsa propterea alium virum reperire nequit, aut a sponso prolem concepit.

c. Si recedit sponsa, ordinarie sufficit, ut sponso reparetur damnum positive illatum, quia vir facilius aliam sponsam reperit; quodsi sponsus recedit, plena reparatio damni plerumque tum solum habetur, si sponsa etiam convenienter dotetur.



Quaestio quarta.

De impedimentis matrimonii.

Articulus primus.

De impedimentis in genere.

63. Natura et divisio. 1. *Impedimentum* matrimonii generatim dicitur circumstantia, quae hominem ex iuris statuto ad matrimonium contrahendum reddit inhabilem. Impedimenta matrimonii duplicis generis sunt, alia *dirimentia*, quae efficiunt, ut matrimonium nec licite nec valide iniri possit; alia solum *impedientia*, quae efficiunt, ut matrimonium licite iniri non possit. Impedimenta igitur matrimonii sunt leges aut solum prohibentes aut prohibentes et simul irritantes.

Vocantur *dirimentia*, non quod matrimonium *validum* dirimant, sed quod obstant, ne matrimonium attentatum *valide iniri* possit.

2. *Impedimenta impedientia* numerantur sex, quae hoc versu comprehenduntur:

*Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum,
Mixtaque religio, si proclamatio desit.*

a. Impedimenta impedientia alia sunt *improprie dicta*, quae obstant matrimonio quatenus sacramentum est ut peccatum mortale et excommunicatio; alia sunt *proprie dicta*, quae obstant matrimonio ut contractus est. De posterioribus hic est sermo.

b. Horum impedimentorum tria, nempe ecclesiae prohibitio, tempus prohibitum et defectus proclamationum matrimonium impediunt solo iure ecclesiastico; sponsalia, votum et mixta religio illud impediunt iure naturae et simul iure ecclesiastico.

c. Antiquitus numerabantur duo alia impedimenta matrimonium impedientia, scilicet impedimentum *catechismi* et *criminis*. Nomine catechismi intelligitur professio fidei, quam baptizandus per interrogationes et responsiones ante fores ecclesiae antiquitus emittere debebat et partim adhuc emittit, quando interrogatur, num renuntiet satanae, num credat etc. Iam vero is, qui baptizandum in catechismo tenebat et pro eo respondebat (antiquitus a patrino baptismi diversus erat), quandam cognitionem spirituales imperfectam contrahebat, quae nomine

impedimenti catechismi designabatur. Impedimentum criminis ortum est ex septem diversis delictis (ut incestus, occisio sacerdotis, occisio coniugis etc.). Impedimentum catechismi per concilium trid.¹⁾, impedimentum criminis per universalem consuetudinem abrogatum est.

3. *Impedimenta dirimentia* numerantur omnino *quindecim*, quae his versibus continentur:

1. *Error*, 2. *condicio*, 3. *votum*, 4. *cognatio*. 5. *crimen*,
 6. *cultus disparitas*, 7. *vis*, 8. *ordo*, 9. *ligamen*, 10. *honestas*.
 11. *aetas*, 12. *affinis*, 13. *si clandestinus et 14. impos*,
 15. *si mulier sit rapta loco nec reddita tuto*.
- Haec socianda vetant connubia, facta retractant.*

Quoniam autem nomine *criminis* et pariter nomine *cognitionis* tria comprehenduntur impedimenta, universim numerantur *undeviginti* impedimenta matrimonium dirimentia.

64. De impedimento dirimente dubio. Impedimentum dubium hic intelligitur impedimentum, quod non certo, sed probabiliter tantum existit, ubi nempe post diligentem veritatis investigationem remanet fundatum dubium de existentia impedimenti. Porro dubium (probabilitas) potest esse iuris vel facti; et dubium iuris potest esse iuris divini aut iuris ecclesiastici.

a. Licitum est matrimonium inire cum impedimento dubio, si dubium est iuris idque ecclesiastici, quia in hoc casu ecclesia supplet, et proinde sacramentum non exponitur periculo nullitatis: ex universali enim consuetudine contrahuntur matrimonia cum impedimento dirimente dubio et habentur pro validis; atqui hoc signum est ecclesiam dispensando dare licentiam contrahendi eiusmodi matrimonia. Et quia cum eiusmodi impedimento licite iniri potest matrimonium, theologi dicere solent *impedimentum* (ecclesiasticum) *dubium* (dubio iuris) *impedimentum nullum*.

b. Non licet matrimonium inire cum impedimento dubio, si dubium est iuris divini aut dubium facti, quia in his casibus ecclesia non supplet, et quidem si dubium

¹⁾ Sess. 24. c. 2. De reform. matr.

est iuris divini, quia supplere non potest, si autem dubium est facti, quia non constat ipsam velle supplere, immo constat ipsam nolle supplere¹⁾; atqui non licet sacramentum exponere periculo nullitatis.

Si ergo e. g. probabile est sponsum esse in quarto gradu consanguineum cum sua sponsa, illicitè contrahit matrimonium, et si revera consanguineus est, etiam invalide. Ideo autem ecclesia matrimonium in dubio facti non reddit validum, quia in hoc dubio per se et ordinariè deprehendi potest veritas et solum per accidens in particulari casu non deprehenditur. Hinc si matrimonio obstat impedimentum dubium dubio facti, ad cautelam petenda est dispensatio, quam in hoc casu concedere potest episcopus.

65. De casu perplexo. *Quaeritur, num impedimenta dirimentia cessent in casu gravissimi incommodi privati.* — Omnes concedunt leges ecclesiasticas irritantes proindeque impedimenta dirimentia cessare in casu gravissimi *incommodi communis*: num etiam cessent in casu gravissimi *incommodi privati*, non constat²⁾. Ideo ab auctoribus diversimode solvitur casus, qui circumfertur nomine *casus perplexi*. Quaerunt nempe, quomodo se gerere debeat parochus vel confessarius, qui impedimentum dirimens deprehendit, quando iam omnia parata sunt ad nuptias, et matrimonium sine gravi scandalo et infamia differri nequit.

1. Si deprehendit *impedimentum publicum* e. g. consanguinitatis, impedimentum revelandum et matrimonium differendum est, donec obtenta sit dispensatio; id namque sine scandalo et sponsum infamia fieri potest.

2. Si impedimentum *occultum et indispensabile* est (e. g. ligaminis), matrimonium omitti debet, quidquid incommodi ex omissione sequatur, nisi adiuncta sint eiusmodi, ut impedimentum nupturientibus sine gravissimo incommodo tertii revelari non possit.

¹⁾ Cf. C. Inquisitioni 44 *De sent. excom.* (V. 39), ex quo constat ecclesiam eiusmodi matrimonia, si impedimentum revera existit, habere pro invalidis, quia prohibet petere debitum.

²⁾ Cf. *De principiis* n. 141.

3. Si impedimentum *dispensabile* est, et *adiri potest episcopus*, adeundus est, ut ipse dispenset: ex communi enim sententia in hoc casu episcopus ab impedimentis iuris ecclesiastici dispensare potest.

4. Si *adiri nequit episcopus* et ambo contrahentes in *bona fide* sunt (qui proprie est casus perplexus): *a.* secundum alios parochus vel confessarius declarare potest impedimentum in hoc casu cessare, proindeque admittenda est matrimonii celebratio¹⁾; *b.* secundum alios vero parochus vel confessarius unam vel utramque partem (pro cognitione impedimenti) monere debet, ut fecte vel sub condicione obtinendae dispensationis consentiant, quia impedimentum non cessat; interim vero a petendo vel reddendo debito abstineant.

a. In *bona fide* censentur esse non solum coniuges, qui impedimentum ignorant, sed etiam coniuges, qui illud cognoscunt quidem, sed non ideo celarunt, ut casum perplexum inducerent et sic dispensationem quasi extorquerent. Quod coniuges sint in mala fide i. e. ad extorquendam veluti dispensationem impedimentum celaverint, erit casus rarissimus, si tamen occurrit, impedimentum non cessat, quia nemini fraus sua patrocinari debet, proindeque non restat, nisi ut fecte vel condionate contrahant.

β. Si ambo contrahentes impedimentum ignorant, dispiciat confessarius, num praestet omissa monitione matrimonii celebrationem admittere. In sententia eorum, qui impedimentum cessare negant, habetur matrimonium putativum, quare sponsi, qui eo utuntur, saltem formaliter non peccant.

γ. In utroque casu (sive impedimentum cessare sive non cessare dicitur) postea petenda est dispensatio; in priore quidem ad cautelam, in posteriore vero, quia matrimonium nondum valet, quare obtenta dispensatione renovari debet consensus²⁾.

Nota. Hodie minor est huius rei difficultas, quia episcopis (inter quinquennales n. 11. 12) conceditur facultas dispensandi in impedimento affinitatis ex copula illicita dispensandique facultatem subdelegandi etiam habitualiter parochis propriae dioecesis. Cum impedimentum inducens casum perplexum plerumque sit affinitas ex copula illi-

¹⁾ *S. Alphonsus* l. 6. n. 613.

²⁾ Cf. *Ballerini-Palmieri* VI. n. 976. *Gasparri* I. n. 767 ss. *Schnitzer* p. 127. *Leitner* p. 506 ss.

cita, parochus in eo dispensare poterit. Ideo casus perplexus solum accidere potest, si parochus matrimonio non intervenit nec res ad eum deferri potest.

66. Impedimenta dirimentia dividuntur: 1. *Ratione originis* in impedimenta *iuris naturae*, *iuris positivi divini* et *iuris ecclesiastici* pro diversa auctoritate, quae impedimentum constituit. Impedimenta *iuris naturae* sunt *error*, *impotentia* et *consanguinitas* in primo gradu lineae rectae, *iuris divini ligamen*; cetera sunt *iuris ecclesiastici*.

2. *Ratione extensionis* in *absoluta*, quae matrimonium dirimunt cum qualibet persona: votum, ordo, ligamen, aetas, clandestinitas, impotentia absoluta; et *relativa*, quae matrimonium dirimunt solum cum certis personis: error, condicio, triplex cognatio, crimen, disparitas cultus, metus, honestas publica, affinitas, impotentia relativa et raptus.

3. *Ratione dispensationis* in impedimenta *dispensabilia*, in quibus ecclesia dispensare potest et solet; et *indispensabilia*, in quibus ecclesia aut dispensare non potest aut non solet. Primi generis sunt fere omnia impedimenta *iuris mere ecclesiastici*, secundi generis sunt impedimenta *iuris naturalis et divini et nonnulla iuris ecclesiastici*.

4. *Ratione finis immediati et iuris impugnandi matrimonium* in impedimenta *iuris publici*, quorum finis immediatus est bonum commune, et ius et officium propterea impugnandi matrimonium competit iudici ecclesiastico et cuilibet, qui eorum notitiam habet; et impedimenta *iuris privati*, quorum finis immediatus est bonum privatum contrahentium, et ius et officium propterea impugnandi matrimonium proxime ipsis contrahentibus competit. Huiusmodi sunt: error, condicio, metus, impotentia; cetera sunt *iuris publici*.

5. *Ratione cognitionis*, quam alii de ipsis habent, in impedimenta *publica et occulta*, prout aut publice nota sunt aut publice nota non sunt. Accuratiores huius divisionis determinatio inferius dabitur, ubi de dispensationibus matrimonialibus agendum est.

Articulus secundus.

De impedimentis impediens in specie.

§ 1. *Ecclesiae vetitum.*

67. Declaratio. 1. *Ecclesiae vetitum* est particularis prohibitio ab ecclesia vel a superiore ecclesiastico ob gravem causam facta. ne determinatum aliquod matrimonium celebretur.

Prohibitio potest esse *generalis* aut *particularis*, prout ad omnia et singula matrimonia vel ad determinatum aliquod matrimonium refertur. Prohibitionem generalem constituunt omnia impedimenta tum dirimentia tum impediens, quia ecclesia omnibus, qui aliquo impedimento irretiti sunt, eo ipso matrimonium interdicat. Ecclesiae vetitum, prout ab aliis impedimentis distinguitur, significat *prohibitionem particularem*.

2. Matrimonium in particulari casu ex iusta causa prohibere potest: *a. summus pontifex*, qui illud pro sua potestate non solum prohibere, sed etiam irritare potest; *b. episcopus*, qui matrimonium prohibere, sed non irritare potest; *c. parochus*, qui iurisdictione in foro externo caret et ideo praecepta statuere nequit, matrimonium eatenus tantum prohibere potest, quatenus negat assistentiam suam, si aliquod matrimonium lege generali prohibitum deprehendat, sponsis declarans matrimonium citra peccatum iniri non posse.

3. Causae, propter quas matrimonium iuste prohiberi potest, tres potissimum numerantur: *a. reclamatio de sponsalibus*, quae alteruter sponsorum prius cum alia persona contraxerat; *b. suspicio probabilis impedimenti*, quod matrimonium aut dirimat aut impediens; *c. timor probabilis*, ne ex matrimonio gravia incommoda ut scandala vel inimicitiae oriantur.

Si quando matrimonium non consummatum propter dubiam unius partis impotentiam a summo pontifice solvitur, parti forte impotenti prohiberi solet, ne aliud matrimonium absque venia s. sedis ineat.

§ 2. *Tempus.*

68. Declaratio. 1. Est determinatum aliquod *tempus*, quo ab ecclesia sollemnitates nuptiarum prohibentur. Hoc *tempus feriatum* seu *clausum* dicitur.

Tempus feriatum *nunc* est: *a.* a. dominica prima adventus usque ad epiphaniam inclusive; *b.* a die cinerum usque ad dominicam in albis inclusive¹). Est igitur illud tempus anni ecclesiastici, quod recolendis praecipuis religionis christianae mysteriis et proinde ex mente ecclesiae operibus poenitentiae et orationibus potissimum dedicatum est.

2. *Lex tridentina* tempore feriato solum *nuptiarum sollemnitates* prohibet, matrimonium autem ipsum quovis tempore celebrari potest.

Hoc nomine autem prohibentur: *a. sollemnis benedictio* sponsae i. e. missa votiva pro sponsis cum benedictione, quae in hac missa habetur; *b. profanae festivitates*, quae occasione nuptiarum agi solent ut traductio sponsae, quae fiat cum publicis laetitiae signis, lautiora convivia nuptialia²).

3. Lege igitur universali tempore clauso non prohibentur proclamationes nec ipsae nuptiae, quae absque sollemnitatem fiant; *lege tamen particulari* in multis locis (ut in Austria et in Germania) ipsum matrimonium prohibetur. Existente autem iusta causa ordinarius a lege hac particulari dispensare et permittere potest, ut matrimonium sine sollemnitatibus contrahatur.

§ 3. *Sponsalia.*

69. Declaratio. *Sponsalia* tum sollemnia tum privata, nisi legitime soluta fuerint, constituunt impedimentum matrimonii impediens: obligatio enim iustitiae cum hac persona contrahendi efficit, ut matrimonium cum alia persona sit illicitum.

a. Ut sponsalia impedimentum matrimonii constituent, requiritur: α . ut valide contracta sint; β . ut ab ea parte, quae aliud matrimonium intendit, iuste rescindi non possint.

¹) *Concilium trid.* sess. 24. c. 10. De reform. matr. Ante concilium tridentinum tempus clausum multo latius protendebatur.

²) *Rituale rom.* tit. 7. c. 1. n. 18.

b. Quia impedimentum hoc solum impediens est, matrimonium cum hoc impedimento contractum validum erit, etsi illicitum.

§ 4. *Votum.*

70. Declaratio. 1. Quinque sunt *vota* matrimonium impediencia: *a. votum non nubendi* seu coelibatus; *b. votum virginitatis*; *c. votum (simplex) castitatis* (perpetuae); *d. votum ingrediendi religionem*; *e. votum suscipiendi sacros ordines.* Haec *vota non dirimunt* matrimonium, ut constat ex iure¹⁾; ea tamen matrimonium *impediunt*, quia status matrimonialis cum obligatione eorum componi nequit.

a. Vovens *coelibatum* formaliter promittit *non contrahere matrimonium*; vovens *castitatem* promittit *abstinere ab omni delectatione venerea* sive illicita sive licita in matrimonio. Sunt, qui *votum virginitatis* a *voto coelibatus* distinguant et, si vim terminorum respicimus, iure merito id faciunt: nam vovens virginitatem proprie et stricte promittit *abstinere a primo actu, quo virginitas amittitur.* Practice autem vix alicuius momenti est haec distinctio: qui enim ex *voto* virgines manere cupiunt, aut *coelibatum* aut *castitatem* vovent.

β. In praxi quandoque difficulter discerni potest, utrum aliquis *votum non nubendi* seu *coelibatus* (*virginitatis*), an vero *votum castitatis* emiseric. Ad rem discernendam vovens interrogandus est, quid Deo promiserit, et qua intentione *votum* emiseric: etenim si ea intentione *votum* emiseric, ut ab oneribus matrimonii liber facilius et perfectius Deo servire possit. *coelibatum*, quodsi amore puritatis *votum* emiseric, potius *castitatem* promisisse censendus est.

2. Qui aliquo horum *votorum* ligatus matrimonium contrahit, *graviter peccat*: quamvis enim pleraque eorum non pugnent directe cum ipsa matrimonii celebratione, ecclesia tamen cum aliquo eorum matrimonium contrahere interdicit, tum quia vovens impletionem *voti* sibi reddit impossibilem vel saltem periculo se exponit violandi *votum*, tum quia aliam partem decipit atque ideo iniuriam ei

¹⁾ C. Quod *votum un.* *De voto* (III. 15) in 6°. Excipiendum est *votum simplex castitatis* a scholasticis societatis Iesu emissum, quod vim habet dirimendi matrimonium futurum. Cf. constitutio *Ascendente Domino* Gregorii XIII.

infert¹⁾. Ut ergo licite matrimonium inire possit, antea dispensationem a voto petat oportet.

a. Contrahens graviter peccat: α. Habens *votum non nubendi* contrahendo matrimonium graviter peccat, quia contrahendo directe contra votum agit; β. Habens *votum virginitalis* directe contra votum peccat primo actu coniugali, quo virginitas amittitur; contrahendo autem peccat, tum quia voluntatem habet matrimonium consummandi, tum quia voti observationem sibi reddit impossibilem, eo quod comparti ius tradit exigendi debitum. γ. Habens *votum castitatis* contrahendo non agit directe contra votum; attamen graviter peccat, quia voluntatem habet consummandi matrimonium et quia impletionem voti sibi reddit impossibilem. δ. Habens *votum ingrediendi ordinem* contrahendo peccat, tum quia voluntatem habet consummandi matrimonium, id quod indirecte et secundario repugnat voto, tum quia se exponit periculo laedendi votum vel decipiendi alteram partem. ε. Habens *votum sacros ordines suscipiendi* contrahendo graviter peccat, quia impletionem voti sibi reddit impossibilem.

b. Duo casus sunt, sed valde rari, in quibus contrahens aliquo horum votorum ligatus non peccat: α. Habens votum virginitalis, castitatis vel ingrediendi ordinem non peccat, si firmum propositum habet ante matrimonii consummationem ingrediendi ordinem religiosum; at nisi alteram partem de hac re moneat, eam decipiendo graviter peccat. β. Habens votum virginitalis vel castitatis non peccat, si utraque pars consentit in servanda in coniugio virginitate et castitate, quod propter magna peccandi pericula raro permittitur.

71. *Ad quid tenetur, qui ligatus uno horum votorum matrimonium contraxit?* — In genere dicendum est ipsum a voto solvi, cuius observatio facta est impossibile, teneri autem ad voti observationem, quatenus sine compartis praeiudicio adhuc observari potest, nisi obtenta fuerit dispensatio. Et ordinarie quidem consulendum est, ut obligatio voti per dispensationem penitus auferatur, propter magna peccandi pericula.

1. Qui contraxit ligatus *voto non nubendi:* *a.* Absque dispensatione matrimonio uti potest: cum enim voti observatio iam sit impossibile, ad nihil aliud tenetur, nisi ut de peccato, quod contrahendo commisit, doleat. *b.* Num votum mortua comparte reviviscat, adeo ut novum matrimonium absque dispensatione inire

¹⁾ Cf. CC. Meminimus 3 Consuluit 4 Veniens 5 Rursus 6 *Qui clerici* (IV. 6).

non possit, controversum est. Probabilis est sententia, ex qua matrimonium absque dispensatione contrahi possit, quia vovens transit ad statum, qui obligationi voti directe repugnat atque ex se perpetuus et indissolubilis est.

2. Qui contraxit ligatus *voto virginitatis*: *a.* non tenetur ingredi religionem, ut observationem voti sibi reddat possibilem, quia non tenetur adhibere medium extraordinarium atque perdifficile ad votum implendum. *b.* Debitum petere non potest, quamdiu virginitate praeditus est, quia petendo directe contra votum agit; at petenti iam primo bimestri reddere potest: cum enim ad actum voto contrarium ex iustitia absolute teneatur, ad votum parum conferre videtur, quod huius obligationis impletio ad breve tempus differatur. *c.* Amissa virginitate sive per copulam sive alio modo (per voluntariam pollutionem in viro, per culpabilem laesionem integritatis corporalis in femina) debitum petere potest, quia observatio voti facta est impossibilis, et reddere tenetur, quia altera pars ius ad id acquisivit. *d.* Mortua comparte, si adhuc virgo est, obligatur voto, si virgo non est, ad alias nuptias transire potest.

3. Qui contraxit ligatus *voto castitatis*: *a.* Debitum petere nunquam potest, quia directe contra votum agit; reddere autem potest et debet, nisi altera pars iure careat illud exigendi, id quod accidit: α . primo bimestri; β . si propter adulterium ius amisit. Ceterum propter iuge periculum laedendi votum expedit, ut quam primum petatur voti dispensatio. *b.* Mortua comparte per se urget voti obligatio, nisi per dispensationem penitus ablata sit, non solum ad primum matrimonium continuandum.

4. Qui contraxit ligatus *voto ingrediendi religionem vel congregationem*: *a.* Tenetur religionem ingredi, quamdiu matrimonium consummatum non est, quia hoc tempore votum impleri potest. *b.* Consummando matrimonium contra votum peccat, quia facultatem implendi voti sibi praecludit, eo quod matrimonium reddit indissolubile. *c.* Postquam matrimonium semel consummatum est, debitum non solum reddere, sed etiam petere potest, quia castitatem directe non promisit, ingressus autem in religionem iam est impossibilis. *d.* Recuperata libertate sive per consensum sive per adulterium sive per mortem compartis ingredi tenetur, nisi obtenta fuerit dispensatio aut interim propter adiuncta plane mutata (propter aetatem, prolem susceptam, inhabilitatem ad munia religiosa etc.) ingressus factus sit impossibilis vel nimis gravis.

5. Qui contraxit ligatus *voto suscipiendi sacros ordines*: *a.* Tenetur compartis consensum petere, ut ordines suscipere possit, quem si dederit et condiciones a iure praescriptas servare voluerit, votum implere debet. *b.* Si consensum non dederit, ad nihil tenetur,

sed debitum non solum reddere, sed etiam petere potest, quia castitatem directe non vovit, susceptio ordinum vero facta est impossibilis. *c.* Recuperata libertate sive per adulterium sive per mortem alterius partis, urget obligatio voti, nisi obtenta sit dispensatio aut eius observatio facta sit moraliter impossibilis.

Posset quidem vovens post contractum, sed nondum consummatum matrimonium implere votum suscipiendi ordines eo, quod religionem ingreditur; ad id tamen non tenetur, tum quia ingressum in religionem non promisit, tum quia non tenetur adhibere medium tam arduum et difficile, ut voto emisso satisfaciat.

§ 5. *Mixta religio*¹⁾.

72. Natura impedimenti. Impedimentum *mixtae religionis* existit inter duos baptizatos, quorum unus est catholicus, alter acatholicus (haereticus vel schismaticus). Matrimonium inter eos initum *matrimonium mixtum* (Mischehe) vocatur.

1. Matrimonia mixta *lege naturali et divina* prohibita sunt ex triplici potissimum ratione:

a. Periculum perversionis, quod subit pars catholica: et licet non adsit periculum amittendae fidei. tamen adest saltem periculum friggendi in fide ac indifferentismi.

b. Periculum perversionis, quod subit proles ex matrimonio mixto nascitura; et licet non educetur in ipsa haeresi, tamen adest saltem periculum neglectae educationis vere catholicae.

c. Communicatio in sacris, quam committunt contrahentes, dum pars catholica sacramentum administrat haeretico et vicissim ab haeretico sacramentum recipit. Cui insuper accedit, quod pars catholica sacramentum administret indigno et sic ad eius sacrilegium cooperetur.

2. Matrimonia mixta etiam *lege ecclesiastica* prohibita sunt. Ecclesia iam antiquissimis temporibus ea prohibuit²⁾; et cum recenti tempore haec matrimonia invalescerent, antiquas prohibitiones innovavit, ut fideles a tanto malo averteret³⁾.

73. Dispensatio impedimenti. 1. *Quis dispensare possit.* Cum impedimentum mixtae religionis sit lex uni-

¹⁾ *H. Szillas*, Eine verbotene Frucht (Essen. Fredebeul u. Könen. 1904).

²⁾ C. Decrevit 14 *De haeticis* (V. 2) in 6°.

³⁾ Cf. constitutio Benedicti XIV. *Magnae nobis* 29. iun. 1748, et instructio *Pii IX.* 15. nov. 1858 ad episcopos transmissa.

versalis ecclesiae, solus summus pontifex in ea dispensare potest. Episcopis usque ad recentiora tempora facultas dispensandi non concedebatur, nunc vero praesertim in locis valde remotis speciali indulto eis conceditur, ut cum subditis suis, qui actu in dioecesi existunt, in hoc impedimento dispensare possint. Servare autem debent praxim, quam in hac re sequitur ipsa s. sedes.

2. *Condiciones requisitae.* Ad dispensationem obtinendam duplex condicio requiritur:

a. *Ut debitae cautiones praestentur*, quae sunt: α. ut universa proles in religione catholica educetur; β. ut parti catholicae plena libertas concedatur exercendi suam religionem; γ. ut pars catholica promittat se procuraturam esse conversionem partis acatholicae; quibus in nonnullis regionibus additur δ. promissio utriusque partis non ineundi matrimonium coram ministro haeretico.

a. Antiquitus ecclesia matrimonia mixta nunquam permisit nisi hac condicione, quod pars acatholica promiserit se ad veram fidem redituram esse. Post ortum vero haeresis lutheranae ea etiam sine hac condicione permittere incepit.

b. Cum his cautionibus non exhibitis matrimonium mixtum sit contra legem naturalem et divinam, patet ab iis praestandis nunquam dispensari posse¹⁾.

c. Tertia condicio de procuranda pro viribus conversione partis acatholicae continet obligationem caritatis, ad quam implendam pars catholica haec duo potissimum praestare debet: α. ut preces ad Deum fundat; β. ut virtutibus, quas exercet, praesertim modestia, patientia, obsequiis, si sint mulieres, animum illius excitet ad cultum christianarum virtutum²⁾. Quandoque ecclesia hanc promissionem explicite et formaliter non exigit, praesertim ubi repugnet legi civili; parochi tamen partem catholicam de hac obligatione monere solent.

d. Cautiones *scripto* per litteras reversales exhiberi debent; quodsi speciales rationes impediunt cautiones scripto exhibendas, episcopus permittere potest, ut pars acatholica verbis fidem seu promissionem praestet, si modo moraliter certus sit, promissa postea impletum iri³⁾.

¹⁾ Sedes apostolica nuper 26. sept. 1890 litteris ad episcopos Hungariae datis iterum affirmavit dispensationem a debitis cautionibus concedi non posse.

²⁾ Instructio *S. C. de prop. fide* 9. dec. 1822.

³⁾ *S. Officium* 10. dec. 1902.

Statuta autem dioecesana quandoque etiam iuramentum vel alias insuper cautiones exigunt.

b. Ut adsit gravis causa, ob quam dispensatio exigatur et concedatur, cum matrimonium mixtum sit contra legem ecclesiae.

Olim ecclesia solum ex *publica* causa i. e. ex spe obtinendi magnum bonum commune dispensationem a lege prohibente matrimonia mixta concedebat; hodie dispensatio etiam ex causa *privata* conceditur, quae tamen vere gravis esse debet. Quodsi ecclesiae quandoque ad concedendam dispensationem sufficiat causa canonica, quae solum pro aliis impedimentis valeat, ipsa gravem causam habet permittendi eiusmodi matrimonia. Quare per se peccant sponsi, qui sine causa vere gravi dispensationem ad ineundum matrimonium mixtum petunt ecclesiamque timore maioris mali cogunt ad eam concedendam, quamvis cautiones debitas praestare parati sint¹⁾

74. Liceitas matrimonii mixti. Exhibitis cautionibus et obtenta dispensatione *matrimonium mixtum* per se *licitum* dici debet. Duo enim obstant matrimonii mixtis: perversionis periculum, quod imminet tum parti catholicae tum proli oriundae, et prohibitio ecclesiae; sed perversionis periculum saltem proximum cessat exhibitis cautionibus, et prohibitio ecclesiae cessat obtenta dispensatione. Verum ex concessa dispensatione non semper liceitas et minus plena liceitas matrimonii mixti colligi potest: quandoque enim ecclesia prudenti consilio permittit mala (perversionis pericula), dummodo seria adsit voluntas servandi cautiones, ad maiora mala vitanda e. g. ne pars catholica penitus a fide deficiat, ne sponsi diutius in matrimonio civili vivant etc.

a. Si perversionis periculum in casu particulari re ipsa non solum non cessaret, sed etiam proximum esset, contrahentes contra legem naturae graviter peccarent.

b. Quia remotum aliquod perversionis periculum fere semper remanet, ecclesia in eiusmodi matrimoniis aegre dispensat eaque nunquam non dissuadet, etsi a magnis damnis praescindamus, quae religioni catholicae ex matrimoniis mixtis ubique oriuntur.

c. Sunt, qui dicant matrimonium mixtum nunquam licitum esse posse, quia ab eo separari non potest vetita communicatio in sacris.

¹⁾ *Lehmkuhl*, Casus consc. II. n. 911.

Verum haec communicatio in sacris lege ecclesiastica prohibetur; concessa autem dispensatione ineundi matrimonium mixtum, eo ipso etiam haec communicatio in sacris permittitur.

Nota. Quia matrimonia mixta per se tum legi divinae tum legi ecclesiasticae adversantur et ecclesia ea semper detestatur; quia insuper eiusmodi matrimonia ordinarie infelicem exitum sortiuntur: parochus omnem curam adhibebit, ut partem catholicam a contrahendo eiusmodi matrimonio avertat. Et quoniam teste experientia sponsi initis sponsalibus aut praemissis iam diuturnioribus familiaritatibus vix amplius divelli possunt, conetur impedire, ne inter catholicos et acatholicos contrahantur familiaritates, ex quibus matrimonia mixta oritura sint. Quodsi omnis conatus irritus erit, id saltem curabit, ut requisitae cautiones ita exhibeantur, ut certa spes futurae executionis praebeatur, et post celebratas mixtas nuptias diligenter invigilabit, ut promissae cautiones reipsa observentur.

Articulus tertius.

De impedimentis dirimentibus in specie.

75. Quindecim impedimenta dirimentia ad quatuor classes revocari possunt:

1. Impedimenta, quae matrimonium dirimunt *ob defectum validi consensus*: error, condicio, vis, raptus et aetas;

2. Impedimenta, quae matrimonium dirimunt *ob defectum materiae*: impotentia et ligamen. Materia enim aut ideo deficit, quia deest obiectum contractus matrimonialis (impotentia), aut quia obiectum contractus iam alteri traditum est (ligamen).

3. Impedimenta, quae matrimonium dirimunt *ob defectum formae* ab ecclesia praescriptae: clandestinitas.

4. Impedimenta, quae matrimonium dirimunt *ob defectum habilitatis personarum*. Inhabilitas contrahentium ex diversis fontibus oriri potest: *a.* ex reverentia propinquis debita: cognatio, affinitas, honestas publica; *b.* ex repugnantia cum alio statu libere electo: ordo sacer,

votum sollemne; c. ex reverentia sacramento debita: crimen, cultus disparitas. De his omnibus iam ordine agendum est.

§ 1. *Error.*

76. Natura impedimenti. 1. Impedimentum *erroris* in eo consistit, quod matrimonium ab alterutro contrahentium cum errore substantiali initum invalidum sit. Distincto errore substantiali et accidentali, antecedente et concomitante¹⁾, dicendum est:

a. *Error substantialis matrimonium dirimit*, etsi solum concomitans sit: in omni enim contractu ad valorem requiritur consensus in obiectum contractus, ideoque in matrimonio consensus in determinatam personam.

b. *Error accidentalis matrimonium non dirimit*, etsi antecedens, quin etsi dolo causatus sit: quod enim non aufert consensum substantialem in determinatam personam, non reddit matrimonium invalidum. Insuper quilibet censetur contractum ad eum modum inire, quem exigit eius natura; atqui natura contractus matrimonialis, utpote constituentis statum indissolubilem, exigit, ut matrimonium solum propter errorem substantialem constituatur invalidum: alias enim innumera matrimonia postea in damnum boni communis deprehenderentur invalida.

Etsi in aliis contractibus error antecedens dolo causatus contractum reddat invalidum seu potius rescindibilem, matrimonium tamen non reddit invalidum, modo error non redundet in personam, propter bonum commune ob naturam indissolubilem contractus matrimonialis: pauca enim contrahuntur matrimonia, in quibus non subsit in alterutra parte aliquis error accidentalis, qui non raro etiam dolo causatus est.

2. Hoc impedimentum matrimonium dirimit *iure naturae*: verus enim consensus liber et deliberatus in obiectum contractus ex ipsa natura contractus requiritur.

77. Declaratio. 1. *Error substantialis* est:

a. *Error circa ipsam naturam vel proprietatem essentialem matrimonii*, quia afficit essentiam contractus.

¹⁾ Cf. *De praeceptis* n. 525 s.

Qui matrimonium inquit ignorans per illud tradi ius in corpus, vel putans matrimonium esse solubile, errore substantiali laborat; si tamen verum matrimonium inire vel more aliorum contrahere intendit, valide contrahit: habet enim duas intentiones, alteram generalem ineundi verum matrimonium, alteram erroneam ineundi e. g. matrimonium solubile; iam vero intentio illa generalis praevalet, etsi non contraxisset, si indissolubile cognovisset. Qui tamen animo ita dispositus est, ut expresse nolit matrimonium indissolubile, valide non contrahit.

b. Error circa ipsam personam, quacum contrahitur: in contractu enim matrimoniali, secus atque in aliis contractibus, persona constituit obiectum substantiale contractus.

Qui ergo ex errore cum alia persona contrahit, non cum ea, quam ipse intendit, ut si quis contrahit cum Lia putans esse Rachelem, non contrahit, etsi cognita veritate nihilominus contraxisset.

c. Error circa qualitatem personae, quae redundat in ipsam personam. In duplici autem casu error circa qualitatem in ipsam personam redundare censetur: *a.* si qualitas est *condicio consensus* i. e. consensus solum datur dependenter ab existentia alicuius qualitatis, ut si quis nolit ducere Bertham, nisi sit nobilis; *b.* si qualitas est *determinativa personae* i. e. si qualitas in mente contrahentis determinat personam aliunde ignotam et ex sola hac qualitate notam. Si quis ergo velit contrahere cum primogenita, offeratur autem ei secundogenita, quae primogenitam se esse simulat, nullum erit matrimonium.

2. Error accidentalis est error circa qualitatem personae, quae non redundat in ipsam personam.

Ergo si quis ducit Annam putans eam esse nobilem, virginem, divitem, sanam, cum non sit, valet matrimonium, etsi Annae id falso asserenti credidisset.

§ 2. *Condicio.*

78. Natura impedimenti. Impedimentum *condicionis* (scilicet servilis) in eo consistit, quod matrimonium sit nullum, si homo liber ignoranter contrahat cum servo¹⁾.

¹⁾ CC. Proposuit 2 et Ad nostram 4 *De coniug. servor.* (IV. 9).

a. Nominē *condicionis* intelligitur servitus strictē dicta, quae cum hodie extra regiones infidelium non amplius vigeat, hoc impedimentum minoris est momenti.

b. Licet error circa qualitatem personae, quae non redundet in ipsam personam, matrimonium non dirimat, excipiendus tamen est ex iure ecclesiastico error circa qualitatem *condicionis servilis*.

1. Hoc impedimentum est *iuris ecclesiastici*; ex quo sequitur validum esse matrimonium initum inter infidelem liberum et servam infidelem, etsi pars libera ignorasset *condicionem servilem alterius partis*.

Error *condicionis servilis iure naturae* matrimonium non dirimit, quia *condicio servilis* non excludit absolute bona essentialia matrimonii; quia tamen hisce bonis aliquatenus adversatur, iure optimo ecclesia hoc impedimentum statuebat: „Adversatur, ait *Busenbaum*: *a.* bono sacramenti, cum servus invito domino nequeat cohabitare coniugi; *b.* bono fidei coniugalis, cum non possit solvere debitum ad libitum alterius; *c.* bono prolis, cum servus omnia acquirat domino,“ nec proles maneat in parentum potestate, ut religiose educari possit.

2. Ut ignorantia circa *condicionem servilem* matrimonium dirimat, tria requiruntur: *a.* servitus, eaque perfecta unius partis; *b.* libertas alterius partis; *c.* ex parte libera ignorantia servitutis alterius partis.

Ex his sequitur validum esse matrimonium initum inter duas partes servituti subiectas, et pariter validum esse matrimonium initum inter partem liberam et servam, si pars libera *condicionem servilem alterius partis* cognoscit.

§ 3. *Vis seu metus.*

79. Natura impedimenti. 1. Impedimentum *metus* in eo consistit, quod matrimonium ab alterutro contrahentium initum ex gravi metu in ordine ad contrahendum iniuste incusso invalidum sit¹⁾.

a. Termino *vis* non intelligitur coactio absoluta, quae solum actibus externis renitente interius voluntate inferri potest, quae proinde voluntarium tollit, sed coactio *condicionalis seu moralis*, quae voluntatem ad volendum movet sub comminatione mali, adeo ut voluntas consentiat ad malum declinandum alias non consensura. Haec coactio a metu non differt. Impedimentum igitur *vis* proprie ad *metum* re-

¹⁾ CC. Cum locum 14 Veniens 15 Consultationi 28 *De sponsal. et matrim.* (IV. 1).

ducitur, et ad illum quidem metum, qui consensum minuit, sed non tollit.

b. Matrimonium ex gravi metu initum non ideo ab ecclesia declaratur invalidum, ac si deesset verus consensus; sed verum consensum, metu tamen extortum, ipsa declarat invalidum, ut plenae matrimoniorum libertati consulatur, sine qua matrimonia fausta esse nequeunt.

2. Metum dirimere matrimonium *iure ecclesiastico* certum est, num etiam *iure naturae*, controvertitur.

Qui id cum *Sanchez* et *Kugler negant*, in hunc modum argumentantur: metus iste non aufert voluntarium, cum sufficientem deliberationem non impediat; ergo adest consensus, qui ad valorem contractus matrimonialis ex *iure naturae* requiritur. Insuper metus iniuste incussus non magis aufert libertatem, quam metus iuste vel a causa naturali incussus; sed metus a causa iusta vel naturali incussus non dirimit matrimonium. Qui id cum *Pontio* et *Tamburini affirmant*, concedunt adesse consensum, qui de *iure naturae* ad valorem aliorum contractuum requiritur; contractus autem matrimonialis natura sua exigit plenam omnino libertatem in contrahendo: alii enim contractus initi ex metu iniuste incusso sunt rescindibiles: cum autem matrimonium rescindi non possit, requiritur, ut ab initio sit invalidum. Utraque sententia probabilis est.

3. Ex his sequitur impedimentum hoc esse prorsus *indispensabile*; quare solum causa metus sublata matrimonium iniri vel invalide initum convalidari potest: quamdiu enim durat metus iniuste incussus, durat etiam inhabilitas ad contrahendum.

80. Declaratio. Ut metus certo matrimonium dirimat, debet esse: *a.* gravis; *b.* iniustus; *c.* incussus in ordine ad matrimonium.

a. Gravis; metus non solum absolute sed etiam relative gravis matrimonium dirimit; metus autem *levis* matrimonium non dirimit.

Sunt quidem, qui dicant etiam metum levem dirimere matrimonium; verum ex *iure ecclesiastico* solus metus gravis irritum facit matrimonium; insuper si metus levis dirimeret matrimonium, multa matrimonia in damnum boni communis essent irrita.

Si dubium est, num metus censendus sit gravis, standum est pro valore matrimonii tum ex generali principio: *in dubio standum est pro valore actus*, tum propter reverentiam sacramenti.

b. Iniustus; metus iniuste incussus dicitur: α . si quis minatur malum, cuius inferendi ius non habet; β . si quis mendacio fingit alteri grave malum imminere, ut obtineat eius consensum matrimonialem.

Ad id ergo in casibus particularibus attendendum est, num malum alteri inferendum sit *contra iustitiam*. Sic si stuprator a iudice sub comminatione poenae cogitur ducere personam laesam, metus *iniuste* incussus est, quia index solum ius habet exigendi *aut* matrimonium *aut* dotationem. — Si avunculus minatur nepti se ei negaturum esse pecuniae summam, nisi determinato inveni nubat, quam pecuniam in casu matrimonii dare decreverat metus *non est iniuste* incussus, quia avunculus non tenetur pecuniam dare. — Si medicus puellae minatur nolle se curam impendere matri eius graviter aegrotanti, nisi matrimonium secum ineat, metus est *iniuste* incussus, si medicus curam impendere tenetur.

c. Incussus in ordine ad matrimonium; nihil autem refert, utrum incussus sit ab altero contrahente, an ab aliquo tertio e. g. a patre eius: libertas enim aequae laeditur, sive metus ab altero contrahente sive ab aliquo tertio incutitur.

Num metus gravis, sed non incussus ad extorquendum consensum, matrimonium dirimat, non constat inter auctores. Concedunt quidem valere matrimonium, si metus iuste incutiatur; quodsi metus iniuste incutiatur, contendit *Lugo* contra *Sanchez* matrimonium esse invalidum. dummodo metus sit causa eligendi matrimonii ad se liberandum a malo; quam *Lugonis* sententiam *s. Alphonsus* dicit veriorem.

Num metus reverentialis dirimat matrimonium. — Omnes concedunt metum reverentialem, si *gravis* sit et iniuste incussus in ordine ad contrahendum, dirimere matrimonium. Quare si e. g. filia timet odium grave vel gravem indignationem patris aut timet patrem se durissime tractaturum esse, aut si indesinenter fiunt preces importunae, matrimonium ex hoc metu initum invalidum est.

Quodsi nihilominus dissidium inter auctores in hac quaestione existit, illud magis ad modum loquendi quam ad rem ipsam referendum est: alii enim concedunt metum reverentialem etiam gravem esse posse; alii autem contendunt metum reverentialem natura sua semper levem esse, et affirmant illum metum, quem alii reverentialem gravem dicunt non esse metum mere reverentialem, sed metum mixtum ex reverentiali et non reverentiali¹⁾.

¹⁾ Cf. *De principiis* n. 49.

§ 4. *Raptus.*

81. Natura impedimenti. 1. Impedimentum *raptus* in eo consistit, quod matrimonium inter virum, qui mulierem invitam matrimonii ineundi causa abducit, et mulierem abductam, quamdiu in potestate raptoris existit, nullum sit.

a. *Raptus*, prout est impedimentum dirimens matrimonii. definitur: mulieris invitae abductio matrimonii ineundi gratia.

b. Etsi cum raptu plerumque coniunctus sit metus gravis, impedimentum tamen raptus non ratione metus iniuste incussi matrimonium dirimit, sed est impedimentum speciale a metu distinctum.

2. Hoc impedimentum solum existit *inter raptorem et mulierem raptam*, non autem inter raptam et alios viros, qui e. g. raptum in alterius favorem executi sunt.

Si quis existimans se rapientem certam mulierem amico suo rem gratam facturum, eam in scio amico rapit et in domum suam transfert, amicus valide cum ea contrahere potest, quia raptor non est.

3. Impedimentum tamdiu existit, quamdiu mulier *sub potestate raptoris est*, etsi post raptum libere in matrimonium consentiat; cum primum vero libertate donata est, cessat impedimentum absque dispensatione; hinc si extra raptoris potestatem constituta libere consentiat, eam raptor sibi in uxorem habere potest. Nihil autem refert, utrum raptor per se an per alios mulierem raptam in sua potestate detineat.

4. Impedimentum raptus est *iuris ecclesiastici* tantum, quod statuitur a concilio tridentino¹⁾. Et quamvis concilium hoc impedimentum statuens intendat etiam punire raptorem, non est tamen impedimentum poenale, sed primario statutum est, ne mulier rapta ex metu in matrimonium consentiat, ideoque ad tuendam libertatem consensus matrimonialis²⁾.

82. Declaratio. Ut raptus matrimonium dirimat, requiruntur sequentes *condiciones*:

¹⁾ Cf. sess. 24. c. 6. De reform. matrim.

²⁾ Cf. Instructio s. *Officii* ad episcopos *Albaniae* 15. febr. 1901.

a. Ut sit abductio *mulieris* non viri: concilium enim solum loquitur de raptu mulieris, qui fiat a viro; ideo matrimonium inter mulierem raptricem et virum raptum non est invalidum. Nihil autem refert, utrum mulier, quae rapitur, sit honesta an inhonesta, virgo an vidua.

b. Ut sit *vera abductio*; ad hoc autem requiritur, ut fiat abductio de loco in locum ideoque saltem de domo in domum, etsi non longe distantem; at nihil refert, utrum raptor per se an per alium exequatur raptum.

Quandoquidem propria ratio raptus in eo est, quod mulier e loco tuto, in quo nempe non est sub potestate raptoris, abducatur in locum non tutum, in quo sub huius potestate est, nonnulli auctores (*Gasparri, Vecchiotti, Matharan*) opinantur adesse raptum proindeque impedimentum matrimonii, si mulier transferatur ab una in aliam contignationem eiusdem domus, quin etiam si transferatur de cubiculo in cubiculum eiusdem contignationis vel de via publica seorsim in agrum, dummodo prior locus mulieri sit tutus, alter non tutus¹⁾.

c. Ut sit *violenta* abductio, quae nimirum fiat invita et repugnante muliere; si ergo mulier consentit in abductionem, potius fuga est, quam raptus, quae non dirimit matrimonium, etsi invitis parentibus fiat; concilium enim nihil aliud intendit, nisi ut libertatem matrimonii tueatur, quae non laeditur, si mulier consentiat.

Violenta autem censetur abductio: a. si fiat per vim physicam vel per metum gravem iniuste incussum; β. si fiat fraude et dolosa sollicitatione, etsi consentiente muliere; at non est violenta, si mulier precibus, blanditiis, muneribus, promissionibus inducatur ad fugiendum.

Num impedimentum raptus incurrat, qui rapit puellam iam rite sibi desponsatam. a. Si sponsa iustam causam habet a sponsalibus resiliendi, omnes affirmant adesse impedimentum raptus, quia in hoc casu idem est ac si sponsalia inita non fuissent. b. Si iustam causam resiliendi non habet, alii cum *Sanchez* affirmant ex iure canonico²⁾, alii cum *s. Alphonso* negant, quia sponsae non fit iniuria, sed potius cogitur facere, ad quod teuebatur.

d. Ut fiat *matrimonii ineundi causa*: concilium enim statuens hoc impedimentum id praecipue intendit, ut salvetur libertas consensus matrimonialis. Si ergo ex alia

¹⁾ Cf. *Gasparri* I. n. 549.

²⁾ C. Quum causam 6 *De raptoribus* (V. 17).

ratione e. g. solum lubricitatis explendae gratia abducitur mulier, non oritur impedimentum matrimonii.

§ 5. Aetas.

83. Natura impedimenti. 1. Impedimentum *aetatis* in eo consistit, quod matrimonium ante pubertatem initum nullum sit, nisi malitia (prudencia) suppleat aetatem.

a. Pueri ergo ante 14., puellae autem ante 12. aetatis annum completum validum matrimonium inire nequeunt¹⁾, postea autem valide contrahere possunt, quia *ex iure canonico* hac aetate iam pubertas habetur. Codices recentes ad plenam pubertatem annum 18. in viris et 16. in feminis exigunt; diversam autem in viris et feminis aetatem omnia iura exigunt, quia potentia generandi in feminis citius incipere solet, quam in masculis.

b. Ex duplici ratione maior aetas ad valorem matrimonii quam sponsalium requiritur, quia matrimonium tum maiorem iudicii maturitatem tum etiam potentiam generandi postulat. Iure naturae quidem ad validum matrimonium ineundum sufficit potentia generandi remota; iure ecclesiastico autem potentia proxima requiritur: quod tamen non ita intelligendum est, quod matrimonium inter *puberes* invalidum sit, si nondum proxime ad generandum habiles existant.

c. Qui adepti sunt annos pubertatis, nondum ubique matrimonium *licite* inire possunt. Etenim non in omnibus regionibus cum pubertate incipit potestas generandi: sed antequam adsit aptitudo generandi per se non licet inire matrimonium. Quin etiam ubique dissuadendum est, ut aetate tam tenera contrahatur matrimonium, quamvis iam adsit potentia generandi.

2. Hoc impedimentum matrimonium dirimit *iure ecclesiastico*, quod annos pubertatis ad validum matrimonium expresse requirit. nisi malitia suppleat aetatem²⁾.

3. Quia hoc impedimentum est iuris ecclesiastici, summus pontifex per se in eo dispensare potest et reipsa ex gravissima causa quandoque dispensavit; quia tamen dispensatio rarissime conceditur, hoc impedimentum inter ea numeratur, in quibus *dispensari non solet*.

¹⁾ C. Ubi non est 2 *De despons. impub.* (IV. 2).

²⁾ Ex pluribus locis iuris canonici e. g. cc. 2. 6. 7. 9. 10. 14. *De despons. impub.* (IV. 2).

84. Declaratio. *a. Iure naturae* ad valide contrahendum non requiritur nisi perfectus usus rationis, adeo ut habeatur plena cognitio iuris et obligationis, quae contrahendo suscipiuntur, quamvis usus iuris matrimonialis nondum sit possibilis. Quia tamen non convenit, ut matrimonium contrahatur, antequam coniuges ad usum matrimonii apti sint, sapienter ecclesia aetatem determinavit, qua haec aptitudo ex communiter contingentibus praesumi potest. Aetatis autem determinatio stricte intelligenda est, ita ut nullum sit matrimonium, etsi ad pubertatem pauci tantum dies deessent.

In nostris regionibus vix contingit, ut impuberes matrimonium contrahant; in regionibus autem infidelium matrimonia impuberum frequentissima sunt, quae quidem inter ipsos infideles, nisi aliud obstet impedimentum, valida haberi debent.

b. Si malitia (prudencia) supplet aetatem, matrimonium ante pubertatem, etiam sine dispensatione, validum est, quia impuberes solum *praesumuntur* inhabiles; praesumptio autem cedit veritati. Malitia dicitur supplere aetatem, si haec duo simul adsunt: *α.* sufficiens discretio seu cognitio obligationum matrimonii; *β.* actualis potentia generandi.

Si sponsi ante aetatem canonicam matrimonium inire intendunt, parochus rem ad episcopum deferre debet, ad quem pertinet declarare, num in sponsis reapse adsitabilitas, quae requiritur, nempe prudentia et potentia generandi; in dubio de sponzorum habilitate episcopus ab impedimento dispensare potest.

c. Si malitia non supplet aetatem matrimonium ante pubertatem sine dispensatione initum invalidum est, habetur autem *pro sponsalibus* inter impuberes initis¹⁾, a quibus ergo alteruter intra triduum resilire potest, quando adeptus est pubertatem.

§ 6. *Impotentia.*

85. Definitio. *Impotentia* est inhabilitas ad copulam perfectam i. e. per se aptam ad generationem proles. Tria autem requiruntur, ut copula per se ad generationem apta

¹⁾ C. Tuae nobis 14 *De despons. impub.* (IV. 2).

sit: *a.* ex parte *viri* unus saltem testiculus; *b.* ex parte *mulieris* unum saltem ovarium; *e.* ex parte *copulae*, ut semen virile cum ovulo femineo misceri possit.

a. Ab impotentia distingui debet *sterilitas*, quae est inhabilitas ad *actualem generationem*, quamvis copula perfecta haberi possit, ut accidit in senibus. Patet essenziale discrimen inter steriles et eunuchos seu castratos: hi enim semine prorsus carent, sine semine autem copula naturalis haberi nequit; illi autem virili semine non carent, etsi hoc ob senium vel aliam causam non sit prolificum.

b. Ab impotentia *generandi* distingui debet impotentia *coëundi*; illa habetur, quando desunt elementa ad generationem necessaria, scilicet in viro testiculi et proinde semen, in muliere ovaria: haec est inhabilitas habendi copulam ex se idoneam ad generationem.

c. Cum per copulam perfectam mixtio fiat seminum, ut veteres loquebantur, seu, ut recentes loquuntur, ovuli feminei et seminis virilis, per eandem coniuges fiunt *una caro*. Attamen ut coniuges fiant una caro, non requiritur, ut utriusque semina reipsa commisceantur, sed sufficit, ut per se commisceri possit, etsi per accidens ut in sterilibus et senibus non commisceantur, et proin foetus non concipiatur.

d. In triplici ergo casu habetur *impotentia*:

a. Si vir caret utroque testiculo; ideo eunuchos et spedones impotentes declaravit *Sixtus V.*¹⁾

β. Si mulier caret utroque ovario vel utero. Hodie quidem complures theologi opinantur non esse impotentem sed sterilem mulierem, quae utroque ovario vel utero caret: hi nimirum impotentiam non inhabilitatem generandi, sed inhabilitatem coëundi definiunt; sed retinenda videtur sententia olim communis²⁾.

γ. Si deest potentia coëundi; haec autem deest in viro ex defectu physico, si eius organum virile adeo imperfecte formatum est, ut copulam naturalem habere non possit, ex defectu psychico, si propter frigiditatem irritari ad copulam non possit; deest in muliere, si vagina caret, vel si vagina penitus exclusa est, vel si tam arcta est, ut penetrari nullatenus possit.

e. Ex recentiorum physiologorum sententia, quae experientia innititur, ad generationem absolute non requiritur, ut semen virile intra vas femineum immittatur, sed sufficit, ut ad os vaginae affundatur. Sed qui ex causa qualicunque copulam cum penetratione vasis feminei

¹⁾ Constitutione *Cum frequenter* 27. iun. 1587.

²⁾ Cf. *Antonelli*, De conceptu impotentiae et sterilitatis (Romae. Pustet. 1900). *Idem*, Pro conceptu impotentiae et sterilitatis (Ibidem. 1901). *Idem*, De mulieris excisae impotentia ad matrimonium (Ibidem. 1903). Econtra *Eschbach*, Disputationes etc. (Romae. Desclée. 1901) p. 14 ss.

habere non possunt, dicendi sunt impotentes, quia inhabiles sunt ad praestanda ea, quae ad *copulam naturalem* essentialiter requiruntur¹⁾.

f. Inter causas impotentiae veteres theologi et canonistae etiam *malificium* commemorant, quo daemon efficit, ut vir et femina coire non possint, etsi alias non sint inhabiles. Iam vero *α.* negari non potest, impotentiam ex maleficio ope daemonis oriri posse et quandoque de facto ortam esse²⁾; sed *β.* item exploratum est complura impedimenta coitus, quae veteres maleficio tribuebant, a causis naturalibus ortum habere.

86. Divisio. Impotentia est: *a. Perpetua* aut *temporalis*, prout mediis humanis licitis nec graviter periculosus tolli potest aut non potest.

Perpetua censetur impotentia, quae removeri non potest absque periculo vitae vel gravis morbi, afferentis scilicet periculum mortis³⁾. Hinc si mulier laborans impotentia perpetua subiret operationem periculosam, quae optatum effectum adduceret eamque redderet potentem, vel ad alias nuptias transire posset, vel cum priore viro valide contrahere deberet.

b. Absoluta aut *relativa*, prout habetur aut relate ad quamcunque personam, aut tantum relate ad determinatam personam. Impotentia relativa potest esse perpetua i. e. fieri potest, ut non existant media, per quae determinatae personae aptae fiant ad copulam inter se habendam.

c. Antecedens aut *consequens*, prout matrimonium antecedit, aut contracto demum matrimonio oritur, ut si viro contracto iam matrimonio excidantur ambo testiculi.

d. Naturalis aut *accidentalis*, prout a natura seu a naturali corporis constitutione, aut ex causa accidentali e. g. ex morbo originem ducit.

87. Impedimentum impotentiae in eo consistit, quod matrimonium inter eos initum, qui inhabiles sunt ad copulam ad generationem aptam, nullum sit: etenim non potest esse validum matrimonium, in quo primus et principalis matrimonii finis obtineri nequit⁴⁾.

1) Cf. Analecta eccles. 1899 p. 380.

2) Cf. Tob. 6, 14 ss.; 7, 11 ss.

3) C. Fraternitatis 6 *De frigid. et malef.* (IV. 15).

4) C. Ex litteris 3 et C. Litterae 7 *De frigid. et malef.* (IV. 15).

1. *Impotentia perpetua et antecedens* dirimit matrimonium, si *absoluta* est, cum quavis persona, si *relativa* est, cum illa, quacum copula perfecta haber' nequit.

2. Nec *impotentia temporalis* nec *impotentia consequens* dirimit matrimonium: non *prior*, quia non facit simpliciter ineptum ad generandum, sed solum ad tempus; non *posterior*, quia supervenit matrimonio valido, quod est indissolubile.

Ad quaestionem, *num obligatio sit tollendi impotentiam* post matrimonium detectam, ita respondendum: *a.* si absque periculo vitae vel gravis morbi, etsi non sine gravi molestia et dolore, auferri potest, existit obligatio eam tollendi: tenetur enim mulier grave incommodum subire, ut reddere possit ius, quod vir contractu matrimoniali acquisivit; *b.* quodsi absque periculo vitae vel gravis morbi auferri non potest, non tenetur, quia obligari nequit ad subeundum tantum incommodum, ut ius viri servetur (nisi dicendum sit matrimonium in hoc casu esse invalidum).

3. Hoc impedimentum est *iuris naturae*: obiectum enim contractus matrimonialis est ius in corpus prout aptum est ad copulam coniugalem perfectam.

§§. De matrimonio cum impotentia inito.

1. Si *impotentia antecedens certa* est, statim propria coniugum auctoritate facienda est separatio quoad torum; omnimoda autem separatio absque iudice ecclesiastico fieri non potest; quare ad iudicem ecclesiasticum recurrendum et impedimentum rite probandum est, quo facto iudex sententiam de nullitate matrimonii fert, et coniuges separantur.

a. Antiquitus quidem praxis separandi coniuges, quorum matrimonium ob impotentiam antecedentem nullum erat, nondum ubique in ecclesia invaluerat, sed putativi coniuges ut frater et soror cohabitare mittebantur¹⁾; abolita autem hac licentia *per Sixtum V.* praxis separandi coniuges facta est universalis²⁾, quia semper adesse solet periculum incontinentiae. Si tamen separatio coniugum sit moraliter impossibilis, ut ubi leges civiles, quae impedimentum impotentiae non agnoscunt, coniuges simul permanere cogunt, etiam nostro tempore

¹⁾ C. Quod sedem 2 et C. Laudabilem 5 *De frigid. et malef.* (IV. 15).

²⁾ Constit. *Cum frequenter* 27. iun. 1587.

permittitur, ut cohabitent ad modum fratris et sororis, dummodo absit periculum peccandi¹⁾.

b. Si confessarius advertit coniuges esse in bona fide i. e. eos putare se in legitimo matrimonio vivere et simul advertit impotentiam esse occultam, separationem autem moraliter impossibilem, eos in bona fide relinquere potest.

2. Si impotentia *dubia* est (sive dubium supervenit sive praecessit), coniugibus olim ab ecclesia concedebatur *triennalis experientia*, quo tempore debitum petere et reddere poterant, ut hac ratione constet, num revera adsit impotentia. Elapso demum triennio, si de impotentia constabat, matrimonium declarabatur solutum²⁾. Iuxta hodiernam praxim eiusmodi experimentum non amplius requiritur, sed conceditur dispensatio in matrimonio rato et non consummato.

3. Si constat matrimonium non fuisse consummatum, facilior et brevior extat via solvendi matrimonium, nimirum petendo potius dispensationem in matrimonio rato non consummato, quam declarationem nullitatis, quia impotentia antecedens et perpetua difficulter probari potest.

De hermaphroditismo³⁾.

89. Ut status quaestionis pateat, distinguendum est hermaphroditus perfectus, imperfectus et improprie dictus.

a. *Hermaphroditi* (Zwitter) proprie dicuntur homines, qui organorum utriusque sexus participes sunt, ideoque in opere generationis pro lubitu vel virum vel feminam agere possunt. Eiusmodi hermaphroditos veros atque *perfectos* nunquam extitisse nec existere unquam posse, hodie ex physiologiae legibus certum est: at hermaphroditos imperfectos et improprie dictos existere et antea extitisse experientia compertum est.

Ergo *antiquorum de hermaphroditis doctrina*, quam s. *Alphonsus* ex Busenbaum ita proponit: „si alter sexus emineat, secundum illum tantum valebit matrimonium; si uterque sit par, optio illis datur, utrolibet utantur, ita tamen, ut quem semel elegerint, semper retineant“ — haec inquam doctrina haberi debet tamquam antiquata.

¹⁾ S. C. C. 15. dec. 1877. S. *Officium* 8. mart. 1900.

²⁾ C. Laudabilem 5 *De frigidis et maleficiatis* (IV. 15).

³⁾ Hermaphroditus (ἑρμαφρόδιτος) dicitur homo, qui a Mercurio (Ἑρμῆς) et Venere (Ἀφροδίτη) natus utriusque sexus particeps est.

b. Hermaphroditi *improprie dicti* sunt homines determinati quidem sexus, qui tamen praeter organa propria aliquo ex organis essentialibus alterius sexus donati sunt e. g. mas ovario vel utero femineo, femina testiculo virili. Hi quidem ad opus generationis perficiendum non sunt inepti.

c. Hermaphroditi *imperfecti* (Scheinzwitter) dicuntur homines dubii sexus, qui nec veri mares nec verae feminae sunt, cum eorum organa sexualia ita formata sint, ut utriusque sexus organa haberi possint. Hi ad opus generationis perficiendum ordinarie inepti sunt. cum in eo nec virum nec feminam agere possint¹⁾. Ab eligendo statu sacerdotali vel regulari eiusmodi homines arcendi sunt.

§ 7. Ligamen.

90. Natura impedimenti. 1. Impedimentum *ligaminis* in eo est, quod coniux vinculo matrimonii ligatus non possit validum matrimonium inire, nisi prius matrimonium rite solutum fuerit: qui enim ius in corpus suum uni iam tradidit, non potest idem ius alteri tradere, nisi prior contractus legitime solutus sit²⁾.

Nomine *ligaminis* intelligitur vinculum matrimoniale, quo uterque coniux alteri alligatus est.

2. Impedimentum hoc fundatur in dogmate de unitate et indissolubilitate matrimonii, quare *iuris naturalis secundarii* est, si vir aliud matrimonium inire attentat vivente adhuc uxore; si autem uxor matrimonium inire attentat vivente adhuc viro, impedimentum *iuris naturalis primarii* est.

Existente priore matrimonio aliud novum matrimonium valide iniri non posse, ecclesia nullo non tempore docuit, etsi secundum matrimonium consummatum, primum autem solum ratum fuerit. Quare secundum matrimonium simpliciter pro concubinato habet, etsi iudex saecularis vel secta religiosa primum matrimonium solutum declaraverit. In polygamia vero infidelium prima uxor habenda est pro legitima, nisi ob aliquod dirimens impedimentum matrimonium demonstretur invalidum.

91. Certitudo de statu libero. 1. Ut secundum matrimonium *licite* iniri possit, requiritur, ut *moraliter certitudine*

¹⁾ Cf. A. Eschbach, Disputationes physiolog. theolog. p. 53.

²⁾ Matth. 19, 9. I. Cor. 7, 39. CC. Accepisti 2 Licet 3 *De sponsa duorum* (IV. 4).

constet, prius matrimonium vere solutum esse, nec sufficit probabilitas de obitu coniugis licet maxima¹⁾: sacramentum enim extra casum necessitatis periculo nullitatis exponere non licet. Quare secundum matrimonium absque certa cognitione de dissolutione prioris initum graviter illicitum, sed tamen validum est, si prius matrimonium revera solutum sit.

2. De comparanda morali hac certitudine complures instructiones romanarum congregationum prodierunt²⁾, ex quibus haec habentur:

a. Non sufficit diutina absentia unius coniugis nec sola fama de eius obitu nec unius testis affirmatio, nisi sit omni exceptione maior eiusque testimonium ex adiunctis firmetur. Sed requiritur *probatio positiva et legitima*, qualis ordinarie est aut documentum authenticum aut, si hoc haberi nequeat, testimonia duorum testium, qui omni exceptione maiores sint.

b. Extraordinarie admittitur etiam *probatio per indicia*, quae simul sumpta sufficiant ad moralem certitudinem gignendam. Eisdem nixus iudex ecclesiasticus obitum coniugis authentice declarat.

a. Si mors coniugis in ipsa parochia accidit, in qua secundae nuptiae celebrantur, testimonium non requiritur, cum agatur de facto publice noto. Quodsi coniux in alio loco obiit, requiritur testimonium authenticum parochi loci, ubi mors accidit. Hoc testimonium sigillo parochiali, et si e dioecesi longinqua acquirendum sit, etiam sigillo curiae episcopalis munitum esse debet³⁾. Si eiusmodi testimonium authenticum obtineri nequit, res non amplius ad parochum spectat,

¹⁾ C. In praesentia 19 *De sponsalibus* (IV. 1). C. Dominus 2 *De secundis nuptiis* (IV. 21).

²⁾ *Instructio s. Officii* (1870) *ad probandum obitum alicuius coniugis*. *Instructio Clementis X.* 21. aug. 1670, quae plenam certitudinem de statu libero contrahentium procurandam praescribit. Cf. *Acta s. sedis VI.* p. 436 ss.

³⁾ Ut matrimonium in foro civili validum habeatur, in Austria (C. A. n. 112 ss.) testimonium potestatis civilis de morte coniugis requiritur, quo testimonio nondum obtento parochus ad nuptias procedere non potest. Etsi hoc testimonium civile in foro eccles. non sufficiat, iudex ecclesiasticus tamen illo iuvare potest.

sed ad ordinarium deferenda est. Quid in hoc casu agendum sit, docet citata instructio s. Officii.

β. Si coniux bona fide novum matrimonium contraxit vivente adhuc altera parte, hoc matrimonium post mortem compartis reipsa secutam non fit ex se validum, sed renovari debet consensus.

§ 8. *Clandestinitas.*

92. Natura impedimenti. Impedimentum *clandestinitatis* in eo consistit, quod matrimonium clandestine i. e. sine sollemnitate ab ecclesia praescripta initum in locis, in quibus promulgatum est decretum tridentinum *Tametsi*, invalidum sit¹⁾.

a. *Sollemnitas* seu forma ineundi matrimonii ab ecclesia praescripta haec est, ut *coram proprio paroco et duobus saltem testibus* contrahatur. Haec sollemnitas dicitur *substantialis*: duplex enim distinguitur sollemnitas matrimonii, *substantialis*, quae ad valorem matrimonii requiritur, et *accidentalisis*, quae ad valorem matrimonii non requiritur, et dividitur in *antecedentem*, quae in proclamationibus matrimonio praemittendis consistit, et in *consequentem*, quae in benedictione nuptiali post matrimonium contractum impertienda consistit.

b. Matrimonium *clandestinum* (geheime Ehe) antiquitus dicebant matrimonium, quod (etsi aliis praesentibus) sine assistentia et benedictione sacerdotis contrahebatur. Postquam concilium lateranense IV. (1215) matrimoniorum proclamationes publicas praescripserat, matrimonium clandestinum dicebant matrimonium sine praeviis proclamationibus initum. Nunc matrimonium clandestinum dicitur matrimonium sine paroco et testibus seu sine forma a concilio tridentino praescripta initum.

c. Etsi iure naturae ad valide ineundum matrimonium aliud non requiratur, nisi mutuus contrahentium consensus, ecclesia tamen semper detestata est atque *illicita* declaravit matrimonia clandestina, quin tamen ante concilium tridentinum ea irritaverit²⁾; concilium autem tridentinum, volens occurrere malis et peccatis, quae ex clandestinis coniugiis oriuntur, ea non solum illicita sed etiam irrita et *invalida* declaravit capite celeberrimo *Tametsi*.

d. Sponsi ergo, qui in locis, ubi lex tridentina non viget, extra casum necessitatis non in facie ecclesiae, sed clam inter se solos vel coram solo magistratu civili contrahunt, *graviter peccant*, licet eorum matrimonium validum sit.

¹⁾ Sess. 24. c. 1. De reform matr.

²⁾ Cf. cc. 1—6. c. 30. q. 5.

e. Matrimonium clandestine initum in locis, ubi viget decretum tridentinum, ne *vim sponsalium* quidem habet; nulla ergo ex eo oritur obligatio neque impedimentum publicae honestatis¹⁾.

93. De ipsa lege clandestinitatis. 1. Concilium tridentinum haec statuit: a. Ut decretum promulgetur *in singulis parochiis*.

a. Promulgationem in singulis parochiis faciendam statuit concilium, ne haeretici, qui decretum nunquam promulgaturi erant, eo afficerentur. Idem concilium decretum hoc nonnisi post triginta a publicatione dies valorem habere voluit, ut haeretici, formatis interim separatis coetibus, ab hac lege eximerentur.

β. Ubi ergo nondum sunt erectae parochiae. ut in regionibus missionum, decretum tridentinum promulgari nequit.

γ. Non sufficit promulgatio in ecclesia cathedrali vel decanali facta pro tota dioecesi vel pro toto decanatu; sufficit autem promulgatio in ecclesia parochiali facta pro omnibus ecclesiis ad eandem parochiam pertinentibus.

b. Ut promulgetur *intelligibili* i. e. populi *idiomate*.

Ubi populus legere didicit, promulgatio etiam in hunc modum fieri potest, quod decretum sive scriptum sive typis impressum ad valvas ecclesiae affigitur.

c. Ut tamquam decretum concilii promulgetur.

Non sufficit, ut haec lex tridentina in synodo provinciali vel dioecesana promulgetur, nec sufficit, ut in singulis quidem parochiis, sed ut lex synodi provincialis vel dioecesanae promulgetur.

d. Ut decretum triginta demum diebus post factam primam promulgationem valere incipiat, hoc autem tempore elapso obliget omnes etiam illos, qui impedimenti cognitionem non habent²⁾.

a. Cum decretum tridentinum non ubique promulgatum sit, existunt regiones, in quibus matrimonia clandestina invalida, et regiones, in quibus valida sunt.

β. Factum promulgationis debet esse *certum*; promulgatio tamen *praesumitur*, si decretum per aliquod tempus in parochia tamquam decretum concilii observatum fuerit³⁾.

γ. Huius decreti promulgatio fieri debet a paroco vel eius vicario ex voluntate tamen ordinarii. Episcopi hodie quoque promulga-

¹⁾ S. C. C. 17. mart. 1879.

²⁾ S. C. C. 11. dec. 1880.

³⁾ S. C. C. 29. sept. 1602.

tionem faciendam praescribere possunt absque speciali licentia sedis apostolicae¹⁾.

2. Promulgationi aequivalet *legitima consuetudo*, ita ut decretum tridentinum valeat, ubi per legitimam consuetudinem introductum est²⁾.

a. Observatio igitur decreti tridentini tamquam legis pontificiae seu s. concilii per aliquod tempus (ultra decennium), etsi constet decretum nunquam promulgatum fuisse, constituit titulum obligationis a praesumpta promulgatione diversum. Etsi non omnes id concedant, de eius veritate tamen vix dubitari potest: etenim si per legitimam consuetudinem (contra legem) lex ista abrogari potest, a fortiori per legitimam consuetudinem (secundum legem) introduci potest: atqui per consuetudinem abrogari potest. Affirmat enim *Pius VII.* in litteris ad archiepiscopum moguntinum (8. oct. 1803) datis, matrimonia mixta coram ministro acatholico contracta valida esse in locis, in quibus decretum tridentinum in desuetudinem abiit: et s. *Officium* (11. mart. 1860) declaravit, in Iaponia legem tridentinam (ibidem olim promulgatam) in desuetudinem abiisse³⁾.

b) Verum repetitis vicibus s. sedes simul declaravit, „nullum temporis spatium sufficere, ut lex tridentina vim obligandi amisissetur aliquo in loco ob simplicem non observantiam haereticorum“⁴⁾.

Nota. Si alteruter coniugum a lege tridentina exemptus est, e. g. ratione loci, in quo habitat, exemptionem, qua ipse fruitur, alteri parti communicat: matrimonium enim est res individua, quocirca ius unius communicatur alteri, nisi lex aliud statuatur. Hinc si unus contrahentium habitat in loco, in quo lex tridentina viget, alter in loco, ubi non viget, et contrahunt in loco exempto, observatio legis tridentinae ad valorem matrimonii non requiritur⁵⁾.

94. Lex tridentina localis est. Ex eo, quod lex irritans matrimonia clandestina *localis* est, inhaerens nempe territorio, haec sequuntur:

a. Lex obligat omnes, qui contrahunt in loco, ubi ipsa viget, etsi ibi non habeant domicilium nec quasi-do-

¹⁾ Cf. Archiv. f. k. KR. Bd. 63. S. 156, contra ac opinantur *Zitelli* et *Gasparri*.

²⁾ *S. Officium* 1. maii 1887.

³⁾ Cf. *s. Officium* 1. maii 1887.

⁴⁾ *S. Officium* ad episcopum argent. 6. iul. 1892.

⁵⁾ *Benedictus XIV.* De synodo l. 6. c. 6. n. 12.

micilium, sed illud habeant in loco, ubi decretum tridentinum non viget. Huius rei ratio est, quia ad leges communes servandas etiam peregrini tenentur, quamvis veniant e loco exempto; lex autem tridentina ex intentione ecclesiae est lex universalis, etsi ad actualem eius obligationem ecclesia voluerit, ut in singulis parochiis publicaretur. Insuper ad servandas leges latas circa contractus omnes tenentur tum incolae tum peregrini: *locus regit contractum*¹⁾.

b. Si constat legem tridentinam in aliquo territorio ubique promulgatam esse, ea viget etiam in parochiis post promulgationem erectis, sive catholicae sunt sive haereticae, quin denuo promulgetur.

c. Si parochia, in qua lex tridentina promulgata fuerat, in duas dividitur, vel si aliqua pars ab illa parochia divellitur et alteri parochiae annectitur, in qua lex tridentina non viget, opus non est nova promulgatione; si contra ad parochiam legi tridentinae subiectam accedit aliquod territorium hucusque ab eadem lege immune, illud suam immunitatem retinet, proindeque parochia ex duabus partibus constat, in quarum altera matrimonia clandestina valida, in altera autem invalida sunt.

95. Lex tridentina ex parte personalis est, quatenus nempe eos, qui lege subiecti sunt, extra territorium sequitur, si *in fraudem legis* in loco exempto contrahunt²⁾.

Ad quaestionem ergo, num obliget eos, qui habentes domicilium vel quasi-domicilium in loco, ubi lex tridentina viget, contrahunt in loco, ubi non viget, ita respondendum est:

a. Si alteruter in loco exempto domicilium aut quasi-domicilium acquisivit eoque acquisito contrahit, valet matrimonium,

¹⁾ Cf. instructio s. *Officii* 14. dec. 1851. Haec confirmantur nuperrima decisione s. *Officii* 28. ian. 1899 in celebri causa Parisiensi. Cf. *Acta s. sedis*, XXXII. p. 346 ss.

²⁾ S. C. C. 5. sept. 1626, cuius decretum ab *Urbano VIII.* const. *Exponi nobis* (14. aug. 1627) confirmatum et a *Benedicto XIV.* const. *Paucis* (19. mart. 1758) innovatum est.

etsi in fraudem legis in locum exemtum migraverint: per domicilium enim fiunt participes privilegii, quo incolae loci fruuntur.

b. Si *in fraudem legis* in locum exemtum migraverint et nullo acquisito domicilio contrahant, non valet matrimonium. Verba: si alio se transferunt *cum fraude* alii intelligunt de fraude *intentionali*, quae reperitur in iis, qui mala fide i. e. aut unice aut principaliter ad matrimonium ibi contrahendum et proinde ad eludendam legem alio se conferant; alii vero ea intelligunt de fraude *iniridica*, quam ipso facto, quo alio se conferunt, committunt, eo quod proprium parochum fraudant iure suo assistendi matrimonio¹⁾.

c. Si ergo uterque vel unus saltem contrahentium in locum exemtum se confert non nubendi causa, sed in alium finem e. g. ad negotium gerendum vel sanitatis aut voluptatis causa, matrimonium practice dicendum est validum.

α. Quamvis lex tridentina lata sit a legislatore universali, non est tamen ubique promulgata, atque ideo comparatur legi particulariter latae, quae extra territorium, ubi promulgata est, non obligat. Ne tamen subditi illorum locorum, in quibus lex promulgata est, eius obligationem in locum exemtum migrantes eludere possint, *Urbanus VIII.* statuit, ut invalida sint matrimonia ab iis contracta, qui in fraudem legis tridentinae in locum exemtum migrant.

β. Iam vero post instructionem s. *Officii* 14. dec. 1859 complures auctores contendunt legem tridentinam simpliciter personalem esse ideoque omnes, qui legi tridentinae subiecti sunt, invalide contrahere, si in loco exemto matrimonium ineunt, ob quemcunque finem eo migraverint. Nihilominus sententia affirmans valida esse eorum matrimonia, qui non ad contrahendum in locum exemtum se conferunt, hodie adhuc dici potest vere probabilis ideoque impedimentum clandestinitatis in hoc casu theoretice dubium et practice nullum. Inter recentes huius sententiae sunt: *Ballerini, Bucceroni, Lehmkühl, D'Annibale, Aertnys* et alii²⁾.

Num cesset impedimentum clandestinitatis in gravi necessitate si parochus adiri non possit.

a. Si impotentia adeundi parochum in aliquo loco sit *communis*, ex omnium sententia cessat impedimentum. Iam

¹⁾ S. C. C. pluries in suis responsionibus (nuper 18. iul. 1903) haec verba ita interpretata est, ut ea ad fraudem iuridicam meri facti extenderet; sed una vel altera responsio per se ius non facit.

²⁾ Cf. *G. Arendt*, De coniugio clandestine inito (Romae. Analecta eccl. 1900). Econtra *Leitner*: Was heisst in fraudem legis tridentinae handeln? (Archiv f. k. KR. 1894. I. S. 54 ff.); *Wernæ* n. 170.

si praevideatur parochum vel alium sacerdotem, qui eius vices subeat, *intra spatium unius mensis* adiri non posse; censetur adesse illa impotentia, in qua impedimentum cessat. Quodsi non adsit parochus, matrimonium saltem coram duobus testibus iniri debet, ut validum sit.

b. Si impotentia adeundi parochum sit *particularis*, censet *Ballerini* (n. 819) probabilem esse sententiam, quae affirmat in gravi necessitate impedimentum cessare¹⁾.

96. Ubi vigeat. 1. In regionibus plene catholicis, in quibus initio promulgatum fuit decretum tridentinum, hoc ubique vigeat. Ideo si novae parochiae ibi eriguntur, non est necesse, ut decretum promulgetur²⁾.

2. In regionibus non plene catholicis decretum tridentinum vigeat, ubi promulgatum est. Si ergo nova parochia ibi erigitur, decretum tridentinum promulgari debet.

a. In *Europa* decretum tridentinum *simpliciter promulgatum est: in Italia, in Austria, in Hispania, in Lusitania, in Gallia, in Hibernia, in Belgio, in ducatu magno luxemburgensi, in dioecesi ruraemondensi, in partibus Bavariae, in Helvetiae partibus semper catholicis.*

b. *Pro solis catholicis promulgatum est: in Germaniae dioecesibus coloniensi, trevirensi, monasteriensi, paderbornensi, vratislaciensi, in Poloniae dioecesi guesnensi et posnaniensi, in Hungaria, in Transsylvania, in Russia, in Polonia russiaca, in Valachia, in Bulgaria, in Neerlandia, in Croatia, in Dalmatia.*

c. *Non promulgatum est: in Anglia, in Scotia, Svezia, in Norvegia, in Dania, in pluribus Helvetiae pagis, in Pomeronia, in Saxonia, in Borussia presse dicta, in pluribus Bavariae locis³⁾.*

97. De matrimoniis clandestinis haereticorum. Falsum est ecclesiam matrimonia haereticorum, utpote

¹⁾ Exemplo sit, si virgo clandestine contrahat, ne ab iniquo tutore tradatur viro indignissimo; vel si parochus fugiat, ne assistat matrimonio, quod prohibet lex civilis.

²⁾ *S. Officium* 23. nov. 1898.

³⁾ Perfectiorem elenchum locorum, in quibus decretum tridentinum promulgatum est, exhibet *Lehmkuhl* n. 788. Cf. etiam *Leinz*, *Der Ehevorschrift des Konzils von Trient Ausdehnung und heutige Geltung* (Freiburg. Herder. 1888). *Deshayes*, *Questiones pratiques sur le mariage*. (Paris. Lethielleux. 1898). Appendice I. *Bassibey*, *De la clandestinité etc.* (Paris. Oudin. 1904).

clandestina, pro invalidis habere: diversa enim adiuncta distingui debent, ut de illorum validitate statui possit.

1. Valida sunt in locis, in quibus *lex tridentina non vigeat*, quia ibi nunquam promulgata est.

a. Lex tridentina promulgata non est: α. in locis, in quibus haeretici iam ante legis promulgationem distinctum coetum religiosum formaverant: ideo enim concilium peculiarem modum promulgationis quoad hanc legem praescripsit, ne haeretici ea obligarentur; β. in locis exemptis (non plene catholicis), sive haeretici in iis coetus religiosos habebant sive non habebant.

b. Lex tridentina promulgata est in locis (catholicis) legi subiectis, sive haeretici post legis promulgationem illuc advenerunt, sive iam antea aderant, sed coetum religiosum nondum formaverant. Quodsi post promulgationem in regionem advenerint, nihil refert, utrum ibi domicilium habeant, an non habeant, utrum coetum religiosum formaverint, an nondum formaverint: etenim cum lex sit localis, omnes incolas loci afficit.

c. Complures esse possunt regiones, in quibus certo determinari nequit, utrum lex tridentina vigeat necne, quia certo non constat, utrum ibi promulgata fuerit.

2. Valida sunt in locis, pro quibus data est *declaratio benedictina*, et ad quae ea postmodum extensa est (n. 590).

3. Valida sunt in locis, pro quibus concessa est *dispensatio a lege tridentina*.

a. Eo *differt* declaratio a dispensatione, quod declaratio edicat legem non existere et quod proinde ad omnia matrimonia contracta et contrahenda referatur; econtra dispensatio legem hucusque vigentem aufert et proinde ad futura tantum matrimonia refertur.

b. Dispensatio a forma tridentina *diversis modis* conceditur, ita ut

α. sola matrimonia *mixta* valida sint. Sic Pius VIII. per breve *Litteras altero* (25. mart. 1830) matrimonia mixta clandestine inita in *dioecesibus coloniensi, trecirensi, monasteriensi et paderbornensi*, in quibus tridentinum promulgatum erat, per dispensationem declaraverat valida; item per dispensationem valida sunt matrimonia mixta clandestine inita in dioecesi *basiliensi* (1. iul. 1890);

β. matrimonia haereticorum inter se et matrimonia mixta valida sint. Sic in *Hungaria* per dispensationem (a. 1841 sub *Gregorio XVI.*) valida sunt tum matrimonia haereticorum tum matrimonia mixta;

γ. sola matrimonia *haereticorum* inter se, non item matrimonia mixta valida sint. Sic in insula *Melitensi* sola matrimonia haereticorum valida sunt (12. ian. 1890, quod decretum 1892 extensum est etiam ad matrimonia haereticorum iam contracta).

4. Invalida sunt in locis, ubi *decretum tridentinum* *viget*.

a. Quaestio theoretice nondum diremta est, quia s. sedes generalem declarationem circa matrimonia clandestina haereticorum edere hucusque noluit, sed potius in singulis casibus recurrendum esse statuit expositis omnibus facti adiunctis. Si ergo coniuges haeretici in regionibus, in quibus *viget* lex tridentina, ad veram fidem redeunt, de eorum matrimonio ad ordinarium referendum est.

b. Praxis vero ecclesiae in diiudicandis haereticorum matrimoniis, consideratis responsis particularibus, haec esse videtur, quod matrimonium declaratur nullum, quoties certo constat decretum tridentinum in loco, ubi initum fuit matrimonium, fuisse promulgatum. Quae cum ita sint, quaestio circa matrimonia clandestina haereticorum non tam haec generalis est, num haeretici teneantur servare formam tridentinam, quam potius haec particularis, num in loco, ubi contractum est matrimonium, lex tridentina unquam promulgata fuerit.

c. Haec omnia apprime confirmantur declaratione s. *Officii* 23. nov. 1898. Decretum *Tametsi* iam pridem promulgatum fuerat in tota dioecesi Costa-Rica Americae meridionalis. Anno 1870 in eadem dioecesi erecta est nova parochia Portus de Limon, quam incolunt catholici et haeretici. Iam s. Officium declaravit: α . necessariam non esse promulgationem decreti tridentini in nova parochia, cum in tota dioecesi iam promulgatum sit: β . matrimonia haereticorum inita coram ministro acatholico vel coram gubernio invalida esse; γ . non convenire, ut petatur extensio declarationis benedictinae relate ad matrimonia haereticorum (quia constat ibi promulgatum fuisse tridentinum).

5. Matrimonia *mixta*, quae clandestine contrahuntur sive coram magistratu civili sive coram ministro haeretico:

a. Valida sunt in regionibus, in quibus lex tridentina nunquam promulgata vel nunquam recepta est.

Ubi enim matrimonia haereticorum inter se valida sunt, valent etiam matrimonia mixta, nisi in aliqua regione facta sit specialis exceptio, quia propter individuitatem contractus exentio partis acatholicae communicatur parti catholicae, nisi ecclesia aliud statuatur.

b. Valida sunt in regionibus, quibus data vel extensa est declaratio benedictina: declaratio enim haec non refertur solum ad matrimonia, quae haeretici contrahunt inter se, sed etiam ad matrimonia mixta.

c. Invalida sunt in regionibus, in quibus lex tridentina *viget*, prout de matrimoniis haereticorum dictum est, nisi concessa fuerit dispensatio.

In nonnullis regionibus (ut in Archidioecesi coloniensi cum dioecibus suffraganeis trevirensi, monasteriensi et paderbornensi, in Transsylvania, in Russia et Polonia) vi dispensationis valida sunt matrimonia mixta, quin *ideo* valida sint etiam matrimonia haereticorum inter se. Haec enim dispensatio conceditur parti catholicae, quae propter individuitatem contractus matrimonialis communicatur parti acatholicae.

98. De declaratione benedictina. *a.* Declaratio benedictina dicitur constitutio *Benedicti XIV. Matrimonia* (4. nov. 1741), qua summus pontifex declarat et statuit *matrimonia clandestina in Hollandia* sive *inter haereticos* sive *inter haereticum et catholicum* contracta et in posterum contrahenda pro validis habenda esse, dummodo aliud non obstiterit impedimentum.

α. Diu inter theologos disputatum est, num matrimonia clandestina haereticorum in Hollandia valida sint. Specialis difficultas inde orta est, quod illae regiones tempore concilii tridentini catholico principi obediebant, in quibus proinde lex tridentina promulgata fuit; sed dubium erat, an eae fuerint circumstantiae, ut lex tridentina etiam ad haereticos extendenda sit. Narrat Benedictus XIV. se ante suam ad summum pontificatum elevationem opinioni validitatem neganti nunquam acquiescere potuisse. Ideo ad supremam in ecclesia potestatem evectus edita hac declaratione disputationi finem imposuit¹⁾.

β. Nomine *haereticorum*, quorum matrimonia clandestina pronuntiantur valida, ex ipsa declaratione s. sedis comprehenduntur etiam: *a.* qui catholice baptizati a pueritia nondum septennali in haeresi educantur et haeresim profitentur; *b.* qui adhuc pueri in manus haereticorum incidentes haereticae sectae adiunguntur; *c.* apostatae ab ecclesia ad haeticam sectam transeuntes; *d.* qui nati et baptizati ab haereticis adoleverunt, quin ullam sollemnem haereseos professionem emisissent, ac veluti nullius religionis sunt²⁾.

b. Haec declaratio initio pro Hollandia data postmodum speciali s. sedis dispositione *ad complures alias regiones extensa est.*

α. Non licet declarationem benedictinam absque interventu sedis apostolicae ad alias regiones extendere, etsi eadem videantur adesse locorum adiuncta.

¹⁾ Cf. De synodo l. 6. c. 6. n. 4. ss.

²⁾ *S. Officium* 6. april 1859.

3. Ecclesia declarationem benedictinam nunquam extendit ad loca in quibus certe promulgatum fuerat decretum tridentinum. Elenchum locorum, ad quae declaratio benedictina extensa est, exhibet *Lehmkuhl* n. 785.

§ 9. Cognatio.

Cognatio generatim sumta definitur propinquitas personarum ex generatione orta. Pro diversitate generationis triplex distinguitur cognatio: *naturalis* seu consanguinitas, quae ex generatione naturali, *spiritualis*, quae ex regeneratione spirituali in sacramentis baptismi et confirmationis, et *legalis*, quae ex legis adoptione oritur.

Consanguinitas.

99. Natura impedimenti. Impedimentum *consanguinitatis* in eo consistit, quod personae in certo aliquo gradu consanguineae validum matrimonium inter se inire non possint.

a. *Consanguinitas* est propinquitas personarum ex eodem stipite proximo per naturalem generationem descendantium: oritur ergo ex participatione eiusdem sanguinis. Dicitur *proximo*: qui enim a communi remoto stipite (ultra quartam generationem) descendunt, non solent amplius vocari consanguinei.

b. *Consanguinitas* est: a. *legitima*, si ex matrimonio legitimo, et est *illegitima*, si ex natalibus illegitimis oritur; est β. *simplex*, si ex uno tantum fonte, et *multiplex*, si ex duplici vel multiplici fonte oritur.

c. Patet impedimentum matrimonii aequè ex legitima atque ex illegitima consanguinitate oriri. Porro ad consanguinitatem, quae matrimonii impedimentum constituit, nihil refert, utrum uterque an alteruter tantum parens sit communis.

100. Declarationes. Ut impedimentum consanguinitatis rite intelligatur, tria explicanda sunt: quid sit stipes, quid linea, quid gradus.

1. *Stipes* dicitur illa persona, ex qua aliae per naturalem generationem descendunt, et in qua tamquam prima radice conveniunt; sic fratres stipitem habent patrem, filii duorum fratrum stipitem habent avum.

a. Ordinarie communem stipitem constituunt duae personae, scilicet parentes; sed fieri etiam potest, ut illum constituat una persona (sive vir sive mulier), si haec non cum una sed cum pluribus personis prolem habuit.

b. Quia ex eodem stipite nati eundem sanguinem participant, *consanguinei*, vocantur. Consanguinei in primo gradu lineae collateralis sunt *germani* aut *non germani*, prout utrumque parentem aut unum tantum communem habent. Non germani dicuntur *uterini*, si eandem matrem sed diversum patrem, et dicuntur *consanguinei* tantum, si eundem patrem sed diversam matrem habent.

2. *Linea* est series personarum ab eodem stipite per varias generationes descendentium. *Linea* diversos gradus continet et duplex est, recta et obliqua.

a. *Linea recta* est series personarum, quarum una ab altera descendit sive immediate ut filius a parentibus sive mediate ut nepos ab avis. *Linea recta* in duas dividitur, quarum altera est *ascendentium*, a quibus aliquis originem habet, scilicet pater, avus, proavus etc., altera *descendentium*, qui ab aliquo originem habent, scilicet filius, nepos, pronepos etc.

b. *Linea obliqua (collateralis, transversalis)* est series personarum, quarum una ab altera non descendit, omnes tamen communem stipitem habent ut fratres, patruales.

Linea collateralis aut est *aequalis*, si personae in utraque linea collocatae eodem gradu a communi stipite distant, aut *inaequalis*, si personae in utraque linea collocatae diverso gradu a communi stipite distant. Sic duo fratres aequalis, frater autem et fratris filia inaequalis lineae sunt.

3. *Gradus* est mensura distantiae unius personae ab altera in eadem linea. *Gradus* potest esse *simplex* vel *mixtus*.

Dirimit 3. 0 2.

101. Principia. 1. Consanguinitas in *linea recta* matrimonium dirimit usque *ad quartum gradum*, immo probabiliter utroque iure indefinite in quocunque gradu.

Auctores, qui affirmant consanguinitatem *iure naturae* matrimonium dirimere indefinite, hoc utuntur argumento. Omnes posterii debent progenitoribus eandem fere reverentiam, quam liberi parentibus, ideo progenitores nomine parentum, posterii nomine liberorum vocari solent. Ob hanc rationem consanguinei in *linea recta* non censentur a Deo accepisse potestatem tradendi sibi mutuo ius in corpora. Qui vero affirmant consanguinitatem *iure positivo* nunc vigente matrimo-

nium dirimere indefinite, docent summos pontifices (Calixtum I.¹⁾ et Nicolaum I. in responsis ad consult. bulgaror.) dispositiones iuris romani, matrimonium inter consanguineos in quocunque gradu irritantis, in ius ecclesiasticum recepisse.

2. Consanguinitas in *linea collateralis* matrimonium pariter dirimit usque *ad quartum gradum*, sed non ultra, etsi remotior gradus sit mixtus cum propinquiore e. g. quintus cum tertio vel secundo.

Impedimentum, quod olim extendebatur usque ad septimum gradum²⁾, a concilio lateranensi IV. sub Innocentio III.³⁾ et postea a concilio tridentino⁴⁾ ob magnam difficultatem tot graduum prohibitiones observandi ad quartum gradum coarctatum est.

102. Impedimenti origo. 1. *In primo gradu lineae rectae* (inter patrem et filiam, matrem et filium) impedimentum certo est *iuris naturae*; in aliis gradibus lineae rectae matrimonia non sunt iure naturae certo invalida, etsi iure naturae sint illicita propter gravia incommoda, quae inde sequerentur.

Ratio *primi*: ipso naturali lumine rationis intelligimus usum matrimonii inter consanguineos in primo gradu lineae rectae contrarium esse singulari reverentiae parentibus debitae; ideo omnes gentes moribus non depravatae nuptias in primo gradu lineae rectae tamquam nefandas detestantur. Quare ob naturalem turpitudinem, quae eiusmodi matrimoniis inest, consanguinei in primo gradu lineae rectae iure naturae carere censentur potestate sibi mutuo ius in corpora tradendi.

Ratio *secundi*: omnes quidem posterii suis progenitoribus reverentiam debent, quae tamen in remotiori gradu tanta esse non debet, quanta in primo. Quare nuptiae inter consanguineos remotioris quoque gradus lineae rectae iuri naturae aliquo modo adversantur; num vero haec repugnantia ea sit, quae eiusmodi nuptias constituat irritas, certo definiri non potest.

2. *In primo gradu lineae collateralis* (inter fratrem et sororem) impedimentum iuxta nonnullos auctores est iuris naturae, iuxta alios mere iuris ecclesiastici. Ecclesia

¹⁾ C. *Coniunctiones* 2 c. 35. q. 2.

²⁾ C. *Nullum* 7 c. 35. q. 2.

³⁾ C. *Non debet* 8 *De consanguinit.* (IV. 14).

⁴⁾ Sess. 24. c. 4. *De reform. matr.*

tamen in hoc impedimento nunquam dispensavit¹⁾. In aliis gradibus lineae collateralis certo est *iuris ecclesiastici*.

a. Singularis illa reverentia parentibus debita, propter quam ipsa natura matrimonium inter parentes et liberos interdicat, in eo potissimum fundatur, quod parentes sint principium filiorum; atqui in linea collateralis haec potissima ratio non valet; ergo natura matrimonium inter fratres et sorores absolute non interdicat²⁾. Quare initio ob gravissimam necessitatem propagandi generis humani, quod Deus ab uno homine voluit, ut descenderet, iure naturae licita erant, postea vero genere humano iam satis propagato iure naturae illicita evaserunt.

b. Quare de matrimoniis, quae infideles consanguinei intra gradus ab ecclesia prohibitos ineunt, haec tenenda sunt:

α. Matrimonia inter consanguineos in primo gradu lineae rectae inita certo invalida sunt. Idem dicendum est de matrimoniis consanguineorum, quae a lege civili irritantur.

β. Matrimonium inter avum et neptem et matrimonium inter fratrem et sororem initum *probabiliter* invalidum est. Si eiusmodi coniuges ad fidem convertantur, novum matrimonium inire possunt iuxta normam a s. sede propositam: si superest dubium de valore matrimonii in infidelitate contracti, standum est pro nullitate matrimonii in favorem fidei³⁾.

γ. Matrimonia consanguineorum in secundo et ulteriori gradu, si nihil aliud obstat, valida sunt; et si coniuges ad fidem convertantur, in contracto matrimonio absque dispensatione manere possunt.

3. Ratio prohibendi matrimonia inter consanguineos contrahenda potissimum triplex est: alia *socialis*, ut mutua caritas et amicitia magis dilatetur: alia *moralis*, ut ablata spe matrimonii refrenetur amor carnalis inter membra familiae; alia demum *physica*, ut prospiciatur proli: constat enim consanguineorum coniugia aut esse infoecunda aut proles morbis et defectibus laborare.

103. Computatio graduum canonica. Ad computandos gradus consanguinitatis in iure canonico tres regulae statuuntur, alia pro linea recta, alia pro collateralis aequali, alia pro collateralis inaequali⁴⁾.

¹⁾ C. Gaudemus 8 *De divortii* (IV. 19). *Concilium trid.* sess. 24. c. 5. De reform. matr.

²⁾ Gen. 20, 12.

³⁾ S. *Officium* 18. maii 1872.

⁴⁾ C. *Primo* 6. c. 35. q. 5.

1. In *linea recta* tot numerantur gradus, quot personae stipite demto seu tot sunt gradus, quot sunt generationes.

Descendentes	<i>Titius</i>	Ascendentes.
1		1
Filius		Pater
2		2
Nepos		Avus
3		3
Pronepos		Proavus
4		4
Abnepos		Abavus

Ergo pater et filius in primo, avus et nepos in secundo, proavus et pronepos in tertio, abavus et abnepos in quarto gradu consanguinei sunt.

In adiecto schemate *Titius* cum patre et filio in primo, cum avo et nepote in secundo, cum proavo et pronepote in tertio, cum abavo et abnepote in quarto gradu lineae rectae consanguineus est.

2. In *linea collateralis aequali* tot numerantur gradus, quot personae ex una parte stipite demto; ergo duae personae toto gradu consanguineae sunt, quoto a communi stipite distant.

Claudius.

1	1
Anna	Titus
2	2
Iacobus	Theresia
3	3
Maria	Iulius
4	4
Paulus	Sempronia

Ergo frater et soror in primo, filii fratris et filii sororis (patruelles et consobrini) in secundo, nepotes fratris et nepotes sororis in tertio, pronepotes in quarto gradu lineae collateralis aequalis consanguinei sunt.

In adiecto schemate Paulus et Sempronia in quarto, Iulius et Maria in tertio, Iacobus et Theresia in secundo, Titus et Anna in primo gradu lineae collateralis aequalis consanguinei sunt.

3. In *linea collateralis inaequali* tot numerantur gradus, quot sunt personae ex parte remotiore stipite demto; ergo duae personae toto gradu consanguineae sunt, quoto remotior a communi stipite distat.

Sempronius.

1	1
Flavia	Lucius
2	2
Anna	Petrus
3	3
Caesar	Victor
	4
	Melania

Si ergo ex una parte sunt tres personae ex altera parte quatuor stipite demto, duae personae consanguineae sunt in quarto gradu, lineae collateralis inaequalis. Mixtus eiusmodi gradus in hunc modum exhiberi solet: A. et B. consanguinei sunt in quarto gradu mixto cum tertio, aut etiam *in quarto gradu tangente tertium*.

In adiecto schemate Melania et Caesar consanguinei sunt in quarto gradu tangente tertium, Victor et Anna in tertio gradu tangente secundum, Petrus et Flavia in secundo gradu tangente primum lineae collateralis inaequalis.

104. Nomina consanguineorum. 1. Nomina *consanguineorum ascendentium* in linea recta ex parte patris et matris:

Primus gradus: pater, Vater; mater, Mutter.

Secundus gradus: avus, Grossvater; avia Grossmutter.

Tertius gradus: proavus, Urgrossvater; proavia, Urgrossmutter.

Quartus gradus: abavus, Ururgrossvater; abavia, Ururgrossmutter.

2. Nomina *consanguineorum descendentium* in linea recta ex parte patris et matris:

Primus gradus: filius, Sohn; filia, Tochter.

Secundus gradus: nepos, Enkel; neptis, Enkelin.

Tertius gradus: pronepos, Urenkel; proneptis, Urenkelin.

Quartus gradus: abnepos, Ururenkel; abneptis, Ururenkelin.

3. Nomina *consanguineorum descendentium in linea collateralis ex parte patris*:

Primus gradus: frater, Bruder; soror, Schwester.

Secundus gradus: patruelles, Geschwisterkinder, wenn die beiden Väter Brüder sind; amitini, Geschwisterkinder, wenn der Vater des einen und die Mutter des andern Geschwister sind.

Tertius gradus: patruelles magni, amitini magni; andere Geschwisterkinder.

Quartus gradus: propatruelles, proamitini; dritte Geschwisterkinder.

4. Series consanguineorum *descendentium* in linea collateralis ex parte matris:

Primus gradus: frater, Bruder: soror, Schwester.

Secundus gradus: consobrini; Geschwisterkinder, deren Mütter Schwestern sind.

Tertius gradus, consobrini magni; andere Geschwisterkinder.

Quartus gradus: proconsobrini; dritte Geschwisterkinder.

5. Nomina consanguineorum *ascendentium* in linea collateralis ex parte patris:

Primus gradus: patruus, Onkel (Vatersbruder); amita, Tante (Vatersschwester).

Secundus gradus: patruus magnus, Grossonkel (Grossvatersbruder); amita magna, Grosstante (Grossvatersschwester).

Tertius gradus: propatruus, Urgrossvatersbruder; proamita, Urgrossvaterschwester.

Quartus gradus: abpatruus, Ururgrossvatersbruder; abamita, Ururgrossvaterschwester.

6. Nomina consanguineorum *ascendentium* in linea collateralis ex parte matris:

Primus gradus: avunculus, Oheim (Muttersbruder); matertera, Muhme (Mutterschwester).

Secundus gradus: avunculus magnus, Grossoheim (Grossmuttersbruder); matertera magna, Grossmuhme (Grossmutterschwester).

Tertius gradus: proavunculus, Urgrossoheim (Urgrossmuttersbruder); promatertera, Urgrossmuhme (Urgrossmutterschwester).

Quartus gradus: abavunculus, Ururgrossoheim (Ururgrossmuttersbruder); abmatertera, Ururgrossmuhme (Ururgrossmutterschwester).

105. De consanguinitate multiplici. Ex multiplici consanguinitate oritur impedimentum consanguinitatis multiplex. Consanguinitas autem est multiplex, si duae personae ex eodem stipite multiplici via descendunt (in eodem stipite pluries conveniunt) vel si duae personae ex pluribus stipitibus descendunt (in pluribus stipitibus conveniunt). Tres casus multiplicis consanguinitatis accidere possunt:

I. Si quis ex persona sibi consanguinea prolem habet.

	<i>Unus stipes.</i>		
	Titius		
Bernardus			Marcus
Stephanus	Philippus =		Caecilia
		Lucia	

Stephanus sponsus et Lucia sponsa dupliciter consanguinei sunt, quia Lucia duplici via, ex parte patris (Philippi) et ex parte matris (Caeciliae) ex eodem stipite cum Stephano descendit. Lucia itaque cum Stephano consanguinea est ex parte patris in secundo gradu lineae collateralis aequalis et ex parte matris in tertio gradu lineae collateralis inaequalis.

	<i>Duplex stipes.</i>		
	Alter sub altero.		
	Aloisius		
Leo			Petrus
Cornelius			Dorothea
	Catharina	Damasus	
	Candidus	Domitilla	


Candidus sponsus et Domitilla sponsa dupliciter (in secundo et in quarto gradu) consanguinei sunt, quia ex duplici stipite (Aloisio et Cornelio - Dorothea) descendunt. Candidus itaque et Domitilla ex parte patris et ex parte matris in quarto gradu lineae collateralis aequalis consanguinei sunt.

II. Si personae inter se consanguineae ex personis item inter se consanguineis prolem habent, ut cum duo fratres ducunt duas sorores.

	<i>Duplex stipes diversus.</i>		
	Aloisius		Stanislaus
Caius	Leo=Agnès		Bertha
Cornelius	Petrus Anna		Maria

Cornelius sponsus et Anna sponsa ex duplici stipite (Aloisio et Stanislao) descendunt. Itaque in secundo gradu aequali tum ex stipite Aloisio tum ex stipite Stanislao consanguinei sunt.

III. Si quis ex pluribus personis inter se consanguineis prolem habet, ut cum aliquis successive duas sorores ducit.



Martinus sponsus et Sophia sponsa ex duplici stipite (Petro et Carolo) descendunt. Itaque in tertio gradu aequali ex stipite Petro et in quarto gradu aequali ex stipite Carolo consanguinei sunt.

106. Nota 1. Ut detegatur, num et quale impedimentum consanguinitatis inter duos sponsos existat, aptior modus, ubi nempe ignotus est stipes, is esse videtur, ut supra sponsi ac sponsae nomina scribantur nomina patris et matris, avi et aviae et sic porro usque ad quartam generationem. Si inter utriusque ascendentes sic descriptos nullus invenitur communis stipes, nulla inter eos intercedit cognatio; quodsi inter ascendentes reperitur communis stipes, computandus est gradus, quo uterque ab eo distet, quo facto constabit, qualis consanguinitas inter eos existat.

Nota 2. Si duorum sponsorum, qui in secundo gradu consanguinei sunt, avus et avia item in secundo gradu consanguinei sunt, sponsi triplici consanguinitate devinciuntur, in secundo gradu aequali et in duplici quarto gradu aequali, quia duplex datur via a singulis sponsis ascendendi ad communem stipitem quarti gradus, scilicet per avum et per aviam. — Si duo fratres duas sorores duxerant, eorum soboles duplici tantum consanguinitatis vinculo devinciuntur, in secundo gradu aequali¹⁾.

Cognatio spiritualis.

107. Natura impedimenti. 1. Impedimentum *cognitionis spiritualis* in eo consistit, quod inter personas, quae ex collatione et susceptione baptismi et confirmationis cognitionem contraxerunt, validum matrimonium iniri non possit.

a. *Cognatio spiritualis* est propinquitas personarum orta ex regeneratione spirituali in sacramento baptismi et confirmationis. Quando-

¹⁾ *S. Officium* 11. mart. 1896; 22. febr. 1899.

quidem regeneratio spiritualis similitudinem habet cum generatione naturali, ex illa impedimentum oritur sicut ex generatione naturali.

b. Cognatio spiritualis duplex est, altera vocatur *paternitas*, quae intercedit hinc inter baptizatum vel confirmatum, inde inter ministrum et patrinum, qui per sacramentum fiunt eius patres spirituales; altera vocatur *compaternitas*, quae intercedit hinc inter parentes baptizati seu confirmati, inde inter ministrum et patrinum.

2. Hoc impedimentum est solum *iuris ecclesiastici*: iuris enim naturalis esse non potest, quia oritur ex collatione et susceptione sacramenti; iuris autem divini non est, quia nullum voluntatis divinae afferri potest argumentum¹⁾. Quare in hoc impedimento dispensari potest: multo autem difficilius in paternitate quam in compaternitate spirituali dispensatur.

108. Declaratio. 1. Ex concilio tridentino impedimentum cognationis spiritualis contrahitur:

- a.* inter ministrum et subiectum sacramenti;
- b.* inter ministrum et parentes baptizati vel confirmati;
- c.* inter patrinum et subiectum sacramenti;
- d.* inter patrinum et parentes baptizati vel confirmati²⁾.

Ex iure igitur novo tridentino impedimentum cognationis spiritualis, quod ex iure antiquo multo latius protendebatur, ad quinque personas tantum restringitur, quae hoc versu memoriali exhibentur:

Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes.

Levans, levatus levatique parentes.

Confirmans, confirmatus confirmatique parentes.

Ligans, ligatus ligatique parentes.

2. Ut cognatio spiritualis oriatur, requiritur, ut sacramentum valide conferatur, et ex parte patris, ut valide, etsi illicitè, patrinum egerit (n. 77).

a. Qui patris munus per procuratorem exercet, ipse, non procurator, cognationem contrahit³⁾.

b. Minister, qui post baptismum privatim collatum ceremonias sollemniter in ecclesia supplet, non contrahit cognationem spirituales.

¹⁾ C. 1—10 c. 30. q. 1. — C. 1—8 *De cognatione spir.* (IV. 11).
C. Quamvis 3 *De cognatione spir.* (IV. 3) in 6^o.

²⁾ Sess. 24. c. 2. De reform. matr.

³⁾ S. C. C. 11. iun. 1881.

c. Si fidelis baptizat filium hominis infidelis, si e. g. pater fidelis baptizat filium suum ex uxore pagana genitum, item si infidelis baptizat filium hominis fidelis, non contrahitur cognatio spiritualis, quia lex ecclesiae ad non baptizatos non extenditur, cognatio autem ex una parte tantum oriri non potest, cum sit reciproca¹⁾.

3. *Cognatio spiritualis multiplex* intercedit inter patrimum et parentes: a. si alter alterius filium vicissim tenuit in baptismo vel in confirmatione; b. si quis alterius filium tenuit in baptismo et in confirmatione; c. si quis unum ex alterius filiis tenuit in baptismo, alterum in confirmatione; at si quis eiusdem personae plures filios in eodem sacramento tenet, cognatio spiritualis non multiplicatur²⁾.

4. In *baptismo condionato* ita distinguendum est: a. si baptismus iteratur ob leve dubium circa valorem prioris, non praesumitur cognatio; b. si baptismus iteratur ob grave dubium seu ob probabilem rationem de validitate prioris, praesumitur cognatio; cum tamen reipsa probabiliter tantum oriatur cognatio. non certum, sed solum dubium habetur impedimentum.

c. Quaestio est, utrum impedimentum dubium sit *dubio iuris*, adeo ut practice haberi possit tamquam nullum, an vero dubium sit *dubio facti*, adeo ut petenda sit dispensatio. S. *Alphonsus* (VI. 151) probabilem habere videtur opinionem, impedimentum esse dubium *dubio iuris*.

β. Si quis e secta protestantica ad religionem catholicam rediens sub condicione baptismum recipit et cum patrino matrimonium inire desiderat, ex duplici ratione petenda est dispensatio, primo quidem, quia hodie praesumitur baptismum in haeresi collatum fuisse invalidum, deinde quia valde difficile est investigare, num de valore baptismi collati vera existat probabilitas.

109. Num ex baptismo privato oriatur cognatio spiritualis.

a. *Minister* sacramenti omnibus fatentibus contrahit cognationem spiritualem, tam cum baptizato quam cum parentibus eius, modo baptismus valide collatus sit.

¹⁾ *Lacroix* l. 6. pr. 1. 368 s.

²⁾ S. *Officium* 29. apr. 1894. — *Casus*. Sempronius Claudii filium e sacro fonte levat; Claudii uxor alterum Sempronii filium in bap-

Iura enim, quae hoc impedimentum statuunt, non distinguunt inter baptismum sollemniter et privatim, in casu necessitatis et extra casum necessitatis collatum. Insuper impedimentum cognationis spiritualis contrahitur ratione sacramenti seu regenerationis spiritualis: regeneratio autem spiritualis aequè locum habet in baptismo sollemni et privato.

b. Quoad *patrinos* disputant quidem, attamen ex decretis S. C. C. affirmandum est contrahi cognationem.

Et re quidem vera lis diremta videtur: nam ad quaesitum: „An dispositio concilii c. 2. sess. 24. De ref. matr. decernens in sacramento baptismi contrahi cognationem spiritualem inter suscipientem et patrem et matrem suscepti habeat locum in baptismo sine sollemnitatibus ob necessitatem secuto“, S. C. C. respondendum censuit: *affirmative* die 6. mart. 1678. S. Alphonsus quidem (n. 149) probabilius negat contrahi in hoc casu impedimentum, quia in cognitionem huius decreti non devenerat; verum non licet sequi opiniones s. Alphonsi, quae adversantur certis declarationibus s. sedis.

Num pater, qui prolem suam privatim baptizat, contrahat cognationem cum matre infantis.

a. Si pater filium suum *illegitimum* baptizat, certo contrahit cognationem spiritualem cum matre prolis et cum ipsa prole, etsi in necessitate eam baptizet: ideo non potest absque dispensatione matrimonium inire cum matre prolis.

b. Quodsi pater prolem suam *legitimam* baptizat, cognationem cum uxore sua non contrahit, sive in necessitate sive extra necessitatem baptizat: privatio enim iuris petendi debitum rationem poenae habet; haec poena autem nullibi in iure infligitur; quare non prohibetur petere debitum¹⁾.

Cognatio legalis.

110. Natura impedimenti. 1. Impedimentum *cognationis legalis* (Bürgerliche Verwandtschaft) in eo consistit.

tismo, alterum in confirmatione tenet — oritur in hoc casu *triplex* cognatio spiritualis inter Sempronium et uxorem Claudii.

¹⁾ Ex iure antiquo etiam pater legitimam prolem baptizans cognationem contrahebat; ex iure nunc vigente autem eam non contrahit, iuxta alios si in periculo mortis, iuxta alios etiam si extra periculum mortis prolem baptizat. Cf. *Rituale rom.* tit. 2. c. 1. n. 14.

quod inter personas, quae ex adoptione cognationem contraxerunt, validum matrimonium iniri non possit.

a. Cognatio legalis est propinquitas personarum ex adoptione proveniens. Dicitur *legalis*, quia a lege civili primo inventa est, etsi postea etiam a iure ecclesiastico recepta sit.

b. Adoptio definitur actus legitimus, quo in filium assumitur, qui natura filius non est. Distinguitur adoptio perfecta et imperfecta. *Perfecta* seu arrogatio dicitur, si quis auctoritate principis ita in filium assumitur, ut in potestatem et familiam adoptantis transeat eiusque heres necessarius fiat aequae ac filii naturales; *imperfecta* seu adoptio dicitur, si quis auctoritate inferioris magistratus ita in filium assumitur, ut non transeat in potestatem et familiam adoptantis, sed tantum ius in hereditatem accipiat.

2. Impedimentum cognationis legalis est mere *iuris ecclesiastici*. Ratio potissima statuendi hoc impedimentum est peculiaris relatio atque obligatio reverentiae, quae ex adoptione inter adoptantem et adoptatum oritur. Huic accedit alia ratio, cavendi scilicet periculum fornicationis, quod alioquin immineret inter personas in eadem familia commorantes¹⁾.

111. Declaratio. 1. Impedimentum cognationis legalis existit:

a. Inter adoptantem, adoptatum et adoptati liberos ac descendentes (paternitas legalis).

b. Inter adoptatum et liberos legitimos adoptantis, qui tempore adoptionis in patria potestate constituti sunt (fraternitas legalis).

c. Inter adoptantem et uxorem adoptati et vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis (affinitas legalis).

α. Impedimentum cognationis legalis *perpetuum* est i. e. etiam soluta adoptione durat in iis, inter quos paternitas et affinitas legalis existit; in iis vero, inter quos fraternitas legalis intercedit, soluta adoptione impedimentum cessat.

β. Adoptio solvitur tum per emancipationem personae adoptatae aut filii (filiae) adoptantis, tum per mortem adoptantis.

¹⁾ C. *Ita diligere* 1 et C. *Per adoptionem* 6 c. 30. q. 3. — C. Si qua un. *De cognat. leg.* (IV. 12).

2. Impedimentum cognationis legalis certe oritur ex adoptione perfecta, num etiam ex imperfecta oriatur, contrarium est.

Quandoquidem adoptio, quae secundum iura moderna peragitur, non est adoptio perfecta iuris romani, dubitari potest, num ex adoptione secundum iura moderna peracta oriatur impedimentum dirimens. Ita dicendum videtur: Si adoptio, quam lex civilis admittit, essentialia adoptionis servat, adoptione oritur impedimentum dirimens. Essentialia autem adoptionis servari censentur, si adoptatus (ubi minorennis est) paternae adoptantis potestati subiicitur, vel saltem (ubi maiorennis est) in eius domum ad instar filiorum familias cohabitaturus recipitur¹⁾.

Ceterum in dubio recurrendum est ad sanctam sedem, quae proposito casu particulari iam resolvit per adoptionem in *Gallia* vigentem et legitime peractam induci impedimentum²⁾; pariter per adoptionem secundum normam codicis *neapolitani* peractam produci impedimentum³⁾; econtra adoptionem peractam secundum leges *Tunkini*⁴⁾ et *Bulgariae*⁵⁾ non producere impedimentum. Adoptio secundum *C. Austr.* et *C. Germ.* peracta impedimentum producere videtur.

§ 10. Affinitas.

112. Natura impedimenti. 1. Impedimentum *affinitatis* in eo consistit, quod matrimonium inter personas in certo gradu affines sit invalidum.

2. Affinitas, qua late patet, est *iuris ecclesiastici*; nec videtur admittendum affinitatem in primo gradu lineae rectae, etsi orta sit ex copula licita, matrimonium dirimere iure naturae.

a. Si affinitas in primo gradu lineae rectae orta est ex copula illicita, matrimonium communi consensu non dirimit iure naturae; ergo neque affinitas in primo gradu lineae rectae orta ex copula licita matrimonium dirimit iure naturae: nam utrobique eadem habetur affinitas utpote ex eadem causa naturali exorta. Insuper ecclesia

¹⁾ *Instructio* n. 29.

²⁾ *S. Poenitent.* 17. maii 1826.

³⁾ *S. Officium* 23. febr. 1853.

⁴⁾ *S. C. de prop. fide* 14. ian. 1802.

⁵⁾ *S. Officium* 16. apr. 1671.

universaliter declarat: „affinitatem, quae in infidelitate naturaliter contrahitur a copula tum licita tum illicita, non esse impedimentum pro matrimoniis, quae in infidelitate ineuntur“¹⁾. Ex iure naturae quidem est, quod oriatur affinitas: sed ex iure naturae non est, quod affinitas matrimonium dirimat: et sane inter personas affines in primo gradu non existit relatio principii et ex principio orti, et proinde nec debitum specialis reverentiae ut inter patrem et filiam; ergo deest fundamentum, ex quo impedimentum iuris naturae oriatur.

b. Olim vehemens agebatur controversia de quaestione, num ecclesia in impedimento affinitatis primi gradus lineae rectae *dispensare possit*: verum hodie communis evasit inter theologos sententia affirmans, nec superest ratio dubitandi, cum impedimentum sit iuris ecclesiastici et ecclesia ipsa declaraverit: non esse dubitandum de potestate pontificis concedendi dispensationem in hoc casu²⁾. Attamen ecclesia saepius rogata et existentibus gravissimis dispensandi causis dispensationem in affinitate lineae rectae ex copula licita nunquam concessit ob magnam indecentiam, quam matrimonia inter affines in linea recta prae se ferunt: etenim apud omnes gentes satis cultas affines in linea recta descendente instar filiorum habentur.

c. Quamvis ergo affinitas, quippe quae naturaliter ex copula carnali oriatur, etiam inter infideles existat, impedimentum tamen affinitatis inter eos non existit. Quare si ad fidem convertuntur, qui cum affinitate matrimonium contraxerunt, non sunt separandi: infideles autem soluti ad fidem conversi tenentur impedimento affinitatis, quam in infidelitate contraxerant³⁾.

113. Declarationes. a. *Affinitas* est propinquitas personarum orta *ex copula carnali perfecta* inter eum, qui copulam habuit, et consanguineos personae, quacum copulam habuit: per copulam enim utraque pars cognationi alterius partis inseritur seu fines cognationis alterius partis ingreditur.

b. Affinitas contrahitur *ex quavis copula* tum licita tum illicita, tum libera tum coacta, modo perfecta i. e. ad generationem prolis apta fuerit, etsi proles non concipiatur: nam coniunctio eadem est, sive per copulam licitam et liberam, sive per illicitam et coactam orta est.

¹⁾ S. *Officium* 26. aug. 1891.

²⁾ S. *Officium* 4. sept. 1743.

³⁾ S. C. *de prop. fide* 23. aug. 1852.

α. Affinitas non contrahitur ex sponsalibus neque ex matrimonio rato non consummato neque ex actibus luxuriae imperfectis neque ex ipsa copula, si fuerit imperfecta vel inter impuberes habita.

β. Si constat de copula et dubitatur, num fuerit perfecta, praesumitur perfecta; et si constat de conceptione, certo adest impedimentum, etsi in ipsa coniunctione carnali aliquid defuisse dicatur.

c. Affinitas contrahitur a solo viro cum consanguineis mulieris, quacum copulam habuit, et a sola muliere cum consanguineis viri, quocum ipsa copulam habuit. Ergo affinitas non contrahitur: α. a viro et muliere copulam habentibus: hi enim sunt quasi principium affinitatis; nec β. a consanguineis unius cum consanguineis alterius: *affinitas enim non parit affinitatem.*

Hinc duo fratres possunt ducere duas sorores, immo pater et filius possunt ducere matrem et filiam, et generatim quilibet consanguineus mariti potest ducere consanguineam uxoris, et vicissim quilibet consanguineus uxoris potest ducere consanguineam mariti. Ideo etiam privigni, qui pleno sensu tales sunt, i. e. qui nec patrem nec matrem communem habent, ut cum viduus habens filium ducit viduam habentem filiam, matrimonium inire possunt.

d. Affinitas gradus et lineas non habet, sed sequitur, gradum et lineam consanguinitatis; quare in determinanda affinitate haec regula servanda est: qualis est gradus et linea consanguinitatis unius partis, talis est linea et gradus affinitatis alterius partis.

Claudius ergo cum matre uxoris suae in primo et cum avia eiusdem in secundo gradu lineae rectae — cum sorore uxoris suae in primo et cum nepte uxoris suae in secundo gradu lineae collateralis affinis est.

e. Sicut consanguinitas ita etiam affinitas potest esse *multiplex*. Multiplicatur autem affinitas: α. si quis copulam habuit cum pluribus consanguineis; β. si utraque pars copulam habuit cum consanguinea alterius partis; at non multiplicatur, si quis pluries cum eadem consanguinea copulam habuit.

f. Distinguendum est inter affinitatem *antecedentem*, quae matrimonium praecedat, et affinitatem *supervenientem*, quae matrimonium iam initum consequitur. Haec eo

oritur, quod unus coniugum copulam habet cum consanguineo alterius partis in primo vel secundo gradu.

114. Nomina personarum affinium.

1. *In linea recta ascendente in primo gradu.*

a. Socer, Schwiegervater: socrus, Schwiegermutter.

b. Vitricus, Stiefvater: noverca, Stiefmutter.

2. *In linea recta descendente in primo gradu.*

a. Gener, Schwiegersohn: nurus, Schwiegertochter.

b. Privignus, Stiefsohn; privigna, Stieftochter.

3. *In linea collateralis primi gradus.*

a. Levir, des Mannes Bruder; glos, des Mannes Schwester.

b. Sororius, der Schwester Mann, Schwager; fratria, des Bruders Weib, Schwägerin.

115. Principia. 1. Affinitas ex copula licita matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusive tum lineae rectae tum lineae collateralis¹⁾.

2. Affinitas ex copula illicita matrimonium dirimit usque ad secundum gradum inclusive in utraque linea et non ultra²⁾.

a. Qui fornicatus est cum sorore sponsae suae, cum neutra potest valide contrahere: non cum sponsa propter impedimentum affinitatis; non cum sorore eius propter impedimentum publicae honestatis. Qui fornicatus est cum consanguinea sponsae suae in secundo gradu, cum hac valide contrahere potest, quia impedimentum publicae honestatis non se extendit ad secundum gradum; at sponsam ducere non potest propter impedimentum affinitatis.

b. Cum copula in matrimonio civili habita sit simpliciter fornicaria, affinitas ex ea orta matrimonium dirimit solum usque ad secundum gradum³⁾.

c. Utrum affinitas ex copula in matrimonio invalido habita matrimonium dirimat usque ad secundum, an usque ad quartum gradum, disputant; quare in casu habetur impedimentum dubium. Si ergo de matrimonio iam contracto agitur, standum est pro eius valore; si vero de matrimonio contrahendo agitur, aut impedimentum habendum est tamquam nullum, aut consulenda s. sedes.

¹⁾ C. Non debet 8 *De consang. et affin.* (IV. 14).

²⁾ *Concilium trident.* sess. 24. c. 4. De reform. matr.

³⁾ S. C. C. 17. mart. 1879.

Ratio dubitandi est, quia concilium tridentinum, ubi affinitatem ex copula illicita ortam restringit ad secundum gradum, utitur termino ex *fornicatione* ortum; atqui omnes concedunt in adulterio, incestu et sacrilegio veram haberi fornicationis speciem, nonnulli autem opinantur copulam in matrimonio invalido habitam non esse proprie fornicariam, praesertim si matrimonium est putativum tum ex parte communitatis tum ex parte coniugum.

116. Affinitas superveniens matrimonium rite contractum dirimere nequit, hunc tamen effectum habet, ut pars, quae peccatum commisit, debitum petere non possit; illud autem reddere tenetur, si pars innocens debitum petat. Immo si ipse incestuosus in gravi incontinentiae periculo versatur, nec statim dispensationem petere potest, licet ei debitum petere: lex enim ecclesiastica non obligat cum tanto incommodo.

a. Cum hoc impedimentum rationem *poenae* habeat, ab eo contrahendo excusatur tum *ignorantia facti*, personam nempe esse comparti consanguineam, tum *ignorantia iuris*, legis scilicet hunc incestum peculiariter prohibentis, et *ignorantia poenae*, legis scilicet in poenam imponentis privationem iuris petendi debitum: ab incurrenda enim poena gravi et extraordinaria excusatur ignorantia; atqui haec poena censetur gravis et extraordinaria¹⁾.

b. Coniuges plerumque hanc poenam ignorant; quare si eiusmodi incestum confitentur, de ea monendi sunt, ut in posterum certius ab hoc crimine abstineant.

c. Coniux igitur, qui tale peccatum commisit et ideo cum comparte affinitatem contraxit, dispensatione indiget, ut licite debitum petere possit. Dispensationem concedit episcopus, qui potestatem dispensandi etiam aliis delegare potest: ex privilegio summi pontificis dispensare possunt etiam regulares. Quare confessarius coniugem, qui propter affinitatem supervenientem ius petendi amisit, aut ad confessarium regularem mittere aut sibi ab episcopo facultatem dispensandi procurare potest²⁾.

§ 11. *Publica honestas.*

117. Natura impedimenti. 1. Impedimentum *publicae honestatis* in eo consistit, quod matrimonium inter eo

¹⁾ Cf. C. Si quis 1 *De eo, qui cognovit* (IV. 13), ubi poena ei imponitur, qui *scienter* fornicatus est.

²⁾ Cf. *De sexto praecepto etc.* n. 92.

initum, qui ex sponsalibus vel ex matrimonio rato facti sunt quasi-affines, invalidum sit.

a. Impedimentum publicae honestatis ex duplici capite oritur, ex sponsalibus de futuro et ex sponsalibus de praesenti seu ex matrimonio rato.

b. Publica honestas est quaedam *propinquitas* personarum, quam contrahit is, qui sponsalia vel matrimonium init, cum consanguineis illius personae, quacum sponsalia vel matrimonium init. Vocatur *quasi-affinitas*: quemadmodum enim ex copula, quae est coniunctio corporum, oritur vera affinitas, ita ex sponsalibus et matrimonio rato, quae vi mutui consensus sunt coniunctio animorum, oritur quasi-affinitas inter sponsum vel coniugem et consanguineos alterius partis.

c. Impedimentum vocatur *publica honestas*, quia morum honestas exigit, ut inter quasi-affines matrimonium non contrahatur: ecclesiae enim inhonestum apparuit, quod matrimonium iniretur cum consanguinea eius, quacum aliquis per sponsalia de futuro vel de praesenti coniungebatur animo et factus est quasi-affinis.

2. Impedimentum, qua late patet, *iuris ecclesiastici* est, et quidem iuris publici; quare cum ab infidelibus hoc impedimentum non contrahatur, valida sunt eorum matrimonia, quae ineuntur cum consanguineis prioris sponsae.

3. Hoc impedimentum *perpetuum* est i. e. semel contractum non cessat, etsi sponsalia mutuo consensu et matrimonium ratum auctoritate ecclesiastica rite soluta essent; quare solum per dispensationem tolli potest.

4. Impedimentum hoc ortum ex matrimonio rato non consummato, sive matrimonium validum sive invalidum est, non afficit personam consanguineam, quacum ante matrimonium sponsalia contracta fuerant, quae adhuc in suo vigore manent: nam impedimentum publicae honestatis non agit retro in praeiudicium sponsalium, quae antea valide inita fuerant¹⁾.

Si ergo Titus contrahit sponsalia cum Bertha et postea ducit Claram, quae cum Bertha in tertio consanguinitatis gradu coniuncta est, Titus fit quasi-affinis cum omnibus consanguineis Clarae excepta Bertha, quacum sponsalia contraxerat. Affinitas autem orta ex copula cum Clara habita etiam Bertham afficeret.

¹⁾ C. Ex sponsalibus un. *De sponsalibus* (IV. 1) in 6°.

118. Principia. 1. Ex *sponsalibus* validis oritur impedimentum dirimens matrimonium usque ad *primum gradum*¹⁾; sponsus ergo invalide contraheret cum matre, sorore vel filia sponsae suae.

a. Etiam ex *sponsalibus occultis* oritur impedimentum publicae honestatis, ut saepius declaravit ecclesia²⁾.

b. Ex *sponsalibus invalidis* nullum oritur impedimentum, quaecunque sit causa invaliditatis.

Concilium tridentinum³⁾ aufert dispositionem iuris⁴⁾, vi cuius impedimentum hoc oriebatur etiam ex *sponsalibus invalidis*, modo invalida non fuerint ex defectu consensus.

c. Neque ex *sponsalibus conditionatis* oritur impedimentum, quia condicione nondum impleta non sunt perfecta sponsalia; condicione autem impleta transeunt in sponsalia absoluta, ex quibus eo ipso oritur etiam publica honestas, nisi interim alterutra pars voluntatem suam retractasset.

Patet haec valere de *sponsalibus condicionatis* sub condicione *suspensiva*, non item de *sponsalibus condicionatis* sub condicione *resolutiva*: haec enim perfecta sunt sponsalia, ex quibus oritur impedimentum publicae honestatis, ut si duo sibi matrimonium promittunt hac addita condicione, nisi ante initum matrimonium moriatur pater sponsae⁵⁾.

d. Ex *sponsalibus dubiis*, i. e. probabiliter validis oritur impedimentum dubium publicae honestatis; quare cum impedimentum sit iuris ecclesiastici, licet contrahere absque dispensatione.

e. Ex *sponsalibus incertis* non oritur impedimentum publicae honestatis: etenim non sunt vera sponsalia, ergo non producunt effectum verorum sponsalium.

Incerta dicuntur sponsalia, quibus matrimonium non promittitur certae et determinatae personae, ut si quis promittat se ducturum esse unam ex pluribus filiabus alicuius patris et ipsae repromittant. Si

¹⁾ *Concilium trid.* sess. 24. c. 3. De reform. matr.

²⁾ *S. Poeniten.* 10. sept. 1834. *S. Officium* 11. aug. 1852.

³⁾ Cf. sess. 24. c. 3. De reform. matr.

⁴⁾ Cf. C. Ex *sponsalibus un.* *De sponsalibus* (IV. 1) in 6°.

⁵⁾ Cf. *De Praeceptis* n. 531.

sponsalia incerta per electionem determinatae personae evadunt certa, manifesto oritur impedimentum.

119. 2. Ex *matrimonio rato* oritur impedimentum dirimens matrimonium usque ad *quartum gradum* inclusive.

In iure quidem non reperitur textus, qui statuatur ex matrimonio rato oriri impedimentum publicae honestatis, attamen unanimi consensu auctores hoc inferunt. Et sane si impedimentum publicae honestatis ex sponsalibus de futuro oritur, a fortiori ex sponsalibus de praesenti ortum habebit. Porro quia concilium tridentinum impedimentum ex sponsalibus ortum ad primum gradum restrinxit, putarunt nonnulli idem valere etiam quoad matrimonium ratum: attamen *Pius V.* declaravit quoad matrimonium ratum ius antiquum per concilium tridentinum non esse mutatum¹⁾; iure autem antiquo hoc impedimentum usque ad quartum gradum extendebatur.

a. Hoc impedimentum oritur etiam ex matrimonio *invalido*, modo invalidum non sit ex defectu consensus²⁾: in hoc enim casu deest fundamentum impedimenti scilicet coniunctio animorum.

Si ergo matrimonium invalidum est ratione erroris, condicionis, metus, raptus aut aetatis, non oritur publica honestas: quodsi invalidum est ratione cognationis, affinitatis, publicae honestatis, impotentiae, disparitatis cultus, voti, criminis vel ligaminis, oritur impedimentum publicae honestatis.

b. Num oriatur impedimentum ex matrimonio *propter clandestinitatem invalido*, controvertitur. Unde pro praxi inferendum est impedimentum esse dubium et proinde nullum.

Rationes eorum, qui impedimentum *affirmant*: α. Ex declaratione *Pii V.* ius antiquum quoad matrimonium ratum non est restrictum; sed secundum ius antiquum ex matrimonio rato, etsi invalido, oritur impedimentum publicae honestatis, modo non sit invalidum ex defectu consensus; atqui matrimonium clandestinum non est invalidum ex defectu consensus. β. Extant declarationes ss. congregationum, quae existentiam impedimenti affirmant. Rationes eorum, qui impedimentum *negant*: α. Ius antiquum statuit impedimentum oriri etiam ex matrimonio invalido, quod tamen speciem veri matrimonii habet; sed matrimonium clandestinum ne speciem quidem veri matrimonii habet. β. Insuper matrimonium clandestinum, quod non solum matrimonium

¹⁾ Constit. Pii V. *Ad romanum* 1. iul. 1568.

²⁾ *Ibid.*

nullum est, sed nec vim sponsalium habet, impedimentum produceret, quod latius patet, quam impedimentum ex veris sponsalibus ortum. Huic sententiae ex declaratione mox citanda *Leonis XIII.* grave momentum accedit: etenim si ex matrimonio civili, quod exhibet frequentiore speciem matrimonii clandestini, non oritur impedimentum, neque ex aliis matrimonii clandestini speciebus oriri videtur.

c. Ex matrimonio *civili* non oritur impedimentum publicae honestatis in iis regionibus, in quibus viget decretum tridentinum (*Tametsi*). quaecumque sit intentio contrahentium¹⁾.

§ 12. *Votum sollemne.*

120. Natura impedimenti. Impedimentum *voti* in eo consistit, quod validum matrimonium inire non possint, qui votum sollemne castitatis perfectae in ordine religioso sponte emisissent²⁾.

a. *Votum sollemne*: votum enim *simplex* castitatis perfectae in religione emissum matrimonium impedit, non dirimit. b. *In ordine religioso*: votum enim *simplex* castitatis perfectae et perpetuae in aliqua congregatione emissum pariter matrimonium non dirimit. c. *Castitatis perfectae*: votum enim sollemne castitatis non perfectae sed conjugalis tantum, quod in nonnullis ordinibus equestribus emittitur, impedimentum non constituit. d. *Sponte*: nam ut votum sollemne matrimonium dirimat, professio religiosa debet esse valida; at non est valida, si non est omnino libera, sed fraude vel metu gravi et iniusto extorta.

b. *Votum igitur sollemne castitatis in religione emissum quoad matrimonium duplicem effectum habet, solvendi matrimonium iam contractum, si nondum consummatum est, et dirimendi matrimonium futurum.*

1. Impedimentum *voti* est *iuris ecclesiastici* tantum: etenim si ipsum votum natura sua hunc effectum produceret, etiam votum *simplex*, quippe quod interna sua natura a sollemni non differat, matrimonium dirimeret; ergo illud dirimit, quatenus sollemne est; atqui sollemni-

¹⁾ S. C. C. 13. mart. 1879, quod *Leo XIII.* 17. mart. approbavit.

²⁾ C. Quod votum un. *De voto et voti red.* (III. 15) 6°. *Concilium trid.* sess. 24. can. 9. De sacr. matrim.

tatem habet votum ab ecclesia; ergo etiam vim dirimendi matrimonium ab ecclesia habet.

Hinc sequitur summum pontificem eos, qui sollemnem professionem emiserint, ad matrimonium ineundum *dispensare* posse; quae quidem dispensatio, etsi raro et difficile concedatur, a summis pontificibus tum quandoque antea, tum nuper iterum a Leone XIII. concessa est¹⁾.

2. Duplex est *votum*, quod, etsi *simplex*, tamen futurum matrimonium dirimit: *a.* Vota simplicia scholasticorum et coadiutorum societatis Iesu, quae ex speciali privilegio futurum matrimonium dirimunt, nisi generalis dispensaverit²⁾; *b.* Votum castitatis perfectae, quod ex iure emitte tenetur uxor, cuius maritus cum ipsius consensu ordinem sacrum suscipit, nisi uxor ordinem religiosum inire cogatur. Hinc etiam defuncto marito sacris initiato validum matrimonium inire nequit.

§ 13. Ordo sacer.

121. Natura impedimenti. Impedimentum *ordinis* in eo consistit, quod matrimonium validum inire non possit, qui ordinem sacrum (subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus) suscepit³⁾.

Ordo sacer matrimonium antea contractum non dirimit, sed solum eius usum impedit.

1. Utrum ordo sacer vim dirimendi matrimonium habeat solum *ratione voti sollemnis* castitatis, quod in ecclesia latina ordini sacro annexum est, an etiam *ratione ipsius ordinis*, non satis constat.

a. In ecclesia graeca, in qua non emittitur votum castitatis in ordinationibus sacris, clericis in sacris iam constitutis non licet uxorem ducere. Iam vero utrum matrimonium, quod a clerico graeco in sacris constituto contra prohibitionem ecclesiae contrahitur, solum illicitum, an etiam invalidum sit, est quaestio inter theologos controversa. Et licet ex documentis ecclesiasticis valde probabile appareat, eiusmodi

¹⁾ *S. Officium* 20. febr. 1888.

²⁾ Constitutio *Ascendente Domino* Gregorii XIII. 25. maii 1584; const. *Dolentes* Leonis XIII. 13. Jul. 1886.

³⁾ *Concilium trid.* sess. 24. can. 9. De sacr. matrim.

matrimonium invalidum esse, ideoque ipsum ordinem sacrum per se solum habere vim dirimendi matrimonii, lis tamen nondum est omnino diremta¹⁾. Hoc autem certum est, si subdiaconus votum non emisisset solum ordinem ex lege ecclesiae sufficere ad impedimentum dirimens constituendum.

b. Sunt qui dicant votum sollemne in ordine religioso et in suscipiendo ordine sacro emissum unum esse impedimentum²⁾; verum communiter auctores tenent *diversa esse impedimenta*, quia utriusque impedimenti diversa est ratio et diversus effectus³⁾.

2. Hoc impedimentum est *iuris ecclesiastici*; et licet non sit omnino indispensabile, valde tamen difficile conceditur dispensatio, adeo ut non constet sacerdoti unquam concessam esse hanc dispensationem ad contrahendum (sed solum ad convalidandum) matrimonium.

3. Ex constitutione *Apostolicae sedis* (III. 1) excommunicationem ordinariis reservatam incurrunt: *a.* clerici in sacris constituti, regulares et moniales, qui post votum sollemne castitatis matrimonium contrahunt: *b.* omnes, qui cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahunt, etiam solum *civile*⁴⁾.

§ 14. Crimen.

122. Natura impedimenti. 1. *Crimen*, quod matrimonium dirimit, consistit in *iniuria*, quam ambo, qui matrimonium inire intendunt, matrimonio unius illorum iam existenti inferunt. Reipsa impedimentum criminis tria impedimenta continet inter se diversa:

a. Primum contrahitur, quando duo conspirant in occisionem coniugis alterutrius cum intentione ineundi inter se matrimonium⁵⁾.

¹⁾ Cf. *Ballerini-Palmieri* VI. 1143. in nota.

²⁾ *Lehmkuhl* Th. mor. II. n. 749.

³⁾ Cf. *Matharan* n. 251.

⁴⁾ *S. Officium* 22. dec. 1880.

⁵⁾ Caius cum Bertha coniugatus conspirat cum Semproniam ad occidendam Bertham, ut Semproniam ducat.

b. Secundum contrahitur, quando duo committunt adulterium et deinde alteruter occidit coniugem ea intentione, ut cum complice adultero ineat matrimonium¹⁾.

c. Tertium contrahitur, quando duo committunt adulterium cum promissione post mortem coniugis alterutrius ineundi matrimonium; ergo nec ex solo adulterio nec ex sola promissione matrimonii oritur impedimentum, sed utrumque simul concurrere debet ad illud producendum²⁾.

Impedimentum criminis ergo contrahitur in triplici casu: *a.* ob solum homicidium; *b.* ob homicidium cum adulterio; *c.* ob solum adulterium cum promissione matrimonii. Triplex hoc impedimentum, denominatione sumpta a solo homicidio, etiam in hunc modum exhiberi solet, ut dicatur, illud contrahi ob crimen *a. utroque patrans*; *b. uno patrans*; *c. neutro patrans*.

2. Tria haec impedimenta sunt *iuris ecclesiastici*³⁾. Ecclesia autem statuens haec impedimenta intendit: *a. consulere fidei coniugali et vitae coniugum*: adempta enim omni spe matrimonio contrahendi cum complice sive occisionis sive adulterii, simul praeripit ansam committendi haec crimina; *b. punire coniuges* ob crimen commissum, quo iniuria infertur matrimonio et coniugi innocenti.

3. Ab his ergo impedimentis ecclesia *dispensare potest*; at non in omnibus dispensat. Si nempe impedimentum oritur *ex adulterio* cum promissione matrimonii, existente causa canonica dispensat; si impedimentum oritur *ex homicidio* sive ab utraque sive ab alterutra parte patrans et homicidium *occultum est*, raro et solum ex urgentissima causa dispensat; quodsi homicidium *publicum est*, non dispensat „ob scandali enormitatem“⁴⁾.

¹⁾ Caius cum Bertha coniugatus adulterium committit cum Sempronia et deinde interficit Bertham, ut Semproniam ducat.

²⁾ Caius cum Bertha coniugatus adulterium committit cum Sempronia (sive soluta sive coniugata) eique matrimonium promittit post mortem Berthae ineundum.

³⁾ CC. 2—7 *De eo, qui duxit* (IV. 7). C. Laudabilem 1 *De convers. infid.* (III. 33).

⁴⁾ Cf. *Gasparri* I. n. 653 ss.

123. *Num incurrant hoc impedimentum, qui illud ignorant.*

Sententia probabilis est, hoc impedimentum non incurri ab iis, qui ignorant illis criminibus dirimi matrimonium: nam magni nominis canonistae et praesertim complures moralistae affirmant, hoc impedimentum principaliter habere rationem poenae vindicativae et quidem extraordinariae; ignorantia autem ab incurrenda poena extraordinaria excusat¹⁾.

a. Cum hoc impedimentum non solum occultum, sed fidelibus plerumque etiam ignotum sit, saepius accidit, ut contracto demum matrimonio detegatur. Ideo sententia negans, quae vere probabilis est, aliquando usui esse potest. Quodsi de eiusmodi impedimento ante matrimonium constat, melius est, ut dispensatio petatur, nisi urgeat necessitas celebrandi statim matrimonii, ut dubia de valore matrimonii, quantum fieri potest, excludantur.

b. Duo prohibent, quominus sententia negans possit dici certa: *α.* imprimis omnino certum non est, poenas vindicativas etiam extraordinarias non incurri ab iis, qui solum poenam ignorant, sciunt autem actum peccaminosum prohibitum esse etiam lege ecclesiastica; *β.* deinde non constat hoc impedimentum aut unice aut saltem principaliter habere rationem poenae: sunt enim, qui contendunt illud aut omnino non habere aut solum secundo habere rationem poenae, principaliter autem habere rationem inhabilitatis, quam etiam ignorantes contrahunt: siquidem ecclesia hoc impedimentum primario non statuit, ut delinquentes puniat, sed ut fidei coniugali prospiciat et coniugicia impediatur.

124. *Ut ex solo homicidio seu ex crimine utroque patrante oriatur impedimentum, haec tria requiruntur:*

1. *Mutua conspiratio* in occisionem coniugis alterutrius ipsorum. Habetur autem conspiratio tum in casu cooperationis etiam remotae, sive physicae e. g. dato veneno sive moralis e. g. corrupendo medicum, ne mortem arceat, tum in casu inductionis, qua una pars alteram consilio, precibus aut solo consensu ad necem movet.

Si ergo alteruter tantum machinatur mortem coniugis, inscia altera parte, neque inter eos intercessit adulterium, non contrahitur

¹⁾ Sententia negans confirmatur decreto *S. C. de prop. fide* 14. ian. 1844.

impedimentum, etsi pars ignara postea mortem coniugis approbaverit. Pariter non contrahitur, si una pars occisioni quidem consenserit, quin tamen consensus alterum ad occisionem ullatenus moverit.

2. Ut mutua conspiratio in occisionem coniugis fiat saltem ab una parte *ex intentione ineundi matrimonii* cum complice homicidii, hac intentione alteri parti manifestata.

Si ergo occisio fieret non ex intentione contrahendi matrimonii cum persona complice, sed ex alio motivo e. g. vindictae vel liberius peccandi cum persona complice, non adest impedimentum, quippe quod a iure statutum est, ne desiderio alieni matrimonii coniuges occidantur.

3. *Mors realiter secuta ex actione physica vel morali alterutrius compliceis, non ex alia causa.*

Ergo non sufficit homicidium attentatum, sed requiritur realis occisio, sive complices criminis per se sive per alium occisionem exequantur.

125. Ut ex homicidio cum adulterio seu ex crimine uno *patrante* oriatur impedimentum, haec tria requiruntur:

1. *Adulterium* verum, ex utraque parte formale, perfectum, ante homicidium actuale commissum.

a. *Verum*, quod supponit validum matrimonium saltem ex parte unius adulteri; ergo non contrahitur impedimentum, si complex adulterii putat alteram partem esse coniugatam, cum non sit; vel si altera pars passim habetur coniugata, cum tamen non sit, quia e. g. eius matrimonium propter occultum impedimentum est invalidum.

b. Ut ex utraque parte *formale* sit adulterium, requiritur, ut notus sit status coniugalis illius, quocum committitur adulterium; si ergo adulterorum unus tantum est coniugatus, requiritur, ut solutus sciat se peccare cum coniugato, et si ambo adulteri coniugati sunt, non sufficit, ut uterque sciat se esse coniugatam, sed requiritur, ut alteruter sciat complicem adulterii esse coniugatam. Scilicet ut adulterium formale committatur, sufficit quidem, ut adulter sciat se vel complicem esse coniugatam, sed ad inducendum impedimentum criminis non sufficit, ut uterque sciat se esse coniugatam, quia ab utroque adultero eidem matrimonio inferri debet iniuria.

c. *Perfectum*, i. e. de se aptum ad generandam prolem; ceterum si copula reipsa intercessit, praesumitur perfecta, nisi de contrario constet.

d. *Ante homicidium* actuale commissum. Si adulterium praecesserunt solum machinationes coniugicidii, contrahitur impedimentum; quodsi mors ipsa coniugis praecedat, non contrahitur, quia post mortem coniugis iam non amplius committitur adulterium.

2. *Homicidium* ab una parte patratum, etsi in scia vel etiam invita altera parte, *cum intentione ineundi matrimonii* cum complice adulterii; ergo non requiritur, ut ambo conspirarent in occisionem, sed sufficit, ut alteruter per se vel per alium eam peragat.

Ergo nec intentio homicidii patranda nec intentio homicidii patranda ad ineundum matrimonium alteri parti manifestari debet, sed intentio ineundi cum ipsa matrimonii alteri parti nota sit oportet.

3. *Mors coniugis realiter secuta.*

126. Ut ex solo adulterio cum promissione matrimonii seu ex crimine *neutro patrante* oriatur impedimentum haec requiruntur:

1. *Adulterium* verum, ex utraque parte formale et perfectum ut supra explicatum est.

2. *Promissio matrimonii* post mortem coniugis cum adultero ineundi *vera* (non sufficit *ficta*, *absoluta* (non sufficit *condicionata*) et *mutua* i. e. ex una parte facta et ex altera acceptata cum repromissione.

a. *Post mortem coniugis* ineundi: etenim si promittitur matrimonium ineundum altero coniuge adhuc vivente, non contrahitur impedimentum, quia deest ratio impedimenti, quae est, ne promissio det ansam captandae mortis coniugis.

b. Si *promissio* matrimonii *revocatur* ante adulterium commissum, nullum oritur impedimentum; quodsi *revocatur* post adulterium commissum, non cessat impedimentum iam contractum.

c. *Matrimonium attentatum* vel *matrimonium civile* locum tenet promissionis. Si quis ergo post initum validum matrimonium divorcium civile assequitur et deinde novum matrimonium civile contrahit illudque vivente priore coniuge consummat, contrahit impedimentum criminis; quare mortua priore coniuge non potest sine dispensatione matrimonium inire cum coniuge civili, nisi haec prius matrimonium ignoraverit.

d. Cum sententia, quae docet incurri impedimentum ex adulterio cum promissione ab altera parte acceptata, sed *absque repromissione*, solum probabilis sit, impedimentum exinde ortum non est nisi impedimentum dubium, impedimentum autem dubium impedimentum nullum.

3. Adulterium et promissio fieri debent *durante eodem coniugio*: nam ut oriatur impedimentum, tota iniuria uni eidemque coniugio inferri debet. Nihil autem refert, utrum

promissio praecedat an comitetur vel sequatur adulterium, et pariter nihil refert, quanto tempore ab invicem distent adulterium et promissio, modo durante eodem coniugio facta sint.

Si Caius matrimonium promittit Berthae vivente sua coniuge Anna, et hac mortua ducit Semproniam, qua vivente adulterium committit cum Bertha, nullum contrahitur impedimentum.

127. Impedimentum criminis multiplicari potest tum ratione delicti tum ratione matrimonii.

a. Si impedimentum oritur ex *solo homicidio*, duplex habetur impedimentum, quando ambo conspirantes coniugati sunt et utriusque coniux ab eis occiditur.

b. Si impedimentum oritur ex *homicidio cum adulterio*, duplex habetur impedimentum, quando ambo adulteri coniugati sunt et uterque coniugem suum occidit.

c. Si impedimentum oritur ex *solo adulterio*, duplex habetur impedimentum: α. quando ambo adulteri coniugati sunt et ambo hanc circumstantiam cognoscunt; β. si Caius cum Bertha coniugatus Semproniam adulterat eique matrimonium promittit, dein mortua Bertha Annam ducit et durante hoc matrimonio Semproniam cum promissione matrimonii iterum cognoscit.

§ 15. *Disparitas cultus.*

128. Natura impedimenti. Impedimentum *disparitatis cultus* in eo consistit, quod inter baptizatum et non baptizatum matrimonium validum iniri non possit.

Disparitas cultus inter coniuges dicitur *perfecta*, si una pars baptizata, altera non baptizata est, et dicitur *imperfecta*, si una pars catholica, altera acatholica seu haeretica vel schismatica est. Illa proprio et stricto sensu *disparitas cultus*, haec proprio nomine *mixta religio* vocatur.

1. Hoc impedimentum, quatenus *dirimens* est, est *iuris ecclesiastici*: etsi enim testimonium iuris hoc impedimentum statuentis non extet, longo tamen usu ecclesiae, qui vim legis obtinuit, certum est *disparitatem cultus* matrimonium dirimere¹⁾.

¹⁾ Cf. constit. Benedicti XIV. *Singulari nobis* (9. febr. 1749) n. 10. Ineunte saeculo 13. *disparitas cultus* iam est impedimentum matrimonii dirimens.

a. Statutum est hoc impedimentum, ne ex arcta familiaritate cum infidelibus fidelis una cum prole *periculum amittendae fidei* subeat; deinde etiam ne matrimonium, quod inter baptizatos sacramentum est, contrahatur a baptizato cum non baptizato.

b. Hoc impedimentum *afficit etiam haereticos et apostatas, quippe* qui per baptismum subiiciantur ecclesiae eiusque legibus teneantur. Hinc si haereticus ducit iudaeam vel apostata mahomedanam, matrimonium invalidum est.

c. Ecclesia ergo in hoc impedimento *dispensare potest*, et in regionibus quidem infidelium ex causa urgenti facilius dispensat, in nostris autem regionibus valde difficile conceditur dispensatio, et multo difficilius, si agitur de matrimonio christiani cum iudaeo. Quodsi ecclesia ex gravi causa in hoc impedimento dispensat, id solum fit *sub iisdem condicionibus, sub quibus matrimonia mixta permittuntur*.

d. *Ad convalidandum matrimonium* propter impedimentum disparitatis cultus invalidum facilius conceditur dispensatio. Sic episcopis americanis concessa est facultas convalidandi per sanationem in radice etiam matrimonia propter disparitatem cultus invalida; solum si agitur de matrimonio inito cum iudaeo, in singulis casibus expositis accurate omnibus adiunctis recurrere debent ad s. sedem.

2. Hoc impedimentum, quatenus *prohibens* est, est *iuris naturalis et divini*: ratio *primi* est perversionis periculum, quod tum coniugi fideli tum proli futurae imminet; ratio *secundi* est prohibitio, quae in s. scripturis habetur: *nolite iugum ducere cum infidelibus*¹⁾ i. e. nolite coniugium inire cum infidelibus.

Ergo etiam graviter illicitum est matrimonium inter baptizatum et non baptizatum, quod tum solum licitum fieri potest, si proximum perversionis periculum fiat remotum, et si gravis causa existat petendi et concedendi dispensationem ab hoc impedimento.

129. *Num validum sit matrimonium, si de baptismo unius vel utriusque partis grave dubium oritur.* — Quaestio haec etiam ad matrimonia mixta refertur. Porro ex compluribus decretis et declarationibus s. *Officii*²⁾ dicendum est:

a. *Baptismus dubius*, sive dubitatur num collatus fuerit sive num valide collatus fuerit, in ordine ad matrimonium

¹⁾ II. Cor. 6, 14.

²⁾ S. *Officium* 17. nov. 1830; 7. iul. 1880; 9. sept. 1868; 18. sept. 1872; 18. sept. 1890.

tum contrahendum tum contractum *ex praesumptione pro valido* habetur: et solum si certo constat baptismum aut non collatum aut invalide collatum fuisse, adest impedimentum disparitatis cultus.

b. Si baptismus dubius, qui validus praesumitur, *re ipsa nullus est*, plerique censent matrimonium esse validum, quia ecclesia in impedimento disparitatis cultus dispensat.

c. Si baptismus dubius, qui praesumitur validus, postea *certo detegatur nullus*, recurrendum est ad *s. sedem*, quae praescribet. quid faciendum sit.

Ut sciatur, quando valor baptismi rite praesumi possit, *s. Officium* haec statuit:

α. Quoad haereticos, quorum ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis.

β. Quoad alios, qui iuxta ritualia sua valide baptizant, validum censendum est baptisma, nec requiritur ulterius examen in casibus particularibus.

γ. Quodsi dubium persistat, etiam in primo casu, censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii. Unde colligitur principium generale, quod *s. sedes* in hac re tenet: *baptismus dubius in ordine ad matrimonium contrahendum vel iam contractum haberi debet ut validus.*

Quaestio quinta.

De dispensationibus matrimonialibus¹⁾.

Articulus primus.

De potestate dispensandi.

Dicendum est: *a.* de potestate episcopi in impedimentis impediens; *b.* de potestate quasi-ordinaria epi-

¹⁾ *Zitelli*, De dispensationibus matrimonialibus (Romae. 1887), *Ballerini-Palmieri* VI. De dispensationibus p. 734 ss.

scopi dispensandi in impedimentis dirimentibus; *c.* de potestate delegata episcopi; *d.* de potestate summi pontificis.

130. De potestate episcopi. 1. *Quoad impedimenta impedientia.* Episcopus *potestate ordinaria* dispensare potest: α . a proclamationibus bannorum; β . in votis non reservatis; γ . in votis reservatis antequam matrimonium contractum, si non potest recurri ad summum pontificem et periculum est in mora; δ . in voto reservato perfectae castitatis unius coniugis post initum et consummatum vel etiam ante consummatum matrimonium emisso in ordine ad petendum debitum; ϵ . in voto reservato perfectae castitatis ante matrimonium emisso post contractum matrimonium ad petendum debitum, cum periculum sit in mora.

a. Impedimenta impedientia *reservata s. sedi* sunt: impedimentum ortum α . ex sponsalibus; β . ex voto perpetuae castitatis, tum si ante matrimonium emissum est, tum si post matrimonium initum ambo coniuges mutuo consensu illud emiserunt; γ . ex voto ingrediendi religionem; δ . ex mixta religione.

b. Cum regulares dispensare possint in omnibus votis, in quibus episcopi iure ordinario dispensant, in his votis etiam *confessarii regulares*, quibus regulae ordinis id permittunt, dispensare possunt¹⁾

2. Potestas dispensandi *in matrimoniis mixtis* olim soli romano pontifici reservata erat, hodie vero haec potestas speciali indulto conceditur etiam episcopis, praesertim in locis missionum et in America septentrionali.

131. 2. In impedimentis dirimentibus episcopus dispensare potest 1. *potestate ordinaria*:

a. In impedimentis *occultis in casu urgentis necessitatis*, ubi nempe nec matrimonium sine gravi incommodo (scandalum, infamia) differri nec dispensatio a summo pontifice peti possit ut in periculo mortis vel in casu perplexo, *quando omnia parata sunt*.

a. Etsi haec doctrina non fuerit unquam a sancta sede explicite approbata, tamen fere unanimi consensu ab auctoribus cum *s. Alphonso* n. 613. traditur, quare in praxi tuto adhiberi potest, quia praesumen-

¹⁾ Cf. *De praeceptis* n. 237; n. 239. .

us est consensus summi pontificis ad evitandum scandalum et infamiam.

β. Non desunt auctores (*Gennari, Goussel*), qui in casu gravissimae necessitatis episcopo concedunt potestatem dispensandi vel declarandi legem in hoc casu cessare, etiam si impedimentum sit natura sua vel materialiter publicum, sed *facto vel formaliter occultum*. Quo in casu postea omnino petenda est dispensatio, ut in foro externo de dispensatione constet, si impedimentum facto evadat publicum¹⁾.

b. In impedimentis *occultis, quae contracto demum matrimonio deteguntur*, quia periculum est in mora, cum coniuges nec sine scandalo vel infamia separari nec sine periculo peccati cohabitare possint.

Ut episcopus hac facultate uti possit, requiritur: α. ut matrimonium coram ecclesia; β. ut bona fide saltem ex parte unius coniugis celebratum; γ. ut consummatum fuerit; δ. ut impedimentum nec facto nec natura sua sit publicum; ε. ut dispensabile sit, in quo nempe ecclesia soleat dispensare²⁾.

c. In impedimentis *dubiis dubio facti*: etenim si impedimentum dubium est dubio *iuris*, declarat episcopus matrimonium tuto celebrari posse; si autem dubium est dubio facti, in cautelam dispensare solet.

132. d. In omnibus *impedimentis dirimentibus etiam publicis* iuris ecclesiastici (duobus exceptis) idque cum iis, qui in matrimonio civili vel alias in concubinato vivunt, si unus eorum in mortis periculo versatur *ut morituri in facie ecclesiae rite copulari et propriae conscientiae consulere possint*³⁾.

a. Hae condiciones requiruntur, ut episcopus (vel parochus) hac facultate uti possit: α. ut aegrotus in matrimonio civili vel in concubinato vivat; β. ut propter mortis periculum quod pru-

¹⁾ Cf. *Monitore eccles.* XII. (1900) p. 16 ss.

²⁾ *Benedictus XIV.* De synodo l. 9. c. 2. n. 1.

³⁾ Amplissimam hanc potestatem episcopis concessit *Leo XIII.* per decretum *s. Officii* 20. febr. 1888 nempe „dispensandi sive per se sive per ecclesiasticam personam sibi bene visam aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad s. sedem, super impedimentis quantumvis publicis matrimonium ecclesiastico iure dirimentibus excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.“

denti iudicio iam imminere censetur, non suppetat tempus recurrendi ad s. sedem vel ad ordinarium, i. e. si intra tres hebdomadas vel (ubi agitur de episcopo) si intra hebdomadam mors timeatur.

b. Hanc facultatem episcopi *habitualiter*, i. e. pro omnibus casibus occurrentibus delegare possunt, sed solis parochis non aliis, modo desit tempus ad ordinarios recurrendi¹⁾; in particulari casu autem etiam aliis sacerdotibus eam delegare possunt. Immo petentibus episcopis conceditur facultas (ut concessa est episcopis Wratislaviensi et Coloniensi) hanc potestatem *habitualiter* et modo generali etiam parochorum cooperantibus et aliis idoneis sacerdotibus delegandi, modo periculum sit in mora et desit tempus recurrendi ad ordinarium vel parochum. Sed quamvis parochus habeat potestatem universalem, *subdelegare* tamen non potest, quia habens potestatem subdelegatam ex principiis iuris subdelegare nequit.

c. In hac facultate α. impedimenta impediunt e. g. mixtae religionis non comprehenduntur²⁾; β. facultas solum pro iis moribundis conceditur, qui matrimonium civile contraxerunt aut alias in concubinato vivunt³⁾; γ. pro his autem valet, etiamsi non aegrotet persona, quae impedimento afficitur⁴⁾; δ. quando vi huius facultatis in impedimento disparitatis cultus dispensatur, solitae cautiones etiam in articulo mortis exigendae sunt⁵⁾.

d. Complures dubitarunt, an in hac concessione contineatur etiam potestas dispensandi *in impedimento clandestinitatis*, cum in decreto concessionis haec verba habeantur: „ut morituri *in facie ecclesiae* rite copulari possint“, illi autem qui dispensantur in impedimento clandestinitatis non copulentur in facie ecclesiae. Nunc vero certum est hanc quoque concessam esse facultatem. Potest ergo „parochus ab episcopo habitualiter delegatus in sua parochia vel coniungere non suos sed extraneos inibi casu existentes, dispensando a praesentia parochi proprii, ad quem nullimode valeat haberi recursus; vel etiam coniungere suos sed sine testibus pariter

¹⁾ *S. Officium* 9. ian. 1889.

²⁾ *S. Officium* 18. mart. 1891.

³⁾ *S. Officium* 22. sept. 1890; 3. maii 1899 s. *Officium* iterum declaravit, vi huius facultatis dispensari non posse cum aegrotis in articulo mortis constitutis, qui actu non vivunt in concubinato, etsi in eo vixerant et nunc matrimonium contrahere desiderant ad legitimandam prolem.

⁴⁾ *S. Officium* 1. iul. 1891.

⁵⁾ *S. Officium* 18. mart. 1891.

dispensando ab eorum praesentia, cum omnino non sint, qui testium munere fungi possint¹⁾).

e. In hac facultate continetur etiam potestas declarandi legitimam prolem a concubinariis forte susceptam, excepta prole adulterina et prole proveniente a personis ordine sacro vel sollemni professione religiosa ligatis, ita ut necesse non sit pro legitimatione prolis novam gratiam s. sedis impetrare²⁾).

f. Si dispensandum sit cum iis, qui sacro subdiaconatus aut diaconatus ordine sint insigniti vel sollemnem professionem religiosam emisissent atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convalescerint, ordinarii de impertita dispensatione supremam sacri Officii congregationem certiore faciant, et interim omni ope curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliore modo, quo fieri possit, removeatur, tum inducendo eos, ut in loca se conferant, ubi eorum condicio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum, si id obtineri nequeat, eis saltem iniungendo spiritualia exercitia aliasque salutares poenitentias atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum³⁾).

2. *Potestate delegata* dispensare potest in iis *impedimentis* sive *dirimentibus* sive *impedientibus*, pro quibus specialem *delegationem accepit* per facultates, quae quinquennales aut triennales aut annuales dicuntur.

Vi huius potestatis delegatae ex declaratione s. sedis episcopus solum in *impedimentis stricte occultis* dispensare potest, non item publicis, etsi urgentissima sit necessitas⁴⁾).

133. De usu harum facultatum notetur: a. Si contrahentes sunt *diversae dioecesis* et α . impedimentum est unius contrahentis *personale* ut impedimentum voti, contrahens a proprio episcopo dispensari debet; hinc si ambo eiusmodi impedimento constringuntur, a suo quisque episcopo dispensari debet; quodsi β . impedimentum est utriusque *commune* ut consanguinitas, affinitas, utriusque epi-

¹⁾ *S. Officium* 13. dec. 1899.

²⁾ *S. Officium* 8. iul. 1903.

³⁾ Ex decreto concessionis.

⁴⁾ De interpretatione harum facultatum conferatur *Konings-Putzer*, *Commentarius in facultates apostolicas*⁵ (Neo-Eborac. 1898). *De Becker* l. c. p. 290 ss. *Feje* l. c. n. 614 ss.

scopus dispensare potest: sublato enim impedimento ex una parte, etiam altera pars libera evadit. Convenit autem, ut dispensatio petatur ab episcopo, in cuius dioecesi matrimonium contrahitur.

b. Qui facultatem habet dispensandi in impedimentis matrimonii, non eo ipso etiam facultatem habet *cumulandi dispensationes* i. e. utendi pluribus simul facultatibus in eodem casu, nisi id expresse concessum fuerit¹⁾.

Prohibitio tamen cumulandi solum refertur: *α.* ad impedimenta dirimentia eaque publica et *β.* ad casum, quo impedimentum dirimens concurrat cum impediente, cuius dispensatio reservatur s. sedi²⁾; at non se extendit ad impedimenta occulta propter periculum violandi sigillum³⁾: quare etiam sine facultate cumulandi dispensari potest, si aut plura impedimenta occulta aut unum publicum et alterum occultum concurrunt.

c. Episcopus in dispensationibus concedendis sequi debet praxim sanctae sedis circa causas dispensationum⁴⁾.

134. De impedimento publico et occulto. Distinctio in impedimenta publica et occulta in praesenti materia maximi momenti est.

a. *Publicum* dicitur impedimentum, quod iam ita innotuit, ut amplius celari non possit. Alia impedimenta sunt *natura sua publica* ut consanguinitas, affinitas ex copula licita, publica honestas, cognatio spiritualis, quae quidem in ordine ad matrimonium contrahendum publica habentur, etsi de facto occulta sint. Alia sunt *natura sua occulta*, quia oriuntur ex actione (plerumque peccaminosa), quae clam fieri solet ut affinitas ex copula illicita, crimen, publica honestas ex sponsalibus privatis et *fiunt publica*, si tot personis iam innotuerunt, ut celari non possint.

b. *Occultum* dicitur impedimentum, quod natura sua et facto occultum est. Dupliciter potest esse occultum: *omnino occultum*, quod (praeter nupturientes et confessarium)

¹⁾ S. *Officium* 18. maii 1869; 2. iul. 1884.

²⁾ S. *Officium* 18. aug. 1897.

³⁾ S. *Officium* 18. aug. 1897.

⁴⁾ S. C. *de prop. fide* 9. maii 1877.

nemo cognoscit, adeo ut ne per duos quidem testes probari possit; et *simpliciter occultum*, quod adhuc celari potest, quamvis aliquibus personis iam notum sit.

Quot personis notum esse possit, ut adhuc occultum censeatur, prudentis iudicis arbitrio relinquendum est. Ordinarie adhuc occultum censeatur impedimentum, quod in pago tribus, in oppido sex, in civitate octo personis prudentibus et taciturnis innotuit.

Impedimentum *consanguinitatis* et *cognitionis* spiritualis, quae natura sua publica sunt, occulta esse possunt, si oriuntur ex crimine. α. Sic si Caius ducere intendit Bertham, quae a matre sua audiverat, se patrem habere Caii avunculum, inter Caium et Bertham intercedit impedimentum occultum consanguinitatis in secundo gradu. β. Sic si Titius ducere intendit Semproniam, quae ex sacro fonte susceperat amicae suae filiam Annam, cuius naturalis pater est Titius, inter Titium et Semproniam intercedit impedimentum occultum cognitionis spiritualis, quae est inter levantem levatique patrem.

c. Impedimentum potest esse *materialiter publicum* et *formaliter occultum*, si factum sciatur, sed ignoretur hoc factum inducere impedimentum, ut si factum, quod impedimentum inducit, ex parte, non autem secundum omnia elementa, quae ad impedimentum constituendum requirantur, notum sit. Eiusmodi impedimentum tamquam occultum consideratur.

Caius e. g. cum Sempronia vidua, quam ducere intendit, vivente marito adulterium commisit eique matrimonium promisit; utrumque hoc factum notum est, at ignotum est Semproniam eo tempore matrimonio iunctam fuisse.

Nota. Ubi agitur de contrahendo matrimonio, omnia impedimenta habentur publica his tribus exceptis: *a.* affinitate ex copula illicita; *b.* crimine; *c.* publica honestate ex sponsalibus, dummodo haec impedimenta facto occulta sint.

135. De potestate summi pontificis. Summus pontifex iure ordinario dispensare potest in omnibus impedimentis iuris ecclesiastici. In impedimentis iuris divini declarare potest ea in certis adiunctis non obligare, at proprie dispensare non potest.

Non tamen in omnibus impedimentis iuris ecclesiastici reipsa dispensat.

a. Duo sunt impedimenta, in quibus nunquam dispensat: affinitas ex copula licita in primo gradu lineae rectae; ordo presbyteratus ad ineundum matrimonium.

b. Septem sunt impedimenta, in quibus rarissime dispensat, praesertim si agitur de ineundo matrimonio: coniugicidium publicum, raptus, aetas, votum sollemne, ordo subdiaconatus et diaconatus, cultus disparitas in regionibus fidelium, clandestinitas.

c. Tria sunt impedimenta, in quibus raro dispensat: consanguinitas in linea collateralis tangente primum gradum, affinitas ex copula illicita in primo gradu lineae rectae, cognatio spiritualis inter levantem et levatum.

136. Tribunalia, per quae dispensat. Summus pontifex ordinarie dispensat per *datariam*, per *poenitentiarium* et per *congregationem de propaganda fide*.

Ordinarie: nam super impedimento mixtae religionis et disparitatis cultus et quandoque etiam super impedimentis ortis ex delicto publico dispensat *s. Officium*.

1. *Dataria* dispensat pro *foro externo* (et interno simul), atque ideo in impedimentis actu *publicis* aut quae publica futura esse praevidentur, etsi natura sua occulta sint; deinde in iis, quae natura sua publica sunt, etsi per accidens occulta manserint.

2. *Poenitentaria* dispensat: *a.* pro solo *foro interno* atque ideo in impedimentis, quae natura sua et actu *occulta* sunt, deinde in impedimentis, quae natura sua quidem publica, actu tamen occulta sunt:

b. pro pauperibus, de quorum paupertate constat ex litteris testimonialibus ordinarii, *tum pro foro externo tum pro foro interno*, atque ideo in impedimentis tum publicis tum occultis.

3. *S. Congregatio de prop. fide* dispensat pro regionibus missionum sibi subditis; attamen illarum regionum incolae pro impedimentis occultis etiam ad *s. poenitentiarium* recurrere possunt.

4. Si cum impedimento *publico* concurrat impedimentum *occultum* et oratores in rei manifestationem consentiunt, dispensatio petitur a *dataria* pro foro externo; quod si oratores in rei manifestationem non consentiunt, dis-

pensatio ab impedimento publico petitur a dataria, dispensatio autem ab impedimento occulto a poenitentiaria. In libello supplici tamen, quod porrigitur poenitentiariae, facienda est mentio impedimenti publici, a quo iam petita vel petenda est dispensatio a dataria: unum enim tribunal integram causam cognoscere debet.

Articulus secundus.

De causis dispensandi¹⁾.

137. Declarationes. 1. Ut dispensatio *valida* sit, *iusta dispensandi causa* requiritur, non solum ubi dispensatio vi potestatis vicariae ab episcopo vel alio iudice delegato, sed etiam ubi vi potestatis propriae a summo pontifice conceditur, quia sine causa illicite dispensare non vult. In omnibus ergo dispensationibus subintelligitur condicio, *si preces veritate nitantur*, et nulla est dispensatio, si nulla sit causa motiva dispensandi²⁾.

2. Ut iusta habeatur dispensandi causa, ex concilio tridentino causa *gravis et proportionata* requiritur³⁾, i. e. eo gravior, quo gravior est impedimentum, a quo petitur dispensatio. Hinc fieri potest, ut causa aliqua sufficiat quidem ad obtinendam dispensationem ab impedimento minus gravi et facilius dispensabili, at non sufficiat ad eam obtinendam in impedimento graviore et difficilius dispensabili.

3. Praeter divisionem causarum dispensandi, quae omnibus dispensationibus communis est, scilicet in causas

¹⁾ Cf. *Formulae apostolicae Datariae* pro matrimonialibus dispensationibus (Romae. Typographia augustiniiana. 1901). *Praxis apostolicarum dispensationum* super impedimentis matrimonii (Romae. Typogr. augustiniiana. 1902). Libelli in hac re summi momenti sunt, quia ex eis discitur, quomodo supplices libelli exarandi sint.

²⁾ *Concilium trid.* sess. 24. c. 5. De ref. matr.

³⁾ *Concilium trid.* *ibid.*

motivas seu finales et impulsivas¹⁾, hoc loco notanda est divisio:

a. In causas *infamantes* (*famosas, turpes*), quae originem habent ex oratorum delicto vel in eorum infamatione consistunt, et in causas *honestas*, quae nec delictum neque infamationem continent. Quoad concessionem dispensationis graviores sunt causae infamantes quam honestae.

b. In causas *canonicas* et *non-canonicas*. *Canonicae* vocantur, quae ex stilo curiae romanae tamquam admissae pro dispensationibus matrimonialibus expresse referuntur; *non canonicae* vocantur omnes aliae, quae inter causas ex stilo curiae romanae admissas expresse non referuntur.

Etiam causas non-canonicas in dispensationibus matrimonialibus admitti certum est; immo quandoque ex solis causis non-canonicis dispensatio conceditur.

138. Causae dispensandi canonicae numero sexdecim hae sunt²⁾:

1. „*Angustia loci* sive absoluta sive relativa (ratione tantum oratricis), cum scilicet in loco originis vel etiam domicilii cognatio feminae ita sit propagata, ut alium paris condicionis, cui nubat, invenire nequeat nisi consanguineum vel affinem; patriam vero deserere sit ei durum“.

Haec causa prae primis in sponsa attenditur. *Locus* potest esse locus, ubi orta est vel ubi habitat seu domicilium vel quasi-domicilium habet sponsa. Si locus sponsi idem est vel si alius est, sed pari modo angustus, id in libello indicari potest in hunc modum: *angustia loci*, ubi *oratores* orti sunt vel *angustia locorum*, ubi oratores, etc.

Locus hic non intelligitur parochia, sed pagus vel civitas, etsi in ea plures sint parochiae, dummodo ab aliis locis uno saltem milliari (1500 metris) distet. Si ergo suburbium sit locus ab urbe distinctus propriumque nomen habeat, allegari potest *angustia loci*, dummodo ab urbe metris 1500 circiter distet³⁾.

Angustus censetur locus, si non plures contineat quam 300 focos seu 1500 incolas demtis acatholicis, non autem incredulis et impiis.

¹⁾ Cf. *De principiis* n. 161.

²⁾ Recensentur in instructione s. C. *De prop. fide* 9. maii 1877.

³⁾ S. C. C. 8. iul. 1876.

Paris condicionis late accipiendum est, non solum de statu et opibus, sed etiam de aetate, educatione, genio, indole religiosa etc.

Invenire nullum sponsum dicitur mulier, si hic et nunc aptam nubendi occasionem non habeat, etsi nullum sponsum quaesierit, unum alterumve antea respuerit, ex alio loco virum habere possit, unus paris condicionis eam ducere velit, ne scilicet matrimonii libertas nimium coarctetur.

2. „*Aetas feminae superadulta*, si scilicet vigesimum quartum aetatis annum iam egressa hactenus virum paris condicionis, cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa non suffragatur *viduae*, quae ad alias nuptias convolare cupiat.“

Si femina maioris adhuc aetatis sit, iuvat id in libello supplicii exprimere, quo facilius dispensatio obtineatur.

Opinabantur complures, si quando dispensatio concedatur propter aetatem sponsae superadultam, in verificatione causae ad validitatem dispensationis utrumque probari debere: mulierem esse superadultam eamque usque ad illud tempus virum paris condicionis, cui nubere possit, non invenisse, verum satis est, *si certo constet de aetate superadulta*¹⁾.

3. „*Deficientia aut incompetentia dotis*, si nempe femina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo aequalis condicionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit.“

Dotis nomen late intelligendum est de bonis fortunae, quibus onera matrimonii sustineri possint, non solum de dote strictae acceptae, ubi nempe viget systema dotale.

Actu, etsi postea dotem habitura sit, sive a parentibus, qui eam nunc dare non possunt aut dare nolunt, quin ad eam dandam cogi possint, sive a consanguineo, qui partem hereditatis promisit.

4. „*Lites super successione bonorum iam exortae vel earundem grave aut imminens periculum*. Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti sustineat, neque adest alius, qui litem huiusmodi in se suscipiat

¹⁾ S. *Poenitentiaria* 5. apr. 1902.

propriisque expensis prosequatur praeter illum, qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim reipublicae, ut lites extinguantur. Huic proxime accedit alia causa, scilicet *dos litibus involuta*, cum nimirum mulier alio est destituta viro, cuius ope bona sua recuperare valeat. Verum huiusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit⁴.

5. „*Paupertas viduae*, quae numerosa prole sit onerata et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae ea tantum de causa, quod iunior sit atque in periculo incontinentiae versetur.“

6. „*Bonum pacis*, quo nomine veniunt nedum foedera inter regna et principes, sed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sint, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur, vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et, licet pax inter eos inita iam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis firmationem maxime conduceret.“

7. „*Nimia, suspecta, periculosa familiaritas* necnon *cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non posset.“

Cum ratio huius causae reponitur in scandalo vitando, requiritur, ut haec familiaritas vel cohabitatio sub eodem tecto originem dederit suspitioni de turpi conversatione inter nupturientes¹⁾.

8. „*Copula* cum consanguinea vel affine vel alia persona impedimento laborante praehabita, et *praegnantia ideoque legitimatio prolis*, ut nempe consulatur bono prolis ipsius et honori mulieris, quae secus inupta maneret.“

Si copula incestuosa, quae allegatur tamquam causa dispensationis, non ex humana fragilitate, sed ex spe facilius dispensationem obtinendi habita fuerit, haec circumstantia in supplicatione exprimenda est.

¹⁾ *Ballerini-Palmieri* VI. n. 940.

9. „*Infamia mulieris* ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe, nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata vel inupta maneret, vel disparis condicionis viro nubere deberet aut gravia damna orirentur.“

10. „*Revalidatio matrimonii*, quod bona fide et publice, servata tridentini forma, contractum est, quia eius dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo et gravi damno, praesertim feminae. At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente conc. trid. (Sess. 24. c. 5. de reform. matrim.).“

a. Ubi agitur de dispensatione ad convalidandum matrimonium, indicari debet, num oratores impedimentum ignoraverint, num ignorantia facti vel iuris, num in facie ecclesiae contraxerint, num copulam habuerint, eamque bona vel mala fide, num de impedimento edocti copulam continuaverint, num eam habuerint ex spe facilius obtinendi dispensationem.

b. Si una tantum pars matrimonium mala fide contraxit, semper anteactis quoque temporibus concedebatur dispensatio; hodie vero ea conceditur, etsi utraque pars mala fide matrimonium contraxit, praesertim si proles iam nata sit vel matrimonii civilis immineat periculum.

11. „*Periculum matrimonii mixti* vel *coram acatholico ministro celebrandi*.“

12. „*Periculum incestuosi concubinatus*.“

13. „*Periculum matrimonii civilis*. Ex dictis consequitur probabile periculum, quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat civile, ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam.“ Item matrimonium civile iam contractum, quod convalidandum sit.

14. „*Remotio gravium scandalorum*.“

15. „*Cessatio publici concubinatus*.“

16. „*Excellentia meritorum*, cum aliquis (sive sponsorum sive progenitorum) aut contra fidei catholicae hostes dimicatione aut liberalitate erga ecclesiam aut doctrina, virtute aliove modo de religione sit optime meritus.“

139. Causae non-canonicæ canonicis adiungendæ sunt, sed his deficientibus quandoque ex solis non-canonicis in gradibus remotioribus conceditur dispensatio. Eiusmodi sunt:

1. *Ex parte oratricis*: *a.* Si alterutro vel utroque parente orbata; *b.* ex natalibus illegitimis orta; *c.* infirmitate, deformitate aliove defectu detenta; *d.* iam ab alio deflorata est.

2. *Ex parte oratoris*: *a.* Si infirmitate detentus; *b.* si viduus prole oneratus, cui quaerit bonam matrem; *c.* si adiutorio huius mulieris indigens est e. g. ad gerendam rem domesticam.

3. *Ex parte matrimonii*: *a.* Propositum contrahendi divulgatum; *b.* convenientia matrimonii; *c.* boni mores oratorum; *d.* bonum parentum, si pater vel mater indiget adiutorio.

Articulus tertius.

De modo petendi dispensationem.

140. Declarationes. Dispensatio petitur per libellum supplicem.

1. Si dispensatio petitur ab impedimentis publicis pro foro externo, libellus supplicis conficitur a parochio; si ab impedimentis occultis pro foro interno petitur, a confessario.

2. Libellus supplicis, sive a parochio sive a confessario confectus est, ordinarie dirigitur ad episcopum, qui vel ipse dispensat, si ad id potestatem habet, vel libellum dirigit ad congregationes romanas. Solum si agitur de impedimento, quod petentem apud ordinarium diffamaret, vel periculum violandi sigillum adduceret, libellus immediate ad s. poenitentiarium dirigitur.

3. Si cui ordinarius negaverit dispensationem, eandem a s. sede petere potest, etiam nulla denegationis facta mentione. Quodsi a s. sede primum negata fuerit dispen-

satio, complures quidem negant, eandem ex eadem causa ab ordinario peti posse; verum cum nullus textus iuris id prohibeat, ordinarius adiri et existente iusta causa pro foro interno dispensationem concedere potest¹⁾.

4. Libellus supplex fit nomine oratorum, non parochi vel confessarii, et quidem, si dispensatio pro foro externo petitur, expressis, si vero dispensatio pro foro interno petitur, tectis oratorum nominibus. In libellis ad datariam directis alloquendus est s. pontifex (beatissime pater); in libellis ad poenitentiarium directis poenitentiarius maior (eminentissime princeps).

5. Ad praecavenda varia incommoda, quae ex petitione dispensationum *per telegraphum* contingere possunt, *Leo XIII.* prohibuit, ne ss. congregationes *ordinarie* petitiones hoc medio factas acciperent, idemque ab ordinariis servari mandavit. Si tamen necessitas quamprimum obtinendae dispensationis urgeat, non prohibetur, quominus congregationes vel ordinarii petitiones per telegraphum missas accipiant²⁾.

6. Dispensatio *peti* dicitur *in forma ordinaria* vel *in forma nobilium*, si oratores solvendae taxae non sunt impares; dispensatio petitur *in forma pauperum*, si oratores declarant se solvendae taxae aut omnino aut ex parte impares esse. Pari modo dispensatio in forma ordinaria vel nobilium *concedi* dicitur, quando exigitur taxa, et in forma pauperum *concedi* dicitur, quando aut nulla aut solum parva iniungitur taxa.

141. Quae in libello supplici exprimenda sint.

Etsi libelli supplices ex usu diversarum regionum diversimode conficiantur, complura tamen sunt, quae sive ex iure sive ex stilo curiae necessario exprimenda sunt, ut dispensatio valida sit³⁾.

¹⁾ Cf. *D'Annibale* I. n. 77. *Konings-Putzer* n. 41.

²⁾ *Secretaria status* 10. dec. 1891.

³⁾ Enumerantur haec in instructione s. *C. de propag. fide* 9. maii 1877, supra n. 630 in nota iam citata.

1. *Nomen et cognomen oratorum*, utrumque distincte ac nitide ac sine ulla litterarum abbreviatione scriptum.

Oratorum nominibus additur: *a. aetas* sive eo, quod numerus annorum sive eo, quod dies mensis et annus nativitatis indicatur, quamvis id necessarium non sit, nisi aetas sit causa dispensandi; *b. dioecesis* originis vel actualis domicilii aut quasi-domicilii: etenim si petitur dispensatio pro foro externo, executio dispensationis committi solet ordinario. Quodsi petitur dispensatio pro foro interno, reticito nomine dioecesis, indicatur tantum lingua vernacula locus, ad quem mittenda est dispensatio.

2. *Impedimentum seu impedimenta in infima sua specie* (consanguinitas, affinitas, publica honestas etc.) cum *circumstantia impediendi*, quae efficit, ut facilius vel difficilius dispensetur.

a. In consanguinitate, affinitate et honestate indicandus est *gradus*, utrum gradus sit simplex an mixtus, gradus remotior aut propinquior; indicanda est *linea*, utrum sit recta an transversa.

b. In affinitate, utrum orta sit ex copula licita an vero ex illicita.

c. In honestate publica, utrum ex matrimonio rato an ex sponsalibus orta sit. Si impedimentum, quod rarissimum est, ex *matrimonio rato* oritur, sufficit, ut gradus remotior omisso propinquiore indicetur; si *ex sponsalibus* oritur, declarandum est, num et quomodo soluta sint.

d. In cognatione spirituali exprimendum est, utrum habeatur paternitas an compaternitas et utrum paternitas orta sit ex collatione sacramenti an vero ex munere patrini.

e. In impedimento criminis utrum crimen utroque an uno vel neutro patrante commissum sit.

f. Accurate indicandus est etiam *numerus impedimentorum* non solum diversae sed etiam eiusdem speciei. Si e. g. sponsa cum duobus fratribus proprii sponsi copulam habuit, contrahit duplicem numero affinitatem, quae in libello supplici utraque exprimenda est.

g. Praeter impedimenta dirimentia indicanda sunt etiam *impedimenta impedienda*, quamvis episcopus in iis dispensare possit aut iam dispensaverit: si enim cum impedimento (dirimente simul concurrat impediens e. g. mixtae religionis, multo difficilius in dirimente conceditur dispensatio.

Nota 1. Olim ex variis decretis et instructionibus romanarum congregationum ad validitatem dispensationis exprimi debebat *copula incestuosa* habita inter sponso ante dispensationis executionem, etiamsi ipsa copula incestuosa non fuerit causa dispensandi. Nunc vero abrogatis hisce statutis per decretum *s. Officii* 25. iun. 1885, dispensatio

valida est, etsi reticita fuerit copula incestuosa inter sponso habitam. Quin etiam hoc eodem decreto, quo abrogatur obligatio exprimendi incestum commissum, abrogatur etiam obligatio exprimendi intentionem, si adfuerit, per illum facilius obtinendi dispensationem¹⁾. Ideo sponsi consanguinei in examine sponso de incestu inter se habito et de intentione per eum facilius obtinendi dispensationem interrogandi non sunt; quodsi incestus inter ipsos habitus evaserit publicus vel si sponte ab eis aperiat, haec circumstantia in libello supplici indicari vel etiam omitti potest. Ex aliis tamen rationibus necessarium esse potest, ut in libello supplici declaretur incestus a sponsis commissus e. g. ad legitimandam prolem ex incestu susceptam.

Nota 2. *Schema genealogicum* (Stammbaum) ex parte congregationum non requiritur, in multis tamen dioecibus statutum est, ut supplicationi in separato folio addatur.

3. *Causae dispensationis.* Supremum hac in re principium hoc est: „expressio et verificatio causarum pertinet ad substantiam dispensationis.“

a. Necesse non est, ut omnes causae dispensationis, quae forte existunt, afferantur: sed pluribus existentibus afferendae pro lubitu eligi possunt, modo veritate nitantur. Praestat tamen, si adsint, plures afferre, ut certior sit supplicationis effectus.

b. Nihil impedit, quominus in libello supplici praeter causas canonicas etiam aliae non-canonicae afferantur, quibus canonicae confirmantur.

c. Quandoque dispensatio concedi dicitur *sine causa*, quod significat dispensationem concedi sine causa canonica aut sine causa expresse allegata. In hoc casu oratoribus pium opus aut largior elemosyna in compensationem imponitur, adeo ut bonum ecclesiae, quod illo opere promovetur, sit causa dispensandi.

4. *Status fortunae oratorum*, ut taxa solvenda determinari possit, vel ut dispensatio, si oratores pauperes sint, gratis concedatur. Usus tamen indicandi hunc statum in diversis regionibus diversus est. Quodsi dispensatio petitur ab impedimento occulto, non indicatur status fortunae, quia in hoc casu taxa non imponitur.

a. Iuxta praxim tribunalium romanorum *vere pauperes* non ii vocantur, qui labore manuum vel industria vivunt: hi proprio nomine *miserabiles* dicuntur, sed illi, quorum bona detractis debitis aliisque oneribus non multum excedunt tria millia (3000) francorum; et *vere*

¹⁾ S. *Officium* 18. mart. 1891.

pauperes appellantur, quorum bona maiora sunt, sed decem millia (10.000) francorum non notabiliter excedunt.

b. In taxanda oratorum fortuna simul computari debent utriusque partis facultates, nisi una pars acatholica sit: huius enim fortuna non attenditur; insuper ratio habenda est hereditatis, quam iure expectant et muneris valde lucrosi e. g. regii ministri, medici etc., quod exercent.

c. De condicione oratorum s. sedi constare debet ex ordinarii authentico testimonio, quam condicionem cum ordinarius raro propria scientia cognoscat, eam discere debet ex attestatione parochi, qui proinde interrogatis ipsis oratoribus aliisque personis fide dignis ordinarium de oratorum fortuna certiozem reddere debet.

Num una pars altera iquara dispensationem petere possit.

a. Si impedimentum natura sua utramque partem simul afficit, ut consanguinitas vel affinitas, sufficit, ut una pars dispensationem petat et acceptet: nam cum dispensatio se extendat ad necessario connexa, una parte dispensata eo ipso impedimentum aufertur etiam ab altera, etsi dispensationem ignoraverit.

b. Si impedimentum natura sua unam partem tantum independenter ab altera afficit, ut votum castitatis sive ab una sive ab utraque emissum, dispensatio peti quidem potest inscia parte quae impedimento afficitur. attamen ut valeat dispensatio, ab ea acceptari debet.

142. De solvenda taxa vel componenda. 1. *Taxa solvenda* occasione dispensationis obtentae plura in se continet: *a. taxam* proprie dictam pro sustentatione ministrorum tribunalis romani Datariae; *b. componenda* seu eleemosyna pro arbitrio s. sedis in pia opera impendenda; *c. salarium* pro labore *agentis*, qui in negotiis dioecesis Romae agendis operam suam praestat; *d. expensas postales.*

2. Si a *Dataria* petitur dispensatio *in forma ordinaria* vel *in forma nobilium*, oratoribus solvenda iniungitur aliqua taxa, quae pro eorum facultatibus, pro natura impedimenti et pro causa dispensandi diversa est.

Exigit quidem concilium tridentinum, ut gratis dispensetur¹⁾; attamen his illae tantum taxae prohibentur, quae in lucrum dispen-

¹⁾ *Concilium trid.* sess. 24. c. 5 De reform. matr.

santium cedant, non autem taxae, quae pro necessariis expensis et in pia opera impendantur, praesertim cum hoc modo rariores reddi possint dispensationes.

3. Si a *Dataria vel Poenitentiaria* dispensatio petitur ab impedimento publico in *forma pauperum*, aliqua sed minor exigitur componenda, quae pro quibusdam regionibus plane condonatur.

4. Si *episcopus* vi delegationis in impedimentis matrimonialibus dispensat, nullam taxam exigere potest; siquidem concessionem facultatis dispensandi haec prohibitio adnectitur. Attamen concilium baltimorese III. (n. 134) declaravit licere episcopo imponere taxam pro sustentanda cancellaria.

143. Num valeat dispensatio, si in libello supplicii contineatur error.

1. *Error circa nomen vel cognomen* oratorum non reddit invalidam dispensationem, si error est accidentalis seu parvi momenti, si e. g. una alterave littera vel aliqua syllaba mutatur, vel si omittitur unum nomen illius, qui duo habet, modo de identitate personae certo constet.

2. *Error circa impedimentum.*

a. Si linea collateralis indicatur pro linea recta, invalida est dispensatio.

b. Si gradus inferior simplex indicatur pro gradu superiore simplici, pariter invalida est dispensatio; sed invalida non est, si gradus superior pro inferiore e. g. secundus pro tertio indicatur.

c. Si in gradu inaequali remotior non accurate indicatur, invalida est dispensatio; si autem propinquior non accurate indicatur aut omnino tacetur, distinguendum est: si supplicatio dirigitur ad Poenitentiarium, invalida est dispensatio; quodsi supplicatio dirigitur ad Datarium, dispensatio valida est, modo gradus omissus non sit primus¹⁾.

3. *Error circa causas.*

¹⁾ Constitutio Pii V. *Sanctissimum* 26. aug. 1566.

a. Si una tantum causa motiva affertur eaque falsa, dispensatio invalida est, etsi causa impulsiva sit vera.

b. Si una causa motiva affertur eaque vera, dispensatio valet, etsi causae impulsivae omnes falsae sint.

c. Si plures causae motivae et impulsivae afferuntur, dispensatio valet, modo una causa motiva vera sit.

d. Levis quaedam exaggeratio causae ceteroquin verae, dispensationem non reddit invalidam.

4. *Error circa condicionem oratorum.*

a. Si falso allegata fuit paupertas oratorum, sive bona sive mala fide id factum est, dispensatio a *Dataria* concessa valet, quia paupertas non est causa dispensationis, sed causa, ob quam remissa fuit componenda. Tenentur tamen oratores solvere *iura* i. e. componendam *Datariae*, quia remissio ex errore facta non valet¹⁾.

b. Quoad dispensationem a *Poenitentiarum* pro foro externo concessam non consentiunt auctores. Cum dubium de valore dispensationis sit dubium iuris, dispensatione uti et matrimonium tuta conscientia inire licet²⁾.

Qui dispensationem invalidam arbitratur, provocant ad praxim huius tribunalis; insuper affirmant poenitentiarum in hoc casu potestate dispensandi carere, cum ipsa potestatem dispensandi in foro externo pro solis pauperibus acceperit³⁾. Nihilominus rem ut dubiam proponunt etiam nonnulli auctores recentissimi ut *Génari*, *Zitelli*.

Articulus quartus.

De modo concedendi et exequendi dispensationem.

144. De modo concedendi dispensationem. 1. Dispensationes conceduntur aut in forma commissoria aut in forma gratiosa. In *forma commissoria* concedi dicuntur, si alicui committitur delegata facultas dispensandi seu. ut dici solet, *fulminandi* dispensationem: in *forma gratiosa*

¹⁾ *S. Poenitent.* 1. dec. 1852.

²⁾ Cf. *Génari*, Consultazioni etc. Cons. 30.

³⁾ *De Becker* p. 317.

concedi dicitur, si ipse superior (sancta sedes, episcopus) concedit gratiam dispensationis et alteri solum iniungit mandatum cum dispensatis ex officio communicandi dispensationem factam.

a. In impedimentis *occultis* dispensatio tum a s. sede tum ab episcopo concedi solet in forma commissoria. In impedimentis *publicis* a sancta sede dispensationes solent dari in forma commissoria, ab episcopis autem potius in forma gratiosa. In dispensationibus ergo matrimonialibus, quae conceduntur in forma commissoria, impedimentum non removetur, quando conceditur rescriptum dispensationis, sed quando fulminatur seu executioni mandatur dispensatio.

b. Ad diiudicandum valorem dispensationis attendi debet ad formam, qua illa conceditur: nam ut valida sit dispensatio, causae in libello supplicii allatae verae esse debent eo tempore, quo conceditur dispensatio. Hinc si dispensatio conceditur in forma commissoria, causae verae esse debent, quando commissarius, et si dispensatio conceditur in forma gratiosa, causae verae esse debent, quando dispensatur curia sive romana sive episcopalis.

c. Hac in re notandum est decretum probante *Leone XIII.* editum, quo statuitur facultatem dispensandi ab impedimento matrimonii *valide exerceri non posse*, antequam documentum datae facultatis sit receptum, neque sufficere nuntium telegraphicum de data facultate, nisi notitia telegraphica transmissa fuerit ex officio auctoritate s. sedis¹⁾.

2. Dispensationes conceduntur aut pro *foro externo* aut pro *foro interno*. Inter haec duo genera dispensationum duplex notandum est discrimen: *a.* dispensationes pro foro externo a s. sede exequendae committuntur ordinario; dispensationes vero pro foro interno committuntur confessario ab oratoribus eligendo; *b.* aliae sunt condiciones et clausulae, sub quibus conceduntur dispensationes pro foro externo, et aliae, sub quibus conceduntur dispensationes pro foro interno.

145. De commissario seu executore dispensationum, quae pro *foro externo* conceduntur, ex iure recenti haec notanda sunt²⁾.

¹⁾ *S. Officium* 14. aug. 1892.

²⁾ *S. Officium* 20. febr. 1888. iussu *Leonis XIII.*

a. Dispensationes omnes tum Datariae tum Poenitentiariae committendae sunt vel *ordinario oratorum* vel *ordinario loci* (in quo matrimonium contrahitur).

b. Dispensationes ordinario commissas exequi potest etiam eius vicarius generalis et sede vacante vicarius capitularis.

c. Vicarius capitularis exequi potest etiam dispensationes episcopo (defuncto) vel eius vicario generali remissas et nondum executioni mandatas. Dispensationes sede vacante vicario capitulari remissas exequi potest episcopus successor et eius vicarius generalis.

d. Dispensationes ordinario oratorum commissas exequi debet ordinarius, qui litteras testimoniales dedit vel libellum supplicem transmisit s. sedi, sive est ordinarius originis sive domicilii sive utriusque sponsi sive alterutrius eorum, sive adhuc eorum ordinarius est sive non amplius est.

e. Ordinarius, a quo dispensatio exequenda est, potestatem eam exequendi etiam alteri ordinario delegare potest, ei praesertim, in cuius dioecesi sponsi actu degunt.

146. De modo exequendi dispensationes a dataria concessas. 1. Cum dispensatio, quae a commissario conceditur antequam documentum pontificium accepit, invalida sit, etsi certam notitiam concessae facultatis habeat, accepto documento dispensatio denuo exequenda foret¹⁾.

2. Commissarius accurate *observare debet clausulas* seu condiciones dispensationis, quae in rescripto continentur: omnes enim rationem praecepti pro qualitate materiae sub gravi vel sub levi obligantis habent, earumque nonnullae etiam condiciones sunt, a quarum executione validitas dispensationis dependet. Praecipuae clausulae sunt:

a. *Verificatio precum* ante fulminationem dispensationis. Haec verificatio, quae olim ad validitatem requirebatur, nunc solum ad liceitatem requiritur²⁾. Modus hanc verificationem perficiendi arbitrio

¹⁾ *S. Poenitent.* 15. ian. 1894.

²⁾ *S. Poenitent.* 27. apr. 1886.

ordinarii relinquatur, qui eam plerumque a parochio perficiendam curat. Verificatio potissimum fit examinando testes ipsosque oratores¹⁾.

b. *Remotio, si adsit, scandali* praesertim per separationem sponsorum, tempore ordinario bene viso, si fieri possit. Etiam haec clausula, quae in rescriptis continetur, quando incestus vel aliud delictum oratorum ut causa dispensationis affertur, non ad validitatem, sed solum ad licitatem dispensationis requiritur, et ita intelligenda est, ut inter media reparandi scandalum praeferenda sit separatio sponsorum; quodsi haec fieri non possit, aliud medium eligi debet, modo aptum sit ad finem²⁾.

c. *Absolutio a censuris* fulminationi dispensationis ad cautelam praemitti solet, ne oratores, si forte occulta aliqua censura irretiti sint, gratia a superiore concessa priventur. Haec absolutio, quae est pro foro externo, concedi potest extra confessionem sive voce sive in scriptis et valet etiam pro foro interno.

d. *Poenitentia salutaris*, quae iniungenda praescribitur, quando in libello supplici exponitur incestus, non requiritur ad valorem dispensationis, si haec conceditur in forma ordinaria, requiritur autem ad valorem, si dispensatio conceditur in forma pauperum.

3. His (per parochum) praemissis commissarius dispensationem concedit, quae pro foro externo, saltem ut licita sit³⁾, dari debet *in scriptis* facta mentione delegationis apostolicae et impedimenti, in quo oratores dispensantur⁴⁾.

Sunt, qui dicant (*Gasparri*), nihil efficere ordinarium, qui solum rescribat: *Oratores matrimonium inire possunt*, nisi expresse dicat: Auctoritate apostolica nobis concessa *dispensamus* etc. Alii tamen (*Zitelli*) putant dispensationem valere, si ordinarius solum declaret, *oratores contrahere posse*.

147. De modo exequendi dispensationes a poenitentiaria concessas. Si *Poenitentiaria* concedit facultatem

¹⁾ Quodsi rescriptum invalidum sit, petenda est eius sanatio, quae conceditur novo rescripto, quod solet dici *Perinde valere*, quia prius rescriptum perinde valere declaratur, ac si nullo defectu laborasset.

²⁾ *S. Poenitent.* 12. apr. 1889. Plerumque ad hunc finem obtinendum nupturientes coram parochio et duobus testibus declarant se detestari iniuriam commissam et paratos esse ad implendam poenitentiam impositam.

³⁾ *S. Officium* 19. iun. 1875.

⁴⁾ *S. C. de prop. fide* 12. ian. 1869.

dispensandi pro foro externo, in eius rescriptis fere eadem clausulae continentur atque in rescriptis Datariae. Quodsi facultatem dispensandi *pro foro interno* concedit, quoad clausulas haec notanda sunt:

1. Litterae dispensationis a s. Poenitentiaria concessae solent inscribi: *Discreto viro confessario ex approbatis ab ordinario*; quare dispensationem exequi potest quilibet confessarius ab oratore electus, dummodo approbatus sit ab ordinario loci, in quo concedenda sit dispensatio.

2. Si in rescripto haec continentur: *discretioni tuae committimus, quatenus, si ita sit* — his verbis confessario iniungitur obligatio (ut *licita* sit dispensatio) inquirendi ex ipso poenitente, num exposita vera sint. Eius affirmationi simpliciter credere potest, nisi scientia extrasacramentali aliud sciat.

3. Si in litteris dispensationis haec continentur: *Lactorem, audita prius eius sacramentali confessione, a quibusvis censuris etc. absolvas*, non valet dispensatio, nisi praemissa confessione sacramentali detur in actu confessionis; at non requiritur absolutio sacramentalis. Hinc si poenitens non sit dispositus ad obtinendam absolutionem, tamen dispensari potest, et si absolutio esset sacrilega, nihilominus valida esset dispensatio¹⁾. Quodsi confessio expresse non praecipitur, dispensatio pro foro interno fulminari potest extra confessionem.

4. Vi huius clausulae: *iniuncta poenitentia salutari*, quae ab omnibus consideratur tamquam *condicio ad valorem requisita*, iniungi debet poenitentia a poenitentia sacramentali distincta. Quandoque iniungenda praescribitur poenitentia gravis et longa, gravis et diuturna, gravissima et perpetua. Haec poenitentia determinanda est ab eo, qui dispensationem exequitur, ratione habitae condicionis, aetatis, sexus illius, cui iniungenda est.

a. Poenitentia *gravis et longa* esset opus poenitentiae, quod per annum vel per semestre quin etiam per trimestre singulis hebdomadis

¹⁾ S. Poenitent. 19. maii 1854.

peragendum imponitur e. g. singulis hebdomadis semel aut bis rosarium recitare, singulis hebdomadis semel sacrum audire, singulis dominicis *viam crucis* peragere, saltem semel in mense s. sacramenta suscipere etc. Poenitentia *gravis et diuturna* esset eiusmodi opus poenitentiae, quod per tres annos, aut per duos quin etiam per unum annum peragendum iniungitur. Poenitentia *gravissima et perpetua* esset eiusmodi opus usque ad mortem peragendum.

b. Poenitentia in executione dispensationis matrimonialis imponi et acceptari quidem debet, sed dispensatio non redditur invalida, eo quod poenitentia imposita a dispensato non impletur¹⁾; neque in eo casu, quo dispensatus ne intentionem quidem eam implendi habeat²⁾.

5. Cum dispensatio manere debeat occulta, in rescripto dispensationis continentur haec verba: *praesentibus litteris sub poena excommunicationis latae sententiae per te post executionem statim destructis*. Destructio *statim* i. e. saltem inter triduum facienda est *comburendo* vel *dilacerando* rescriptum. Hisce tamen confessarius non prohibetur litteras descriptas pro sua instructione servare, dummodo omnia omittantur, ex quibus persona poenitentis cognosci possit.

6. Si impedimentum unam tantum partem afficit ut votum castitatis, vel si ex unius tantum culpa inductum est ut affinitas ex copula illicita, sufficit cum una parte dispensare. At si impedimentum utrique parti commune vel ex utriusque culpa inductum est ut impedimentum criminis, utraque pars confessarium (sive eundem sive etiam diversum) adire et dispensationem accipere debet.

a. Si altera pars alium eligit confessarium, rescriptum a primo confessario reddi debet poenitenti, qui illud tradit comparti, ut haec dispensationem a suo confessario petere possit³⁾.

b. Utriusque partis dispensatio non requiritur ad auferendum impedimentum, quod, cum sit indivisibile, una dispensatione quoad utramque partem aufertur, sed ut poenitentia salutaris utrique parti imponatur, cum utriusque sit culpa communis⁴⁾.

¹⁾ *S. Poenitent.* 14. sept. 1891.

²⁾ *S. Poenitent.* 12. nov. 1891.

³⁾ *S. Poenitent.* 15. nov. 1748.

⁴⁾ *S. Poenitent.* 7. febr. 1832.

7. Dispensatio pro foro interno *voce* conceditur in confessione post absolutionem sacramentalem.

Determinata formula dispensationis non praescribitur; ideo concessa absolutione sacramentali confessarius uti poterit his vel similibus verbis: *Insuper auctoritate apostolica mihi commissa dispenso tecum super impedimento* (e. g. affinitatis ex copula illicita), *ut eo non obstante matrimonium inire* (si iam contractum sit: *denuo inire*) *raleas. In nomine Patris etc.*

Quaestio sexta.

De celebratione matrimonii.

Agendum est de iis, quae *ante* celebrationem, et de iis, quae *in ipsa* matrimonii celebratione praestanda sunt.

Articulus primus.

De proclamationibus matrimonii.

148. De lege proclamationum. Lex ecclesiae sub gravi obligans praecipit, ut matrimonium, antequam contrahatur, *ter a proprio contrahentium parochio tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum sollemnia publice denuntietur*¹⁾.

a. Denuntiationes publicae matrimonii *banna* vocari solent, quae vox germanica esse et publicam proclamationem significare videtur; etsi hoc sensu nunc non amplius adhibeatur.

b. Legem bannorum in Gallia primitus existentem concilium lateranense IV. sub Innocentio III. ad universam ecclesiam extendit²⁾; a concilio vero tridentino eadem lex innovata et pluribus additis praescriptionibus accuratius determinata fuit.

¹⁾ *Concilium trid.* sess. 24. c. 1. De reform. matr.

²⁾ C. Quum inhibitio 3 *De clandestin. despons.* (IV. 3).

1. Hanc *legem gravem* esse colligitur: *a.* ex gravi eius fine, ad quem obtinendum proclamationes multum conferunt; *b.* ex gravi poena a concilio in transgressores statuta: attamen admittit parvitatem materiae.

a. Finis legis triplex est: α . ut detegantur, si quae forte existant, impedimenta matrimonii contrahendi;¹⁾ β . ut eliminentur matrimonia clandestina; γ . ne filii familias contrahant invitis parentibus. Praecipuus autem finis primus est.

b. Poena in transgressores statuta duplex est: α . ut coniuges, si postea impedimentum detegatur, separari debeant omni spe dispensationis obtinendae adempta; β . ut proles illegitima habeatur, etsi coniuges ob ignorantiam impedimenti in bona fide fuerint, econtra proles in matrimonio putativo nata bannis servatis pro legitima habetur¹⁾.

Iuxta praesentem vero disciplinam transgressores huius legis non amplius privantur omni spe obtinendae dispensationis, sed haec ob circumstantiam omissarum proclamationum solum difficilius conceditur; quare haec circumstantia in libello supplicii indicanda est.

c. Materia parva. Unam tantum proclamationem tribus requisitis omittere vel eodem die duas facere, leve peccatum non excedit²⁾: immo ex quorundam probabili iudicio duas omittere, grave non est, si periculum latentis impedimenti removeatur e. g. per plures dies expectando antequam matrimonium fiat³⁾. Item circumstantias praescriptas non formaliter, sed solum aequivalenter implere, veniale non excedit. Ex gravi causa omittere ea, quae sub veniali tantum obligant, omni culpa vacat.

2. Lex bannorum obligat *quoad omnia matrimonia*: *a.* etiam in regionibus, in quibus matrimonia clandestina valida sunt; *b.* etsi matrimonium contrahendum publice notum sit; *c.* etsi constet, nullum subesse impedimentum, quia lex universalis urget. etsi in particulari casu finis legis cesset.

Excipitur tamen *a.* matrimonium principum, quod proclamari non solet, quia eorum genus adeo notum est, ut impedimentum, si quod subsit, facile cognosci possit; *b.* casus urgentis necessitatis, ut si in periculo mortis contrahendum esset matrimonium ad legitimandam prolem.

¹⁾ *Concilium trid.* sess. 24. c. 5. De reform. matr.

²⁾ *S. Alphonsus* n. 990.

³⁾ *D'Annibale* III. n. 453; *Gasparri* I. n. 152.

149. De ipsis proclamationibus. 1. Proclamationes faciendae sunt *tribus diebus festivis* iisque *continuis*. *Festivis* i. e. dominicis vel festis, quibus ex praecepto universali ecclesiae vel particulari dioecesis urget obligatio audiendi sacrum, ut adsit concursus populi, non autem diebus festis abrogatis nisi de licentia episcopi¹⁾. *Continuis* i. e. ita sibi succedentibus, ut nullus dies festivus sine denuntiationibus praetermittatur, ne forte populus denuntiationum obliviscatur. Si tamen dies festus ex qualicumque causa praetermittatur, sequenti die festivo prosequenda est denuntiatio.

a. Denuntiationes probabiliter fieri etiam possunt diebus festivis *immediate sibi succedentibus*; quodsi tres dies festi immediate sibi succedant, praestat, ut unus sine proclamationibus praetermittatur.

b. Legi non satisfit, si proclamationes fiant *diebus ferialibus*, etsi frequens populus ad ecclesiam concurrat, quia non sufficit finem legis attingere, nisi id fiat per media a legislatore praescripta²⁾.

c. Non existit lex universalis prohibens, ne matrimonium celebretur *ipso die ultimae proclamationis*; verum particularia statuta praescribunt, alia diem, alia biduum, alia triduum esse expectandum. Ubi nihil statutum est, convenit omnino, ut saltem per diem expectetur, nisi ratio extraordinaria urgeat, ut matrimonium eodem die celebretur.

d. Si factis denuntiationibus matrimonium non statim celebratur, sed diutius differtur, denuntiationes denuo fieri debent. Quamdiu differendum sit matrimonium, ut nova denuntiatio necessaria sit, lege generali determinatum non est: iuxta *Rituale romanum* post duos menses *nisi aliter episcopo videatur*³⁾, iuxta particularia statuta nonnullarum dioecesium post tres, alibi post quatuor, in *Austria* post sex menses nova denuntiatio requiritur.

2. *In ecclesia* (scilicet parochiali) *inter missarum sollemnia*, non autem in alia ecclesia, neque in missis privatis neque in vesperis.

a. Si occasione concionis vel processionis congregatus esset populus, ex dispensatione episcopi tunc posset fieri denuntiatio, quia finis legis aequè obtineri potest.

b. Si parochus in missa denuntiationis faciendae oblitus fuisset, vel si nomina sponsorum ab auditoribus nullatenus intellecta fuissent,

¹⁾ S. C. C. 29. apr. 1823.

²⁾ *Aichner* l. c. § 164.

³⁾ *Rituale rom.* tit. 7. c. 1. n. 11.

proclamatio aut in sequentem diem festum differri aut in vespers fieri posset.

c. Si aliquo die festo in alia ecclesia haberetur missa parochialis et frequens populi concursus, ibi fieri posset denuntiatio, quia finis legis ibi melius obtinetur.

150. *A proprio contrahentium parochus* vel ab alio de eius licentia. Proprius contrahentium parochus est parochus domicilii vel quasi-domicilii.

1. *Parochus alium sacerdotem* ad denuntiationes faciendas delegare potest: etenim si ad assistendum matrimonio, a fortiori ad denuntiandum matrimonium alium delegare potest. Laicum vero ad id delegare nequit, nisi iis in locis, in quibus, ut in Hispania, legitima consuetudo invaluit aedituum delegandi.

2. Considerato iure statuendae sunt sequentes regulae indicantes, utrum in una an in pluribus parochiis publicationes fieri debeant:

a. Si sponsi ad eandem parochiam pertinent, in ea tantum, si ad diversam parochiam pertinent, in utraque publicationes fieri debent.

b. Si alteruter vel uterque sponsorum domicilium et quasi-domicilium aut duo domicilia vel quasi-domicilia habet, in omnibus his parochiis publicationes faciendae sunt: unusquisque enim est parochus proprius.

Minorenes, qui extra domicilium parentum vel tutorum quasi-domicilium habent, tum in domicilio *facti*, quod ipsi habent, tum in domicilio parentum, quod est eorum domicilium *iuris*, proclamari debent.

c. Si sponsi relicto domicilio in alium locum migrarunt ibique novum domicilium acquisierunt, stricto iure non in parochia prioris sed posterioris domicilii faciendae sunt publicationes, quia non ille sed hic est parochus proprius. Ex usu autem et statutis particularibus ita distinguendum est: si sponsi ante *breve tempus* illuc venerunt, faciendae est denuntiatio tum in loco, ubi actu degunt, tum in loco, unde venerunt.

a. *Breve tempus*, intra quod proclamatio in loco prioris domicilii necessaria sit, diversimode statuatur a *sex mensibus* usque ad *quinque*

annos. Ergo certum est proclamationem etiam in priore domicilio fieri debere, nisi a longiore tempore quam sex mensium relictum fuerit.

β. In parochia *originis*, si ibi sponsi domicilium non habent, et in parochia simplicis *habitationis* stricto iure publicationes fieri non debent, nisi particularia statuta aliud praescribant, quia illorum locorum parochus non est proprius parochus. Ordinarie autem praescribitur, ut publicationes fiant in parochia originis, si sponsi ab ea recesserunt in aetate adulta, et in parochia habitationis, si ibi per notabile tempus (per semestre) commorati sunt.

γ. Si nupturientes durantibus proclamationibus domicilium mutant novumque acquirunt, parochus novi, non prioris domicilii eorum parochus proprius est, qui matrimonio assistere debet; proclamationes autem in novo domicilio non sunt faciendae nisi ex iure civili.

3. *Vagorum* (habitualiter) matrimoniis parochus assistere nequit, nisi licentiam episcopi obtinuerit¹⁾. Huius etiam est statuere, quo loco denuntiationes fieri debeant. Ordinarie fiunt in loco, ubi matrimonium contrahitur, quandoque etiam in loco originis.

151. De dispensatione a lege bannorum. 1. A lege bannorum ex iusta causa *dispensare potest episcopus*, cui concilium tridentinum (c. 1) hanc potestatem facit, eamque participat etiam vicarius generalis, non autem parochus. Et facilius quidem ab una vel altera denuntiatione quam ab omnibus dispensari potest; semper autem ad validam dispensationem iusta causa requiritur.

Parochus a bannorum proclamatione dispensare nequit, nisi ab episcopo ad id delegatus fuerit; urgente autem necessitate declarare potest legem ecclesiae cum tanto incommodo non obligare: postea tamen ea de re moneri debet episcopus.

2. Si sponsi *ad diversas dioeceses* pertinent, complures auctores docent ab utroque episcopo petendam esse dispensationem. Verum probabile est unius episcopi dispensationem sufficere: cum enim non in propria, sed in universali lege ecclesiae potestate summi pontificis dispenset, unam partem dispensans eo ipso etiam alteram dispensat, etsi ad suos subditos non pertineat, quia sponsi in ordine ad matrimonium una persona censentur.

¹⁾ *Concilium trid.* sess. 24. c. 7. De reform. matr.

3. Iusta *dispensandi causa* non debet esse gravis, dummodo finis legis obtineatur, praesertim si ab una vel altera proclamatione tantum dispensetur.

Iustae causae dispensandi aliae sunt *gratiosae*, propter quas dispensari potest, aliae *necessariae*, propter quas dispensari debet, quia alias grave incommodum sponsis oriretur. Huiusmodi causae sunt:

- a. Si periculum est, ne matrimonium malitiose impediatur.
- b. Si periculum est, ne sponsus derelinquat puellam a se violatam.
- c. Si ex dilatione matrimonii infamia contrahentium sequatur.
- d. Si propter necessitatem itineris matrimonium differri nequeat.
- e. Si sponsi propter senium vel propter condicionem plane dissimilem ludibrio exponantur.
- f. Si civili matrimonio iam contracto maritus velit quidem ritum ecclesiasticum peragi, nolit autem proclamationes fieri.

152. De obligatione revelandi impedimenta. 1. Per se existit *obligatio eaque gravis revelandi impedimenta* matrimonii tum dirimentia tum etiam mere impedientia, modo certa eorum notitia habeatur.

Haec obligatio oritur tum *ex praecepto religionis*, quia agitur de praecavenda irreverentia sacramenti, tum *ex praecepto caritatis*, quia agitur de praeservando proximo a gravi peccato aliisque malis, quae ex invalido matrimonio oriuntur, tum denique *ex praecepto ecclesiae*, quae ipso praecepto bannorum saltem implicite manifestationem impedimentorum praescribit.

2. Ea *revelare debet* omnis, qui eorum notitiam habet, cuiuscunque sit sexus, aetatis, parochiae vel dioecesis, etsi ea *solus* cognoscat neque iuridice probare possit, quia revelatio non eo tendit, ut aliquis reus condemnetur, sed ut malum proximi et nullitas sacramenti praecaveatur.

3. Revelari debent *impedimenta omnia etiam occulta*, et quidem *quam primum*, ne per dilationem matrimonii contrahendi difficultas augeatur.

a. Si impedimentum oritur *ex peccato occulto*, prius monendi sunt sponsi, ut vel a matrimonio desistant vel dispensationem sibi procurent; quodsi monitio profutura non speretur, res immediate deferenda est ad parochum, ne inimicitiae oriantur, si sponsi frustra admoniti a matrimonio arceantur.

b. Si impedimentum oritur ex *sponsalibus cum tertia persona iinitis*, impedimentum deferri potest ad parochum, ut ipse rem componat; sed sufficit etiam, ut tertia persona de proclamato matrimonio moneatur. Quodsi ipsa matrimonio nihil opponit, signum est eam aut iure suo cedere aut saltem nolle matrimonium impedire.

4. *Ab obligatione impedimenta revelandi excusatur:*
a. qui ea revelare non potest sine suo vel aliorum gravi damno; *b.* qui revelationem inutilem fore iudicat; *c.* qui scit iam petitam fuisse dispensationem pro foro interno.

Is, qui *impedimentum novit sub secreto*, certo non excusatur si impedimentum novit *sub secreto naturali vel promisso*, at si impedimentum novit *sub secreto commisso*, non una est auctorum sententia. Communius docent etiam in casu secreti commissi manifestandum esse impedimentum, nisi ratione officii (medici, advocati, obstetricis, parochi etc.) illud commissum fuerit, item nisi ex revelatione sequatur gravis infamia ipsius committentis, qui non est unus ex contrahentibus, ut si mulier parochi committat se rem habuisse cum sponso sororis suae. Ratio *primi* est, quia ex servato secreto sequitur gravissimum damnum plerumque tertii innocentis; ratio *secundi* est, quia bonum commune, quod exigit hoc secretum, praeferendum est bono, quod ex manifestatione sequitur; ratio *terti* est, quia manifestatio cedit in damnum ipsius committentis secretum, ita ut idem ipse ad rem manifestandam non teneatur¹⁾.

Articulus secundus.

De assistentia parochi et testium.

§ 1. De parochi proprio.

153. Quis sit proprius parochus. Ut matrimonium validum sit, ex lege tridentina assistere debet *parochus proprius* unius saltem ex contrahentibus²⁾, atque id quidem ut *testis qualificatus* seu *autorizabilis* i. e. ab ecclesia deputatus.

1. Nomine *parochi* intelligitur, qui proprio nomine curam animarum actu exercet, etsi cura habitualis sit apud alium e. g. capitulum, vel parochiae nondum sint canonice erectae.

¹⁾ *Ballerini-Palmieri* VI. n. 582.

²⁾ *S. Officium* 2. maii 1877.

Ergo matrimonio assistere possunt: *a. Summus pontifex* in universa ecclesia; *b. nuntius apostolicus* intra fines nuntiaturae suae; *c. episcopus* (et vicarius generalis) in sua dioecesi et sede vacante vicarius capitularis; *d. parochus* in sua parochia: etenim hi omnes nomine proprio curam animarum actu exercent.

2. Parochus *proprius* is dicitur, in cuius parochia alteruter contrahentium domicilium aut quasi-domicilium habet. Si ergo sponsi ad diversas parochias pertinent, uterque parochus valide assistere potest¹⁾.

a. Si quis plura domicilia aut quasi-domicilia habet, quilibet eorum parochus valide assistere potest. Ex consuetudine loci quandoque fit, ut aut solus parochus sponsi aut solus parochus sponsae assistat; ab hac consuetudine tamen valor matrimonii non dependet.

b. Qui habitat in *confinibus duarum parochiarum*, ad illam parochiam pertinet, in qua domus aditum habet: etenim *ubi ianna ibi domus*. Quodsi domus duas portas in diversis parochiis habet, ad illam pertinet, in qua est porta principalis seu aditus magis frequentatus²⁾.

c. Si matrimonio non assistit ipse parochus proprius, ut validum sit matrimonium, *alium ad assistentiam delegare debet*, et quidem ut *valide* contrahant sponsi, si veniant ex loco, ubi non viget decretum tridentinum, contracturi in loco, ubi illud viget; et ut *licite* contrahant, si veniunt ex loco tridentino contracturi in loco exemto.

3. Parochus proprius matrimonio sui subditi *ubique valide* assistere potest; ut *licite* agat, indiget facultate parochi vel ordinarii illius loci, in quo celebratur matrimonium, quia in aliena ecclesia functiones sacras peragit.

Potest ergo parochus sponsi tum in domicilio vel quasi-domicilio sponsi, tum in domicilio vel quasi-domicilio sponsae, tum in alio quovis loco sive propriae sive alienae dioecesis matrimonio assistere. Idem de parocho sponsae dicendum est.

4. Matrimonio valide assistit parochus:

a. Cum primum nominatus est parochus, etsi nondum sit sacerdos sed solum clericus, et quamdiu manet parochus, etsi sit irregularis, suspensus, interdictus vel excommunicatus etiam vitandus, etsi episcopus id ei pro-

¹⁾ De domicilio et quasi-domicilio acquirendo vel amittendo cf. *De Principiis* n. 126 ss.

²⁾ Cf. *Ferraris*, Bibliotheca v. *Parochia* n. 37.

hibuerit, quia assistendo non exercet actum iurisdictionis, sed solum agit testem qualificatum.

b. Valide assistit etiam *parochus putativus*, qui parochus non est, sed errore communi talis esse putatur, modo habeat titulum coloratum; valide autem non assistit parochus *intrusus*, quia nec parochus nec a legitima auctoritate (etsi invalide) parochus nominatus est.

a. Num valide assistat parochus putativus, qui *nullum habet titulum coloratum*, auctores non conveniunt, quia non constat, utrum ecclesia in hoc casu suppleat iurisdictionem. In praxi matrimonium contractum coram parochus putativo non habente titulum coloratum pro foro externo haberi debet validum, sed ad cautelam procuranda est eius convalidatio¹⁾.

β. Parochus *intrusus* dicitur, qui absque superioris legitimi consensu ab auctoritate illegitima e. g. civili nominatus et institutus est. Hunc non posse matrimoniis valide assistere habemus ex declaratione s. sedis: „Quoniam intrusus minime est parochus legitimus neque ullum habet titulum seu verum seu coloratum, matrimonium coram eo contractum nullius certe roboris est²⁾).

154. De matrimoniis vagorum. 1. *Vagi* dicuntur qui nullibi nec domicilium nec quasi-domicilium habent. Distinguuntur *habitualiter* vagi, qui continuo carent domicilio aut quasi-domicilio, et *actualiter* vagi, qui eo quidem tempore, quo matrimonium contrahunt, domicilio carent, paulo antea vero illud habebant et postea iterum habituri sunt.

2. *Parochus proprius* vagorum est parochus, in cuius parochia actu versantur, coram quo valide contrahunt, licet alteruter tantum vagus sit, et licet domicilium relinquere, ut extra illud contrahere possint.

Iuxta sententiam, quam s. *Alphonsus* (n. 1089) vocat communem, vagi coram quolibet parochus, quem elegerint, valide contrahunt. Iuxta hanc sententiam, non solum parochus, in cuius territorio actu morantur, sed etiam quilibet alius necessariam delegationem ad assistendum eorum matrimonio dare potest. Huic tamen sententiae complures auctores tum veteres tum recentes contradicunt³⁾.

¹⁾ Cf. *Gasparri* n. 913.

²⁾ *Pius VI.* ad episcopos Galliae 26. sept. 1791.

³⁾ Cf. *Gasparri* II. n. 917.

3. Si *habitualiter* vagi sunt, parochus ex praescripto concilii tridentini prius diligentem inquisitionem de statu libero et de absentia cuiusvis impedimenti instituire et re ad ordinarium delata licentiam assistendi obtinere debet¹⁾.

4. *Actualiter* vagi, qui relicto domicilio antequam novum acquirant interim in aliqua parochia ad breve tempus morantur, absque licentia ordinarii coniungi possunt, dummodo ex consueto examine constiterit nullum obstare impedimentum²⁾.

In praxi tamen consulendum est, ut etiam, ubi agitur de actualiter vagis, ante celebrationem matrimonii ad ordinarium recurratur, etsi summo iure absque eius licentia matrimonium celebrari possit.

§ 2. De sacerdote delegato.

155. Condiciones ad delegationem requisitae. Vi decreti tridentini proprius parochus *delegare* potest alium, qui suo loco matrimonio assistat³⁾. Exponendae sunt condiciones, quae ad validam delegationem tum ex parte delegantis tum ex parte delegati tum ex parte ipsius delegationis requirantur.

1. *Delegare* possunt omnes, qui potestatem assistendi ordinariam habent: summus pontifex pro tota ecclesia, episcopus pro dioecesi, parochus pro parochia.

Subdelegare possunt: *a.* qui generalem delegationem habent; *b.* qui a summo pontifice delegati sunt; *c.* qui ad subdelegandum specialem facultatem acceperunt. Praestat, ut in particulari delegatione haec facultas semper addatur, ut pro casibus non praevisis consultum sit.

Num capellanus seu vicarius, qui ab episcopo vel a parochia generalem delegationem habet omnibus matrimoniis suae parochiae valide assistendi, *alium sacerdotem subdelegare possit*. — Cum delegatus sit ad universitatem causarum in hoc genere scilicet matrimonii, per se etiam subdelegare potest; in praxi tamen attendendum est ad locorum consuetudinem nec non ad statuta dioecesana.

¹⁾ *Concilium trid.* sess. 24. c. 7. De reform. matr.

²⁾ *Sanchez* l. 3. disp. 25. n. 8.

³⁾ *Concilium trid.* c. *Tametsi* 1. sess. 24. De reform. matr.

2. *Delegari* solum potest *sacerdos*, adeo ut delegatus, qui non sit sacerdos, valide non assistat: totum enim decretum tridentinum, quod expresse statuit, ut delegatus sit sacerdos, habet vim legis irritantis. Valide autem delegatur *quivis sacerdos* etiam alienae parochiae vel dioecesis, immo sacerdos irregularis, suspensus vel excommunicatus, quia tridentinum in delegato aliud non requirit, nisi ut sit sacerdos.

3. *Delegatio* debet esse: *a. Expressa*, sive in scriptis sive voce conceditur; quare nihil valet delegatio praesumpta vel superveniens rati habitio.

a. Sufficit *tacita* delegatio, qua nempe parochus praesens sciens alium sacerdotem omnia parare ad assistendum matrimonio non contradicit, quando id facile potest. Valet etiam delegatio *metu extorta*.

β. Haec delegatio, cum strictissimae interpretationis sit, valide extendi non potest de casu ad casum, sed valet solum de personis determinatis¹⁾.

b. *Nota delegato*; quia ergo delegatio, quae a delegato ignoratur, nihil prodest, ipsa delegato aliquo modo intimari debet.

c. *Delegatio potest esse generalis*, quoad omnia scilicet matrimonia, quae in aliqua parochia celebrantur. Eiusmodi delegationem generalem habet sacerdos, qui parochi diutius absentis vices vel parochiae vacantis curam gerit.

Recenti tempore per responsum S. C. C. 18. mart. 1893 approbatus est modus delegationis generalis, quo nempe parochi magnae alicuius civitatis sibi mutuo et aliis a se delegatis concedunt generalem facultatem assistendi matrimoniis eo fine, ut caveatur periculum nullitatis matrimonii eorum, qui factis iam proclamationibus domicilium mutant et nihilominus in prisca parochia sua contrahunt. Plures tamen a s. sede additae sunt restrictiones: *α.* hanc delegationem non permitti, nisi accedat ordinarii approbatio et delegatio una cum facultate subdelegandi; *β.* eam restringi ad solos parochos domicilii a sponsis relictis; *γ.* eam expirare, quando a die ultimae proclamationis (exclusive) elapsi sunt tot dies completi, quot iuxta statuta dioecesana requiruntur, ut denno fieri debeant proclamationes.

d. *Delegatio generalis* etiam in hunc modum valide concedi potest, ut nupturientibus fiat potestas contrahendi

¹⁾ *S. Officium* 2. aug. 1899.

coram quolibet sacerdote, at licita haec delegatio non est nisi ob iustam causam. In hoc casu sponsi aliquem eligere eique delegationem notificare debent.

α. *Num capellanus seu vicarius*, qui ab episcopo in aliquam parochiam ad exercendam curam auxiliarem mittitur, absque speciali delegatione parochi matrimoniis assistere possit, controversum est. Res inde pendere videtur, num ab episcopo ad exercendam curam universam eamque independentem, an vero dependentem a parochio mittatur. Censet *Lehmkuhl* in Germania capellanos speciali delegatione parochi indigere¹⁾.

β. Utrum delegatio morte concedentis expiret an eo defuncto adhuc maneat, valde controversum est²⁾. Cum tamen iuxta principium canonicum gratia facta morte concedentis non expiret, dicendum videtur hanc delegationem morte parochi concedentis non expirare, *quia est gratia facta*: est namque potestas alii in favorem tertii commissa tamquam executori necessario³⁾.

Nota. Etsi parochus sine iusta causa alium sacerdotem sibi substituere non debeat, quia iuri parochiali sine causa cedendum non est; necesse tamen non est, ut causa sit gravissima vel gravis, sed sufficit, ut sit rationabilis; sic ex usu nunc recepto parochus ex quavis rationabili causa licentiam assistendi alteri sacerdoti concedit⁴⁾.

§ 3. De testibus.

156. Qui et quomodo assistere debeant. Ut matrimonium validum sit, ex decreto tridentino saltem *duo testes* ei assistere debent.

1. Testes esse possunt omnes, qui de aliquo facto testificari possunt; ergo ad matrimonii validitatem nihil refert, sive testes sunt mares sive feminae, sive fideles sive infideles, sive consanguinei sive extranei, sive puberes

¹⁾ Episcopus passaviensis 4. oct. 1897 declaravit sacerdotes, qui curam auxiliarem in dioecesi exercent, eam dependentem a parochio exercere, ideoque sine speciali eius delegatione matrimoniis valide assistere non posse.

²⁾ Cf. *Lugo*, Responsa mor. l. 1. dub. 35.

³⁾ Cf. *De Principiis* n. 107 s.

⁴⁾ *Benedictus XIV.* constit. *Nimiam licentiam* 18. maii 1743 legittimam gravissimamque causam postulat; verum hoc statutum in praxim deductum non est.

sive impuberes, modo rationis usum habeant et de contracto matrimonio testari possint.

Quia parochus est testis praecipuus et qualificatus, concilium in aliis testibus peculiarem qualitatem non exigit. Attamen illicite adhibentur *testes acatholici*, ubi catholici haberi possunt¹⁾

2. Ut de matrimonio valide testari possint, requiritur omnium testium (parochi et aliorum) praesentia *a. physica*, ut scire possint, quid agatur; *b. simultanea*: cum enim de eodem actu fidem facere debeant, ei *simul* adesse debent; *c. formalis* i. e. contrahentes intentionem habere debent utendi eorum praesentia ad matrimonium celebrandum, quam intentionem oculis, nutu etc. sufficienter exprimere possunt, modo testes hanc intentionem advertant²⁾.

α. Ergo etiam is, qui casu adest, qui dolo, vi vel metu ad testificandum inducitur, valide testis esse potest, quod etiam de parcho valet. Cum enim aliud non requiratur, nisi ut testis sit, necesse non est, ut in functione *praesit* vel sponso *interroget*, sed sufficit ut *praesens* et a sponsis tamquam testis *adhibitus* sit i. e. ut sponsi explicite vel implicite velint eum esse testem matrimonii, quod contrahunt.

β. Ergo etiam caecus, modo ex contrahentium verbis, et surdus, modo ex contrahentium signis cognoscat, quid agatur, valide testis esse potest; qui autem surdus et simul caecus est, valide assistere nequit.

γ. Parochus, qui contrahentes sive ob caecitatem sive ob aliam causam non *videt*, valide assistit, modo contrahentium consensum audiat eorumque voces cognoscat.

Articulus tertius.

De ipsa celebratione matrimonii.

Ad matrimonii celebrationem aliud ex parte contrahentium, aliud ex parte parochi requiritur.

157. Ex parte contrahentium requiritur. 1. Ut matrimonium *in ecclesia* cum ritu sacro ab ecclesia praesentem

¹⁾ *S. Officium* 19. aug. 1891 statuit, „non esse adhibendos (haereticos); posse tamen ab ordinario tolerari ex gravi causa, dummodo non adsit scandalum“

²⁾ *Ballerini-Palmieri* VI. n. 859.

scripto contrahant: matrimonium enim sine ritu sacro extra ecclesiam inire, nisi impossibilitas et necessitas excusent, pro iis, qui non arcentur, grave peccatum est.

2. *Ut in statu gratiae sint*, quia sacramentum vivorum suscipiunt; ideo statuta particularia quandoque praescribunt, ut matrimonio praemittatur confessio; lege tamen universali non praecipitur, ut potius per confessionem quam per contritionem perfectam statum gratiae sibi comparent: concilium enim tridentinum solum *hortatur* sponso, ut ante matrimonium confiteatur¹⁾.

Non peccat: *a.* qui matrimonium contrahit cum comparte, quam novit esse in statu peccati mortalis: materialem enim hanc cooperationem excusat notabilis utilitas, quam ei affert matrimonium²⁾.

Nec peccat *b.* qui sacramentum matrimonii administrat comparti indignae, quia non tenetur cavere, ne sacramentum administraretur indigno: non enim agit personam publicam, quae vi muneris sui attendere debet ad dispositiones recipientis, sed est persona privata celebrans contractum, quae vi muneris solum attendit ad utilitatem propriam³⁾.

3. *Ut benedictionem nuptialem accipiant*: etsi enim ecclesia eam nupturientibus *non praecipiat*, enixe tamen desiderat, ut eam petant et accipiant.

Nomine *benedictionis nuptialis* designantur tres orationes, quae in missa pro sponsis in missali habentur, quarum duae post *Pater noster*, tertia vero post *Ite missa est* vel *Benedicamus Domino* super sponso recitantur. Cum benedictio nuptialis a missa pro sponsis separari nequeat, monendi sunt nupturientes, ut nuptias mane celebrent, quando missa dici potest.

158. Ex parte parochi requiritur: *a.* ut *assistentiam* exhibeat; *b.* ut *ritum matrimoniale* peragat.

De assistentia. Distinguitur assistentia *activa*, qua parochus ritum sacrum in ecclesia peragit, et assistentia *passiva*, qua parochus absque ullo ritu sacro extra ecclesiam matrimonio intervenit.

¹⁾ Sess. 24. c. 1. De reform. matr.

²⁾ Cf. *De Praeceptis* n. 118.

³⁾ Cf. *Lugo*, De sacram. in genere disp. 8. sect. 14. n. 230.

a. Assistentia *activa* continet vestem sacram, copulationem cum suis orationibus, missam cum benedictione, locum sacrum: cum ergo plura contineat, magis et minus plena atque perfecta esse potest. Quamvis ad assistentiam mere *passivam* id solum pertineat, ut parochus consensum audiat seu excipiat, assistentia tamen nondum fit activa eo, quod ipse partes de consensu interroget eumque excipiat vel etiam monitionem de vinculo matrimoniali addat.

b. Si matrimonium extra ecclesiam contrahendum est, iniri debet *in loco decenti*, ut est sacristia (alii sacristiam tamquam ad ecclesiam pertinentem considerant) oratorium privatum, domus parochialis.

1. Si nupturientes sunt *in statu peccati*, parochus sine iusta causa assistere nequit, tum quia eorum sacrilegio cooperatur, tum quia ex officio salutem suorum parochianorum procurare eorumque peccata impedire debet.

Assistere potest et debet, tum si solum ex confessione novit sponso esse in statu peccati, tum si solum ob occultum peccatum vel occultam censuram indigni sunt: primum, ne laedat sigillum, alterum, ne laedat eorum famam.

2. Si nupturientes sunt *publici peccatores vel notorie excommunicati*, per se non est exhibenda nisi assistentia passiva; attamen ad cavenda maiora mala ordinarii in casibus particularibus id statuere possunt, quod magis expedire iudicaverint¹⁾. Possunt ergo activam assistentiam permittere excluso tamen missae sacrificio et sollemni benedictione, immo si adiuncta id exigant, etiam missae celebratio et sollemnis benedictio concedi potest²⁾.

Si nupturientium una pars est catholica, altera fide abiecta nulli sectae religiosae adhaeret, res deferenda est ad episcopum, qui inspectis omnibus casus adiunctis permittere poterit, ut parochus passive matrimonio intersit, dummodo cautum sit catholicae educationi universae prolis³⁾.

159. *Ritus matrimonialis* duo complectitur: *a.* copulationem; *b.* benedictionem nuptialem.

¹⁾ *S. Officium* ad episcopos Brasiliae 5. iul. 1878.

²⁾ *S. Officium* 25. maii 1897.

³⁾ *S. Officium* 25. maii 1897.

Ritus matrimonialis, qui habetur in Rituali romano¹⁾, non est praeceptivus, quare observari possunt laudabiles provinciarum consuetudines iuxta ritualia dioecesana²⁾.

a. *Copulatio* seu coniunctio sponsum per se fieri debet publice *in ecclesia*³⁾; in oratoriis vel in domibus privatis solum de licentia episcopi fieri potest.

b. Parochus utrumque contrahentem *interrogare* debet de consensu, ut testes de contracto matrimonio fidem facere possint. Interrogationis omissio venialis est.

c. Intellecto consensu sponsum copulare debet his vel similibus verbis iuxta receptum provinciae usum: *ego vos in matrimonium coniungo in nomine P. et F. et Sp. s.* Horum omissio pariter veniale non excedit.

Benedictio annulli, quae est sacramentale, non est omittenda.

160. Peracta copulatione sponsum, si nihil obstat, *benedictionem nuptialem* impertiri debet.

a. Benedictio nuptialis, ubi ex praescripto ecclesiae licet, semper concedenda est, si sponsa eam nondum accepit, sive haec virgo sive vidua sive deflorata est, etsi sponsus sit viduus et benedictionem iam semel acceperit.

b. Benedictio nuptialis concedenda non est in his casibus:

α. Si sponsa vidua est et benedictionem iam accepit.

β. Si nuptiae tempore clauso, etsi permittente episcopo, celebrantur.

γ. Si matrimonium mixtum, etsi cum dispensatione summi pontificis, contrahitur. •

c. Missa votiva pro sponsum solum propter benedictionem nuptialem dici potest, quare haec missa dici nequit, ubi benedictio non conceditur, etsi per rubricas missa votiva dici posset.

¹⁾ *Rituale rom.* tit. 7. c. 2.

²⁾ *Concilium trid.* sess. 24. c. 1. De reform. matr.

³⁾ Constit. Benedicti XIV. *Satis vobis.*

Articulus quartus.

De celebratione matrimonii mixti.

161. De assistentia licita. 1. De iure communi parochus non licet praestare nisi *assistentiam passivam*, etsi necessariae cautiones exhibitae fuerint. Ubi tamen ex negata assistentia activa gravia incommoda timenda sint, episcopus prudenti suo iudicio usum assistentiae activae tolerare potest; exclusa semper missae celebratione cum benedictione nuptiali¹⁾).

a. Activa assistentia ideo potissimum interdicitur, ut fideles iugiter moneantur, ecclesiam matrimonia mixta detestari eamque fideles ab iis contrahendis nunquam non avertere ac deterrere.

b. Ubi assistentia activa permittitur, non solum missa votiva *pro sponsis* excluditur, sed etiam quaevis alia, quae tamquam ceremoniae matrimonialis complementum habeatur²⁾). Licet autem matrimonium in ecclesia celebrare, superpelliceo et stola uti et aliquem ritum sacrum adhibere e. g. benedictionem sponsorum, qualis in ritualibus dioecesanis haberi solet. Ambitum huius assistentiae activae determinare debet episcopus.

2. In matrimoniis mixtis *illicitis*, in quibus nempe necessariae cautiones exhibitae non sunt, ne assistentia passiva quidem praestari licet: parochi enim et testium assistentia esset cooperatio ad actionem graviter malam. In nonnullis tamen regionibus ut in *Austria* tolerat s. sedes ad maiora mala vitanda, ut parochus eiusmodi matrimoniis materiali tantum praesentia intersit³⁾).

a. Mala, ad quae praecavenda s. sedes assistentiam tolerat, sunt: α . ut procuretur matrimonii validitas, quod alias in locis tridentinis invalidum esset; β . ne excitentur haereticorum querimoniae et odia adversus fideles et ecclesiam; γ . ne sponsi adeant ministrum haereticum ad sacrilegam benedictionem obtinendam neve coram magistratu civili contrahant. Hac concessione uti non licet nisi in locis, pro

¹⁾ *Instructio*, quae *Antonelliana* dici solet, iussu *Pii IX.* ad omnes episcopos 15. nov. 1858 edita.

²⁾ *S. Officium* 17. ian. 1877.

³⁾ *Instructio* iussu *Gregorii XIV.* 30. apr. 1841 edita, cui adiectum est breve eiusdem s. pontificis 22. maii 1841.

quibus data est; sed occurrente eiusmodi casu recurrendum est ad ordinarium, qui et ipse, si tempus id permittit, recurrere debet ad s. sedem. Immo in ipsis locis, pro quibus haec passiva assistentia admittitur, parochus consulat ordinarium, priusquam matrimonio assistat.

3. De iure communi omittendae sunt *proclamations* huius matrimonii, ne fideles scandalum sumant neve eorum horror erga haec matrimonia minuatur. Ubi tamen activa parochi assistentia permittitur, vel proclamations absque incommodo omitti nequeunt, ipsae fieri (praetermissa religionis nupturientium mentione) et de factis litterae testimoniales concedi possunt¹⁾.

162. De adeundo ministro haeretico²⁾. *a.* Ministrum haeticum tamquam officialem civilem adire sive ante sive post matrimonium contractum ob gravem causam licet, ubi e. g. lex civilis id praecipit ad actum civilem implendum.

b. Ministrum haeticum tamquam ministrum sacrum ad celebrandum matrimonium adire non licet, et qui id faciunt, graviter peccant ratione prohibitionis ecclesiasticae, scandali et vetitae communicationis in sacris, et insuper *excommunicationem incurrunt* ut haeticis credentes.

c. Si nupturientes declaraverint se velle postea etiam coram ministro haeretico contrahere, parochus non potest eorum matrimonio assistere.

Quodsi parochum adeant, postquam coram ministro haeretico iam contraxerunt, parochus matrimonio assistere nequit, nisi, praestitis cautionibus, pars catholica facti poenitens a commisso peccato et a contracta censura prius absolutionem obtinuerit.

d. Si parochus interrogetur a sponsis, num liceat adire ministrum haeticum, vel si certo sciat eos illum adituros esse, non potest silere, sed sponso de gravi ecclesiae prohibitione et de censuris monere debet, et si in proposito persistent, non potest ullam assistentiam praebere.

¹⁾ Cf. instructio ad episcopos Bavar. 12. sept. 1834; *s. Officium* 4. iul. 1874.

²⁾ Huc pertinet duplex instructio *s. Officii* 17. febr. 1864 ad episcopo regni hannoveriani et 12. dec. 1888 ad episcopos rituum orientalium.

e. Si parochus a sponsis non interrogetur nec ipse certo sciat eos adituros esse ministrum haereticum, ad graviora mala vitanda de prohibitione ecclesiae silere et passivam assistentiam exhibere potest.

In nostris tamen regionibus vix evenire potest, ut parochus de vetito accessu ad ministrum acatholicum silere possit, quia promissio nupturientes nec ante nec post adituros esse ministrum acatholicum ad condiciones pertinet, sub quibus dispensatio a mixta religione conceditur.

Quaestio septima.

De revalidatione matrimonii.

163. Declarationes. *Revalidatio* matrimonii est ille actus, quo matrimonium eousque invalidum redditur validum: si enim contractus hucusque invalidus valorem accipit, revalidari dicitur. Duplex distinguitur matrimonii revalidatio, altera per dispensationem seu *modo ordinario facta*, altera per *sanationem in radice*.

Quandoquidem per matrimonii revalidationem sacramentum administratur et recipitur, quantum fieri potest, curari debet, ut coniuges sint in statu gratiae, quando matrimonium revalidatur i. e. quando renovatur consensus aut applicatur sanatio.

Quid confessario agendum sit, quando advertit aliquod matrimonium esse invalidum. — Cavere debet, ne incaute statim matrimonii nullitatem declaret.

1. Si coniuges *in bona fide* sunt et ex declarata matrimonii nullitate maiora mala sequerentur, in bona fide relinquiendi sunt.

Id observari debet, non solum ubi impedimentum, quod detegitur, occultum et indispensabile est, ideoque coniuges nec sine scandalo separari nec sine periculo peccandi cohabitare possunt, sed etiam ubi de impedimento occulto et dispensabili agitur: moraliter enim sperari

non potest putativos coniuges matrimonio non esse usuros, quare monitio id efficeret, ut ex peccatoribus materialibus formales fierent.

2. Si matrimonii nullitas *utrique nota est*, revalidatio autem *obtineri nequit*, coniuges omnino separandi sunt. Quenam autem separatio urgenda sit, ex adiunctis dependet; scilicet:

a. Si nullitas matrimonii iuridice probari potest, per sententiam iudicis ecclesiastici perfecte separandi sunt.

b. Si nullitas matrimonii iuridice probari non potest et ex cohabitatione oritur incontinentiae periculum, sub specie divortii a toro et cohabitatione separandi sunt.

c. Si ex cohabitatione non oritur incontinentiae periculum, sufficit, ut a communi toro separentur et tamquam frater et soror cohabitent.

3. Si matrimonii revalidatio *obtineri potest*, ea procurari debet; interim vero, donec matrimonium obtenta dispensatione revalidari possit, haec servanda sunt:

a. Si matrimonii nullitas *publice nota est*, coniuges a toro et cohabitatione separandi sunt, donec obtineatur impedimenti dispensatio.

b. Si matrimonii nullitas *utrique parti tantum nota est*, et ex cohabitatione non oritur peccandi periculum, sufficit, ut a toro separentur; quodsi existit peccandi periculum, sub aliquo praetextu e. g. itineris etiam a cohabitatione separari debent.

c. Si matrimonii nullitas *uni tantum parti nota est*, haec compartem, si fieri potest, monere debet, ut ab usu matrimonii absteat; si eam monere non potest, sub aliquo praetextu a debito reddendo, etiam sub quocunque incommodo, abstinere debet, quia copula, utpote fornicaria, prorsus illicita esset.

Casus iste in praxi maximam difficultatem afferre potest. Cum enim parti consciae impedimenti non liceat debitum reddere, facile accidere potest, ut debitum, quod a comparte impedimenti ignara petitur, sine gravissimo incommodo recusari non possit. Et si quidem consilia, quae in eiusmodi adiunctis ab auctoribus suppeditantur — ut pars impedimenti conscia sub aliquo praetextu, salva tamen veritate, a comparte se separet e. g. iter instituendo, ut compartem de nulli-

tate matrimonii doceat, — si haec inquam consilia iniri possunt, pars impeditenti conscia ad ea arripienda tenetur. Quodsi absque gravissimo incommodo nihil horum fieri potest, ex probabili quorundam sententia cessat impedimentum, quia lex positiva, etsi irritans, non obligat cum tanto incommodo. Ablato iam impedimento pars eius conscia ad convalidandum matrimonium consensum renovare et debitum reddere potest. Manet tamen obligatio petendi ad cautelam dispensationem¹⁾.

d. Si matrimonii nullitas *neutri parti* nota est et motio obfutura praevidetur, relinquendi sunt in bona fide, donec obtineatur dispensatio et matrimonium convalidari possit.

Articulus primus.

De revalidatione ordinaria.

Pro diversa ratione, ob quam matrimonium invalidum est, diversus est etiam modus illud revalidandi. Iam vero matrimonium invalidum esse potest: *a.* propter defectum consensus; *b.* propter defectum formae tridentinae; *c.* propter impedimentum dirimens, quod contrahentes inhabiles reddit.

164. De revalidatione ob defectum consensus. Si matrimonium invalidum est propter defectum consensus, sive quod ficte aut ex errore aut ex metu consensus exhibitus fuit, aliud ad eius convalidationem non requiritur, nisi ut novus consensus vel ex utraque parte vel saltem ex una parte formaliter exhibeatur et quidem:

1. Si consensus ex *utraque parte* defuit, ab utraque parte formaliter exhiberi debet ac si primo contraheretur matrimonium.

2. Si consensus *ex una parte* tantum defuit, haec certe illum supplere debet, et quidem si altera pars sine incommodo de nullitate matrimonii moneri potest, id sane faciendum est, ut melius constet consensum ex altera

¹⁾ Cf. *Lehmkuhl* II. n. 826. *Ballerini-Palmieri* VI. n. 307.

parte adhuc perdurare; sed si altera pars sine difficultate moneri non potest, sufficit, ut una pars consensum suum addat alterius consensui, qui initio verus et validus erat et moraliter adhuc perdurat¹).

a. Sunt, qui renovationem consensus *ex utraque parte* exhibendam etiam in hoc casu necessariam dicant, sed immerito: matrimonium enim sequitur naturam contractus: ad valide autem contrahendum non requiritur, ut utraque pars simul actu consensum eliciat, sed sufficit, ut unius consensus adhuc moraliter perduret, quando alter consensum formaliter elicit. Id confirmatur etiam ex praxi hodie ab ecclesia probata.

b. Illud autem omnino requiritur, ut *consensus sit externus*, ideoque signo aliquo exprimatur; exprimi autem potest vel verbis vel factis scilicet cohabitatione vel copula coniugali cum intentione habita consentiendi in matrimonium.

c. Si consensus initio praestitus *ab altera parte retractatus* est, matrimonium solum per utriusque consensum convalidari potest. Verum ut consensus retractatus censeatur, requiritur actualis revocatio per actum positivum voluntatis; non sufficit revocatio *interpretativa* seu animi dispositio, qua consensus revocaretur, si nullitas matrimonii cognita esset.

165. De revalidatione ob defectum formae. 1. Si matrimonium invalidum est, quia *clandestine* contractum fuit, aut convalidandum est in loco, ubi viget decretum tridentinum, aut in loco, ubi illud non viget. Si *primum*, consensus absque ulteriore dispensatione renovari debet in forma tridentina, nisi ab hac lege obtineatur dispensatio, quae valde raro conceditur. Si *alterum*, ad validitatem quidem sufficit, ut post cognitam matrimonii nullitatem novus consensus verbis vel aliis signis exprimatur, ad liceitatem autem requiritur praesentia parochi et testium, nisi obtineatur dispensatio.

Ergo matrimonium ob solam clandestinitatem invalidum convalidatur in loco, ubi non viget lex tridentina, eo quod coniuges matrimonii *nullitatem cognoscentes* vitam coniugalem continuant animo coniugali: signis enim, etsi non verbis, validum consensum ponunt. At si coniuges matrimonii *nullitatem ignorantes* vitam coniugalem con-

¹) C. Insuper 4 *Qui matrim. accusare possunt.* (IV. 18). C. Propositum 1 *De eo, qui duxit* (IV. 7).

tinuant, matrimonium non convalidatur: ad convalidandum enim matrimonium requiritur consensus novus a priore distinctus; atqui per vitae coniugalis continuationem renovatur quidem implicite prior consensus moraliter adhuc perdurans, at non ponitur novus a priore vitiato distinctus. De hac resolutione iam dubitari nequit, cum *S. Officium* 31. aug. 1887 coniugibus in hoc casu potestatem fecerit ad alias nuptias transeundi, praevio iuramento, quo declaretur, matrimonium non fuisse ab iisdem illius nullitatem scientibus ratificatum in loco, ubi tridentinum non vigeat.

2. Si nullitas matrimonii *publice nota* est et contra-hentes non renuunt publice se sistere coram parochi et tēstibus, consensus publice renovari debet ad removendum scandalum; quodsi nullitas matrimonii *occulta* est, sufficit, ut coram parochi et duobus testibus secreto renovetur consensus ad praecavendam coniugum infamiam.

Publicitas renovationis maior minorve esse potest. Supremus gradus publicitatis habetur, si praemissis consuetis proclamationibus renovatio fit palam in ecclesia coram parochi et testibus. Et haec quidem publicitas per se necessaria est, ubi nullitas matrimonii notoria evasit. Si tamen sufficientes rationes minorem publicitatem suadent, peti potest dispensatio a proclamationibus et renovatio consensus fieri potest vel in aedibus parochialibus vel in domo sponsorum coram parochi nulla veste sacra induto et duobus testibus, qui revalidationem, si opus fuerit, promulgare poterunt.

3. Si aut utraque aut alterutra pars adduci nequit, ut ad renovandum consensum coram parochi et testibus compareat, in hunc modum agendum est:

a. Si *una pars* tantum renuit comparere coram parochi et testibus, curandum est, ut ea per procuratorem vel epistolam directam ad eum, qui de iure matrimonio assistit, consensum suum coram parochi et testibus exprimat; quodsi ne istud quidem obtineri possit, sanatio matrimonii in radice petenda est, modo constet, consensum matrimonialem non fuisse revocatum.

b. Si *utraque pars* renuit comparere coram parochi et testibus, nihil fieri potest, nisi quod preces pro aeterna eorum salute fundantur: pro iis enim, qui in leges ecclesiae contumaces sunt, non est petenda gratia dispensationis seu sanationis in radice.

c. Si una vel utraque pars solum renuit *pergere ad ecclesiam*, at non renuit consensum renovare coram parrocho et testibus, coniungendi sunt in domo sua vel in alio loco, ad quem pergere parati sunt.

166. De revalidatione ob defectum habilitatis. Si matrimonium invalidum est propter impedimentum dirimens, obtenta prius dispensatione ab impedimento, si hoc lapsu temporis non cessat ex se ut impedimentum raptus, ligaminis etc., matrimonium in hunc modum convalidatur.

Supponitur impedimentum esse occultum: etenim si impedimentum publicum est, consensus ab utraque parte renovari debet coram parrocho et testibus.

1. *Renovari debet consensus*, et quidem ab utraque parte, sive utraque pars sive una tantum impedimentum cognovit: nam si utraque pars impedimentum cognovit, ex omnium sententia prior consensus invalidus ideoque renovandus est. Si una tantum pars impedimentum cognovit, huius consensus ab omnibus dicitur invalidus atque renovandus; sed affirmari debet etiam alterius consensum fuisse invalidum propter legem ecclesiae irritantem consensum eius, qui cum impedimento dirimente contrahit: quare etiam huius consensus renovari debet. Etenim si unus tantum consensum renovat et huius novus consensus accedit ad consensum alterius virtualiter perdurantem, non efficitur matrimonium, cum istius consensus ad hoc sit ineptus.

2. *Elici debet consensus novus a priore independens*: etenim si tantummodo prior consensus renovatur, non sufficit ad efficiendum verum matrimonium, cum ille sit invalidus. Quam ob rem altera pars de nullitate matrimonii moneri debet: si enim nullitatem matrimonii non cognoscit, non elicit novum consensum, sed solummodo ratum habet priorem.

a. Ideo ss. congregationes in rescriptis dispensationis ab impedimento dirimente olim exigebant, non solum ut renovaretur consensus, sed etiam ut altera pars de nullitate matrimonii certior redderetur. Attamen ubi magna est difficultas certiorandi alteram partem de nulli-

tate matrimonii, congregationes nunc solam renovationem consensus exigunt *iuxta regulas a probatis auctoribus traditas.*

b. Varios modos ab auctoribus propositos renovandi consensum cum altera parte, quae nullitatem matrimonii ignorat nec de ea moneri potest, ad sex revocat s. *Alphonsus*, quorum nonnisi tres sequentes tamquam aptos et sufficientes admittit:

α. Pars nullitatis conscia alteri dicat: „*Non habui verum consensum, quando matrimonium contraxi; novum nunc praestare volo, vis et tu praestare?*“

β. Vel dicat: „*Timeo, ne nostrum matrimonium sit nullum, ideoque renovemus consensum.*“

γ. „Si accedat copula maritali affectu habita ex parte coniugis conscii impedimenti, intendendo sic exprimere novum consensum ad matrimonium de novo contrahendum“¹⁾. Verum addit s. *Alphonsus*, hunc modum tunc tantum adhiberi posse, quando alii impossibiles sunt et insuper imminet periculum gravis damni.

c. Iuxta priores modos pars impedimenti ignara saltem in genere de nullitate matrimonii certior redditur; iuxta tertium vero de nullitate matrimonii ne suspicionem quidem habet. Multi auctores hunc tertium modum prorsus insufficientem declarant, quorum sententia confirmatur decisione s. *Officii*, quod 8. martii 1899. potestatem fecit transeundi ad alias nuptias mulieri non baptizatae, quae cum haeretico matrimonium contraxerat ob disparitatem cultus invalidum et postquam baptismum susceperat per aliquod tempus adhuc in matrimonio vixerat, sed postea viro catholico nubere cupiebat. Hanc licentiam s. congregatio dedit sub condicione praevii iuramenti, quo declararetur matrimonium post baptismum mulieris ab his coniugibus, scientibus illius nullitatem, ratificatum non fuisse in loco, ubi matrimonia clandestina vel mixta valida habentur.

167. Corollaria. Ex his pro praxi statuenda sunt, quae sequuntur:

1. Si nullitas matrimonii *utrique parti nota est*, utraque consensum formaliter exprimere debet.

2. Si nullitas matrimonii *uni parti nota est* et altera de ea sine incommodo *moneri potest*, vel si certioratio praescribitur, id fieri debet, ut ambo simul consensum renovent.

3. Si nullitas matrimonii *uni parti nota est* et altera de ea *moneri non potest* sine gravis damni periculo, sive

¹⁾ *S. Alphonsus* n. 1117.

quia vehementer tristaretur sive quia in cognitionem criminis veniret, propter quod matrimonium invalidum est, sive quia in matrimonium amplius non consentiret, ubi eius invaliditatem cognosceret, petenda est dispensatio in radice, aut matrimonium convalidandum est iuxta modos supra expositos.

Ut convalidatio certa sit, requiritur, ut pars ignara impedimenti nullitatem matrimonii saltem in genere cognoscat, etsi rationem nullitatis ignoret. Ideo modus convalidandi matrimonium primus et alter supra expositus certe sufficit. Quodsi pars ignara de nullitate matrimonii ne in genere quidem moneri potest, quin gravia incommoda timeantur, monitio omittenda et consensus a parte impedimenti conscia explicite, ab alia parte autem implicite per usum matrimonii renovari debet. Renovatio in hoc casu non est quidem certa, attamen in casu necessitatis etiam probabilis sufficere potest. Ceterum in hoc casu peti potest sanatio matrimonii in radice.

168. Num convalidandum sit in forma tridentina.

In hoc duplici casu, quo matrimonium invalidum est ob defectum consensus vel ob inhabilitatem contrahentium, supponitur matrimonium initio initum fuisse servata forma tridentina, ubi viget *c. Tametsi*; iam quaeritur:

Num consensus nihilominus renovandus sit in forma tridentina.

1. Si nullitas matrimonii *publice nota* est vel nota fieri praevidetur, etsi matrimonium in facie ecclesiae contractum fuerit, publice coram paroco et testibus renovandus est consensus: finis enim, quem ecclesia praescribens formam tridentinam intendit, obtineri non potest, nisi in facie ecclesiae renovetur consensus. Ecclesia nempe impedire voluit, ne coniuges contracto matrimonio comparitem relinquere et aliud matrimonium inire possent.

Si tamen putativi coniuges aegre adduci possunt, ut denuo publice contrahant, episcopus a proclamationibus dispensare et concedere potest, ut consensus occulte coram paroco et duobus testibus renovetur. Attamen ad removendum scandalum opportune divulgari debet matrimonium fuisse convalidatum.

2. Si nullitas matrimonii, quod in facie ecclesiae contractum fuit, *occulta* est, non est necesse, ut consensus re-

novetur coram paracho et testibus, sed sufficit, ut privatim inter solos contrahentes fiat. Cum enim matrimonium in facie ecclesiae celebratum fuerit, iam obtineri potest finis ab ecclesia intentus, cum formam tridentinam praescriberet; quare necesse non est, ut denuo in facie ecclesiae celebretur.

Articulus secundus.

De sanatione in radice.

169. Declaratio. 1. Sanatio in radice est illa revalidationis species, qua matrimonium hucusque invalidum sine novo consensu redditur validum et simul omnes nullitatis eius effectus auferuntur, ac si ab initio validum fuisset, eo quod removetur impedimentum, quod consensum initio praestitum vitiaverat.

α. Primum exemplum matrimonii in radice sanati sub *Bonifacio VIII.* († 1303) occurrit; postea frequentius matrimonia irrita hac via revalidantur, praesertim ubi multa simul matrimonia invalida convalidanda sunt.

β. Potestas matrimonium in radice sanandi soli competit romano pontifici, attamen nunc temporis etiam episcopis, praesertim in regionibus missionum, speciali indulto conceditur haec potestas, „quando comperitur adfuisse impedimentum dirimens, super quo ex apostolicae sedis indulto dispensare ipsi possint, magnumque fore incommodum requirendi a parte innoxia renovationem consensus“.

α. Sanatio matrimonii in radice ita intelligenda est. Radix matrimonii sananda est consensus. Iam vero propter impedimentum dirimens, quod obstabat ab initio, consensus invalidus erat, qui consensus invalidus adhuc perdurat. Iam summus pontifex per dispensationem aufert legem consensum irritantem, qua sublata consensus initio invalidum sanat et aptum reddit ad efficiendum validum matrimonium. Dispensatio ordinaria non versatur circa consensum, sed solum aufert legem irritantem, qua sublata putativis coniugibus datur potestas eliciendi novum eumque validum consensum; dispensatio autem in radice versatur circa consensum ab initio invalidum, quem ablata lege irritante facit validum. Insuper per eundem actum sanationis summus pontifex vult, ut matrimonium quoad effectus iuridicos ita habeatur, ac si ab initio validum fuisset.

b. Tria igitur efficit haec sanatio: α . tollit per dispensationem impedimentum, quod ab initio matrimonio obstabat; β . sanat consensum in principio praestitum et adhuc perdurantem; γ . tollit effectus iuridicos matrimonii hucusque invalidi, praesertim illegitimitatem prolis.

c. Ex his patet duplex potissimum esse discrimen inter utramque revalidationis speciem: α . sanatio in radice novum consensum proprie et necessario non requirit, in revalidatione autem ordinario modo facta novus consensus formaliter exhiberi debet; β . sanatio in radice suos effectus extendit etiam ad tempus praeteritum, revalidatio ordinaria autem solum ad tempus futurum. Quamobrem dici solet: per sanationem in radice matrimonium incipit valere *ex tunc* i. e. ex eo tempore, quo matrimonium invalide contractum fuit; per revalidationem ordinariam autem matrimonium incipit valere *ex nunc* i. e. ex eo tempore, quo revalidatio locum habet. Ubi tamen notandum est per sanationem in radice matrimonium quoad effectus quidem considerari ut validum ex tunc, ipsum autem matrimonium revera validum esse solum ex nunc, etsi vi primi consensus.

2. Sanatio in radice duplici modo fieri potest, vel ita ut renovatio consensus exigatur vel sine renovatione consensus. Ex usu ecclesiastico quidem sanatio sine renovatione fieri solet, praesertim ubi putativi coniuges nullitatem sui matrimonii ignorant nec de ea moneri possunt; nihilominus s. pontifex quandoque praecipit renovationem consensus in poenam, ubi scilicet una pars tempore celebrationis mala fide egit. Quodsi novus consensus praescribitur, is ad valorem matrimonii necessarius est.

Ex his patet sanationem matrimonii etiam *in scia utraque parte* fieri posse et reipsa fieri, quoties ex monitione damnum timetur: ex parte enim coniugum nullus actus ad sanationem requiritur.

170. Quatuor condiciones requiruntur, ut sanatio in radice fieri possit:

1. Ut impedimentum, quod validitati matrimonii a principio obstabat, sit *iuris ecclesiastici*: in alio enim ecclesia dispensare ac proinde consensum vitiatum sanare nequit.

Hinc matrimonium propter impedimentum iuris divini vel iuris naturalis e. g. ligaminis invalidum convalidari non potest per sanationem, etsi impedimentum e. g. ligaminis per mortem prioris con-

ingis iam cessasset: consensus enim iure naturali vel divino invalidus insanabilis est. Quare matrimonium iure naturali vel divino invalidum solum per novum consensum inter personas modo habiles revalidari potest.

2. Ut in principio *consensus verus* datus sit: sanatur enim radix matrimonii seu consensus; sed sanari non potest, quod nullo modo existit.

a. Si una tantum pars verum consensum dedit et bona fide putat matrimonium esse validum, eius consensus sanari potest: altera autem pars consensum renovare debet. Si uterque coniux sciens nullitatem matrimonii mala fide contraxit, matrimonium in radice sanari non potest, quia nullus aderat verus consensus.

b. Etiam *matrimonium civile* ex iusta causa in radice sanari potest et de facto existente gravi causa sanari solet, modo ab initio verus consensus matrimonialis datus sit. Attamen matrimonium civile initum in locis, ubi promulgatum est c. *Tametsi*, vix unquam in radice sanatur.

Praeter gravem concedendae sanationis causam duo in hoc casu requiruntur: ut in contrahendo matrimonio civili verus consensus matrimonialis adfuerit et non solum intentio ineundi illicitam coniunctionem seu vivendi in concubinato; deinde ut in casu concessae dispensationis absit scandalum, quod aberit, si ignotum sit matrimonium civile tantum contractum fuisse.

3. Ut consensus in principio datus *ex utraque parte perduret*: matrimonium enim per sanationem incipit esse validum; sed validum matrimonium incipere non potest nisi per mutuum consensum; at consensus in sanatione non renovatur; ergo saltem perdurare debet.

a. Quaestio autem utrum consensus virtualiter perdurare debeat, an vero sufficiat, si habitualiter tantum perduret, videtur esse inutilis: nam in coniugibus, qui cohabitant et vitam matrimonialem agunt, certe virtualiter perdurat. Hinc a. dolor de matrimonio inito semel conceptus vel etiam saepius iteratus sanationi non obest. β. Pariter intentio interpretativa discedendi non obest durationi consensus requisitae; sed solum positiva voluntas solvendi matrimonium. γ. Matrimonium sanari non potest utroque vel alterutro coniugum defuncto; nihil autem impedit, quominus defunctorum coniugum matrimonium sanetur quoad effectus iuridicos, praesertim quoad legitimitatem prolis.

b. Si matrimonium ex utraque parte ab initio bona fide contractum fuit et deinde coniuges detecto impedimento contra conscientiam in matrimonio perseverarunt, matrimonium nihilominus in radice sanari potest, modo consensus initio datus adhuc perduret.

4. Ut adsit *causa proportionate gravis*: etsi enim sanatio valeret, quam summus pontifex sine causa concederet, ad dispensationem tamen licite concedendam requiritur causa, quae eo gravior esse debet, quo maior est gratia, quae hac dispensatione conceditur.

In quadruplici casu adest causa satis gravis, adeoque in hoc quadruplici casu peti potest sanatio in radice:

α. si una pars ad renovandum consensum adduci nequit et nihilominus in matrimonio vult permanere;

β. si uni tantum parti nota est nullitas matrimonii, quae alteri parti absque gravi incommodo revelari nequit;

γ. si ambo coniuges sunt in bona fide et de nullitate matrimonii moneri non possunt;

δ. si multa matrimonia convalidanda sunt, quae alia via convalidari nequeunt.

171. De procuranda sanatione in radice. Si sanatio petenda est propter impedimentum occultum, haec servanda sunt:

1. Sanatio occulte peti et executioni mandari debet.

2. Eam procurare potest et debet confessarius, si in confessione impedimentum detectum fuit.

3. Immediate ad s. sedem, et quidem ad Poenitentiarium recurrendum est, non ad episcopum; etsi litterae (clausae propter sigillum) per episcopum ad s. sedem dirigi possint.

4. In petitione *a.* casus accurate describi et in specie exprimi debet: num consensus ab initio adfuerit et perduret in utraque parte, num coniuges in bona fide fuerint; *b.* petendus est modus convalidationis per sanationem in radice, indicandae sunt causae dispensationis et praesertim causae, quae sanationem in radice postulant; *c.* in fine addendum est nomen confessarii cum dioecesi et loco, ubi habitat, ut rescriptum ad ipsum dirigi possit.

5. Dispensationis executio seu sanationis applicatio proprie non requiritur, nec reipsa ulla fit, si uterque coniux impedimentum ignorat. Quodsi una pars impedimentum cognoscit et rite disposita est, applicatio fieri solet

in confessione sacramentali (sed posset etiam extra confessionem fieri) post absolutionem a peccatis, ante orationem *Passio*. Ceterum accurate servandum est rescriptum.

Etsi in exequenda sanatione matrimonii in radice nulla formula sit necessaria, apte tamen haec vel similis adhibetur: *Ego auctoritate apostolica mihi concessa matrimonium a te contractum cum N. in radice eius sano et prolem susceptam et suscipiendam legitimam declaro. In nomine Patris etc.*

6. Si impedimentum antea occultum postea publicum fiat, sanatio in radice pro foro externo (nisi etiam pro hoc foro concessa fuerit) nihil valet: quare nova dein petenda est vel a Dataria vel ab ordinario.

Quaestio octava.

De dissolutione matrimonii.

172. Triplex matrimonii dissolutio distinguenda est *a.* quoad *vinculum* seu plena; *b.* quoad *cohabitationem* seu quoad mensam et torum; *c.* quoad torum. Matrimonii solutio in iure *divortium* vocatur. Triplex ergo divortium seu coniugum separatio distinguitur: *a.* a toro; *b.* a toro et mensa seu a cohabitatione; *c.* perfecta. Iam de solutione matrimonii quoad vinculum et de separatione coniugum quoad torum alibi agitur; restat, ut de divortio quoad cohabitationem agatur.

Articulus primus.

De divortio quoad cohabitationem.

Divortium quoad cohabitationem manente vinculo coniugali ex iustis iisque diversis causis fieri posse docet con-

cilium tridentinum contra haereticos¹⁾, qui faciles quidem sunt in solvendis coniugiis quoad vinculum, difficiles autem in iis solvendis quoad cohabitationem, quippe qui unicam adulterii causam ut iustam divortii causam admittant. Causarum, propter quas divortium fieri potest, aliae ad perpetuam, aliae solum ad temporaneam separationem sufficiunt. Causae *perpetuae* separationis sunt: *adulterium*, *haeresis* et *mutuus consensus*; causae temporaneae separationis sunt: *periculum animae*, *periculum corporis* et *molesta cohabitatio*.

173. Adulterium. 1. Propter adulterium unius coniugis fieri posse divortium, tum iure divino²⁾, tum iure ecclesiastico³⁾ certum est. Ex probabili doctorum sententia ad divortium instituendum sufficit quilibet alienus concubitus etiam ille, qui fit per sodomiam vel bestialitatem.

2. Hae *condiciones* requiruntur, ut adulterium sit separationis causa iusta:

a. *Ut sit moraliter certum*: in dubio enim nemo pri-vandus est iure suo; attamen non requiritur, ut adulterium iuridice plene probatum sit, sed sufficit, ut habeantur vehementissimae suspiciones, quae moralem certitudinem praebeant, ut si uxor alias iam malae famae sola cum solo in loco ad peccandum apto reperiatur.

b. *Ut sit perfectum* seu carnali copula consummatum, sine qua non fit carnis divisio.

c. *Ut sit voluntarium*, non vi physica vel morali extortum.

d. *Ut non sit mutuum*, alias iniuria illata mutuo compensatur.

e. *Ut non fuerit explicite vel implicite condonatum*, ut si pars innocens scienter signa affectus coniugalis dedisset e. g. per copulam.

¹⁾ Sess. 24. can. 8.

²⁾ Matth. 19, 9.

³⁾ C. Significasti 4 C. Ex literis 5 C. Gaudemus 8 *De divortiiis* (IV. 19).

3. Haec *adiuncta* divortii propter adulterium instituendi notanda sunt:

a. Pars innocens potest, sed non tenetur partem alteram dimittere, et post divortium etiam iudicialiter factum eam semper revocare potest: divortium enim in eius favorem factum est, cui favori ipsa renunciare potest.

Quare pars adultera nec religionem ingredi nec sacros ordines suscipere potest; si tamen pars innocens statum eligit, qui vitae conjugalis continuationem impossibilem reddat, etiam pars rea eiusmodi statum eligere potest.

b. Si separatione *privatim* facta pars innocens ipsa adulterium committit, ad partem revocantem redire tenetur. Si facta separatione *iuridica* pars innocens ipsa lapsa fuerit, non tenetur quidem redire ad compartem revocantem, quia per sententiam iudicis adulter iam spoliatus fuit omni iure revocandi innocentem; attamen consulendum est, ut cohabitationem restaurent.

174. Haeresis. 1. Lapsus unius coniugis in haeresim vel apostasiam a fide alteri parti dat ius se separandi, idque non tam propter perversionis periculum, quam in poenam infidelitatis et in horrorem tanti criminis¹⁾.

2. Si in casu haeresis divortium per sententiam iudicis factum est, nulla est obligatio recipiendi emendatum, et proinde pars innocens ingredi potest religionem et vir suscipere sacros ordines; quodsi separatio facta est propria auctoritate, pars innocens coniugem recipere tenetur, si hic iterum convertatur.

175. Mutuus consensus. 1. Divortium *ad tempus* sive brevius sive longius ex mutuo consensu, si adsit iusta causa e. g. alicuius negotii, licite fieri potest ad arbitrium coniugum.

2. Divortium *perpetuum* ex mutuo consensu ab ecclesia permittitur in duplici casu, si alteruter coniugum religionem ingredi aut vir sacros ordines suscipere intendit, cum Dominus dicat: *Omnis, qui reliquerit uxorem*

¹⁾ C. Quaesivit 2 C. De illa 6 *De divortiis* (IV. 19).

*propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit*¹⁾.

Ut tamen separatio licite fieri possit, requiritur, ut absit incontinentiae periculum, ut proles non indigeant parentum cura, ut nullum oriatur scandalum.

3. Pro utroque hoc casu haec adiuncta notanda sunt

a. Professio religiosa, quae fit ab uno coniuge altero invito, invalida est, et qui invalide professus est, tenetur ad coniugem redire, si ipse velit. Ordo sacer, qui a viro suscipitur uxore invita, invalidus quidem non est, at vir, si ab uxore requiratur, ad eam redire et ab omni exercitio ordinis suscepti abstinere debet.

b. Maritus nec professionem emittere nec ordinem suscipere potest, nisi uxor ultra consensum suum aut in ordine religioso professionem emittat, si adhuc iuvenis vel de continentia suspecta est, aut saltem, si, utpote actate iam provecta et de continentia non suspecta, in saeculo manet, votum continentiae emittat. Episcopi est iudicare, utrum uxor religionem ingredi, an solum votum continentiae emittere debeat.

176. Causae separationis temporanae. Causae, quae uni parti ius concedunt ab altera *ad tempus* se separandi:

1. *Periculum animae*, quod inducitur, si coniux conatur trahere compartem ad peccatum e. g. ad haeresim vel ad gravia peccata contra castitatem coniugalem. Si grave labendi periculum proximum est illudque aliis mediis sufficienter removeri non potest, pars innocens se separare tenetur.

2. *Periculum corporis*, quod oritur ex saeva et crudeli tractatione alterius partis, ex morbo contagioso cum periculo infectionis, ex amentia, quae cohabitationem periculosam reddat.

Quanta debeat esse saevitia, ut altera pars ius acquirat se separandi, prudenti iudicio consideratis locorum et personarum adiunctis

¹⁾ Matth. 19, 29.

determinari debet: quae enim ab uxoribus plebeiis levia habentur, honestioris condicionis uxori intolerabilia videri possunt¹⁾.

3. *Molesta cohabitatio*, quae oriri potest ex continuis iurgiis et rixis, vel ex inveterata aversione et odio, quo una pars fertur in alteram; in eiusmodi coniugiis salus animae et corporis periclitatur.

His accenseri potest etiam *periculum*, quod imminet *bonis fortunae* uxoris, si hoc periculum alio medio removeri non potest.

177. De modo faciendae separationis. 1. Propter *adulterium* sive occultum sive publicum separatio quoad torum et habitationem per se fieri potest *propria auctoritate*, modo crimen sit moraliter certum. Quia tamen in casu adulterii occulti separatio privatim facta plerumque scandalum producit, ordinarie sola separatio a toro privatim fieri licet.

2. Propter *alias causas* separatio *iuridice* fieri debet: obligatio enim publice contracta, publica etiam ecclesiae auctoritate solvenda est. Excipiendus est casus, quo periculum sit in mora, quo pars innocens iudicem adire facile nequeat vel quo causam separationis alioquin certam coram iudice satis probare non posset²⁾.

Nota. Duo pro praxi moneri debent.

a. Nec coniugum nec potestatis civilis sed solius auctoritatis ecclesiasticae est causam separationis examinare et divortii sententiam pronuntiare. Quare parochus vel confessarius coniugem causam separationis praetendentem ad iudicem ecclesiasticum dirigere debet. Quia tamen hodie fideles aegre adduci possunt, ut ad iudicem ecclesiasticum recurrant, saepius praestabit, ut confessarius coram iis, qui hanc obligationem ignorant, eam dissimulet, modo certa sit causa separationis. Quae dissimulatio praesertim tum suaderi debet, cum coniuges sive propria sive iudicis civilis auctoritate in bona fide iam separati vivunt, modo non subsit scandalum.

b. Cavere debet confessarius, ne uxoribus de saevitiis et moestiis mariti conquerentibus facile credat neve separationem quoad habitationem aut consulat aut permittat. Solent enim morosae uxores

¹⁾ *Ballerini-Palmieri* VI. n. 507.

²⁾ *S. Alphonsus* n. 971.

proprios dissimulare, mariti vero defectus valde augere. Insuper res multo peior fieret, si uxor permittente confessario maritum relinqueret, hic vero uxorem, quae separationis causam coram iudice probare nequeat, ope potestatis civilis repeteret¹⁾.

Articulus secundus.

De divortio civili²⁾.

Etsi causae matrimoniales iure divino ad solos iudices ecclesiasticos pertineant, nihilominus lex civilis potestatem sibi arrogat ob certas causas ferendi sententiam divortii quoad ipsum vinculum matrimoniale, quod in foro ecclesiae validum et indissolubile est. Ideo quaeritur: *a.* num iudici civili sententiam divortii secundum vigentes leges civiles pronuntiare; *b.* num partibus divortium civile petere; *c.* num advocato causam divortii civilis coram iudice agere liceat.

178. De indice civili. Minor est huius rei difficultas, ubi agitur de solo matrimonio civili vel de matrimonio in facie ecclesiae quidem inito, quod tamen sententia iudicis ecclesiastici vel invalidum vel solutum declaraverat. Verum etiam ubi agitur *de matrimonio ecclesiastico valide contracto atque indissolubili*, licet iudici civili causam divortii agere sententiamque divortii pronuntiare, modo has condiciones observet: *α.* si solum contractum civilem spectet i. e. solum effectus matrimonii civiles abrumpere intendat; *β.* si gravissimum eiusmodi causam agendi motivum habeat; *γ.* si ad praecavendum scandalum tum coniuges tum alios opportune moneat sententiam suam nullatenus ipsum matrimonium, sed solum civiles effectus spectare; *δ.* si non existat specialis ecclesiae prohibitio.

¹⁾ Cf. *Génicot* II. n. 558. *Aertnys* II. 537.

²⁾ Cf. *Lehmkuhl*, Das bürgerliche Gesetzbuch des deutschen Reiches⁵ (Freiburg. Herder. 1900) S. 415 ff.

a. Actio iudicis civilis in hoc casu non est intrinsecus mala, sed est actio ex se indifferens: eius enim sententia duo continet: eorum matrimonium a potestate civili non amplius considerari ut verum matrimonium et proinde novum matrimonium, quod contracturi essent poenis inflictis non impediri; sed neutrum intrinsecus malum est. Coniuges abutuntur quidem hac sententia ad validum matrimonium solvendum novumque attendendum; verum haec iudicis cooperatio ex gravissima causa licita est.

b. Sunt auctores (*Bucceroni, Gasparri, Matharan*), qui sententiam divortii civilis in hoc casu dicunt absolute illicitam utpote intrinsecus malam et repugnantem iuri divino. Eorum rationes sunt: α. intrinsecus mala et iniqua est ipsa *lex* divortii; ergo a fortiori mala et iniqua est *sententia* divortii; β. ex divortio gravissima mala sequuntur: fidelium mentes paulatim subit erroneum iudicium de solubilitate matrimonii nec non de competentia potestatis civilis in causis matrimonialibus; insuper coniuges separati prohibentur instaurare vitae societatem eorumque proli postea susceptae negatur praerogativa legitimitatis; tandem coniugibus separatis permittitur novum matrimonium civile, cui omnia iura et effectus veri matrimonii conceduntur, quo fit, ut adulteria foveantur; γ. ex decisionibus romanarum congregationum evidenter confirmatur haec sententia, quippe quae internam illius actus malitiam statuunt.

c. Alii vero (*Ballerini-Palmieri, Lehmknhl, Sabetti, De Becker, Génicot*) sententiam divortii civilis non habent intrinsecus malam, sed exclusa prava intentione eam dicunt in se indifferentem. Et sane eiusmodi sententia non necessario refertur ad solutionem vinculi matrimonialis, sed matrimonium solum privat effectibus legitimi matrimonii coniugibusque impunitatem asserit, si matrimonium civile inierint. Sicut enim matrimonium civile ad verum matrimonium accedere potest, quin vinculum matrimoniale afficiat, ita matrimonium civile solvi potest, quin eius solutio verum vinculum matrimoniale afficiat. Quod quidem admitti potest, etsi legislator et coniuges, qui divortium petunt, ipsam vinculi matrimonialis solutionem intendant.

Ad argumenta primae sententiae haec animadvertenda sunt:

a. Intentio legislatoris, qua ipsum vinculum matrimoniale solvere intendit, in sententia divortii non necessario includitur, sed ab ea separari potest. Et sane ab assistentia, quam iudex matrimonium contrahentibus exhibet, prava legislatoris intentio, qua ipsum vinculum matrimoniale necere intendit, separari potest; ergo etiam a sententia divortii separari poterit. Ideo lex civilis in se non necessario dicenda est iniqua, cum non necessario ita accipi debeat, ut coniuges ab ipso vinculo solutos declaret.

b. Ex divortio gravissima mala sequuntur; verum ex hoc aliud non sequitur, nisi cooperationem ad divortium atque ideo ad haec mala solum ex gravissima causa licitam esse. Atqui causa cooperandi proportionate gravis certe adest in hoc casu, quo iudici catholico iudicanda offeratur causa matrimonialis, quam recusare non possit, quin officio privetur, privari autem officio non possit, quin tum ipsi tum bono communi damnum sequatur, quia in eius locum succederet iudex malus et impius.

c. Tandem ad removendum scandalum fidelium iudex partibus declarare debet sententiam divortii non id efficere, ut vinculum conjugale solvatur, sed id solum, ut matrimonium ab auctoritate civili non amplius agnoscat ut validum matrimonium, quod proinde validi matrimonii iuribus non amplius gaudeat.

179. De responsis s. sedis. Quaestio saepius agitata est in congregationibus romanis et plura hac de re edita sunt responsa¹⁾.

a. Nullum extat decretum generale, quod hanc quaestionem dirimat, immo a dirimenda quaestione sancta sedes hucusque consulto abstinuit.

b. Plura extant decreta particularia, quorum alia sententiam divortii in Gallia illicitam, alia autem in Belgio eandem tolerari posse edicunt.

c. Ratio, ob quam ecclesia cooperationem iudicis ad divortium civile in aliis locis toleraverit, in aliis autem interdixerit, haec esse videtur. Quia nempe in hoc casu agitur de cooperatione in exequendis legibus, quae adversantur iuribus et legibus ecclesiae; eiusmodi autem cooperatio prorsus illicita est, quando cedit in damnum commune ecclesiae. Iam vero iudicium, num leges civiles in commune damnum ecclesiae cedant, ad ipsam ecclesiam pertinet; quare in particularibus casibus ad s. sedem recurrendum est.

¹⁾ *S. Officium* 3. apr. 1877 ad episcopum sangallen., quod indices in casibus particularibus recurrere iubet. — *S. Officium* 27. maii 1886, quod pro Gallia sententiam divortii prohibet. — Litterae nuntii ap. ad ministrum regni in Belgio 14. sept. 1886, ubi dicitur prohibitionem pro Gallia editam non esse extendendam ad Belgium. — *S. Poenitent.* 24. sept. 1887, quae sententiam divortii in casu particulari (lucionensi) tolerat. — *S. Poenitent.* 4. iun. 1890, quae declarat casum lucionensem non posse ad alios casus extendi.

d. Ex his omnibus *pro pravi* id sequitur: quamvis affirmari non possit cooperationem iudicis vel syndici in divortio civili certo licitam esse, id saltem concedi potest, non constare eam illicitam et proinde iudicibus prohibendam esse, nisi ecclesia eam illicitam declaraverit; quare iudices, qui eam bona fide exercent, non sunt inquietandi.

180. De coniugibus. *a.* Si coniuges non intendunt petere divortium, ut ad alias nuptias transire possint, sed solum ut matrimonium effectibus civilibus privetur et ipsi hac ratione a gravi malo et incommodo liberentur, a quo alia via liberari non possunt, id licet¹⁾. *b.* Si finem intentum etiam per meram separationem quoad habitationem et bona obtinere possunt, non licet eis petere sententiam divortii: nulla enim est ratio eam petendi. *c.* Si coniuges petunt ipsam vinculi solutionem, ut ad alias nuptias transire possint, divortium petere non licet, quia petunt rem malam et iuri divino repugnantem. *d.* Cum causae matrimoniales ad ecclesiam pertineant, non licet coniugibus petere divortium civile, nisi antea ob causam canonicam licentiam se separandi obtinuerint.

181. De advocatis. *a.* Si advocatus partes defensoris vinculi matrimonialis, quod verum matrimonium est, agit, alia difficultas non est, praeterquam quod causa in foro incompetenti nempe civili agatur. Atqui s. sedes declaravit cooperationem in eiusmodi causis tolerari posse, „dummodo episcopo constet de probitate advocati, et advocatus nihil agat, quod a principiis iuris naturalis et ecclesiastici deflectat“²⁾. *b.* Si advocatus causam divortii agit, quando coniuges licite divortium petunt, licite pro divortio

¹⁾ Ad quaestionem: num maritus possit petere divortium ab uxore adultera intendendo tantum abrumpere effectus mere civiles, quando nullum aliud medium suppetit obtinendi repudiationem paternitatis circa filios adulterinos horumque exclusionem a parte prolis legitimae s. *Poenitentiaria* 30. iul. 1892 respondit: *orator consulat probatos auctores.*

²⁾ *S. Officium* 19. dec. 1860.

disserit. *c.* Quodsi coniuges aut sine iusta ratione aut ex prava intentione postea ineundi novum matrimonium divortium petunt, causam suscipere certo non potest sine gravissima ratione. Si autem adsit gravissima ratio e. g. notabilis damni vitandi, causam agere potest: non enim necessario se conformare debet intentioni partium; cooperatio autem ad eorum peccatum ob gravissimam causam excusatur.

A p p e n d i x I.

Quaestio prima.

De matrimonio civili.

182. Definitio. Matrimonium civile dicitur voluntas ineundi matrimonii coram magistratu civili eo fine declarata, ut matrimonium in foro civili tamquam verum et legitimum agnoscat.

a. Voluntas ineundi matrimonii. Auctoritas civilis exigere non potest, ut civiliter contrahentes intentionem habeant verum matrimonium ineundi, sed id solum exigere potest, ut ritum ab auctoritate civili praescriptum eo fine peragant, ut ipsorum matrimonium verum et legitimum habeatur. Primum semper illicitum est, alterum vero in se illicitum non est, modo verum et legitimum matrimonium aut iam initum aut mox ineundum sit: in se enim prohibitum non est, quominus nupturientes coram magistratu civili compareant eumque sub certo ritu de matrimonio contracto vel contrahendo certiozem reddant, ut eorum matrimonium effectus legitimi matrimonii sortiatur.

b. Ut tamquam verum agnoscat. Antiquitus quidem potestas civilis illa matrimonia, quae in foro ecclesiae valida censebantur, ipsa pro validis agnoscebat eisque effectus civiles tribuebat; recenti autem tempore ius sibi arrogat statuendi, ut matrimonium etiam coram magistratu civili iniri possit aut debeat, et hoc matrimonium pro valido et licito habet, etsi in foro ecclesiae propter impedimentum dirimens aut impediens invalidum aut illicitum sit.

c. Graviter peccant fideles matrimonium civile contrahentes, qui verum matrimonium coram magistratu civili inire intendunt: verum enim matrimonium per se solum in foro ecclesiae licite iniri potest.

183. Divisio. Triplex matrimonium civile distinguitur: obligatorium, facultativum et necessitatis.

a. Matrimonium civile *obligatorium* (die obligatorische oder Zwangs-Zivilehe) habetur, quando omnes contrahentes obligantur ad consensum matrimonialem coram magistratu civili exhibendum, ut eorum matrimonium in foro civili pro valido habeatur.

α. In diversis Europae regionibus iam viget matrimonium civile obligatorium ut *in Germania, in Gallia, in Italia, in Hungaria, in Belgio, in Helvetia.*

β. Ubi praecipitur matrimonium civile obligatorium, auctoritas civilis, nihil curans leges matrimoniales ecclesiae, solum matrimonium coram magistratu civili initum verum et validum matrimonium habet; et pari modo in omnibus causis matrimonialibus, sive ad ipsum matrimonium sive ad sponsalia referuntur, foro civili tantum tribuit competentiam de eis iudicandi.

b. Matrimonium civile *facultativum* (die fakultative oder Wahl-Zivilehe) habetur, quando contrahentibus quibuscunque facultas seu optio datur ineundi matrimonii aut coram ecclesia aut coram magistratu civili. Utrumque matrimonium in foro civili pro valido habetur et utriusque effectus civiles tribuuntur.

Matrimonium civile facultativum viget in *Anglia* et in *America septentrionali.*

c. Matrimonium civile *necessitatis* (die Not-Zivilehe) habetur, quando contrahentibus solum in casu necessitatis permittitur, ut matrimonium ineant coram magistratu civili.

α. Matrimonium *necessitatis* appellatur, quia solum in casu necessitatis admittitur. Duplex distinguitur necessitas: *absoluta*, quando nupturientes contrahere non possunt, quia matrimonio obstat impedimentum ecclesiasticum, quod lex civilis non agnoscit; *relativa*, quando nupturientes matrimonium ecclesiasticum inire non possunt, quia nulli confessioni religiosae adhaerent.

β. Matrimonium civile necessitatis viget in *Austria*, ubi nupturientibus, qui in foro ecclesiae ob aliquod impedimentum contrahere non possunt, permittitur, ut matrimonium a potestate politica promulgari et coram officiali politico iniri possit, modo non obstet impedimentum iuris civilis.

184. De licetate matrimonii civilis. 1. Ecclesia reiicit et condemnat quodcunque matrimonium civile;

ideo hanc propositionem proscripsit: *Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium*¹⁾.

Et iure quidem illud condemnat: *a.* Leges matrimonium civile concernentes latae sunt ab auctoritate, cui circa matrimonium ius competit nullum. *b.* Matrimonium spoliatur ea sanctitate, quae ei suapte natura convenit, illudque ut res mere profana tractatur. *c.* Subditi contra libertatem conscientiae coguntur actionem ponere lege ecclesiastica prohibitam. *d.* Potestas civilis coniunctiones illicitas sua auctoritate tuetur. *e.* Eadem potestas matrimonia coram Deo et ecclesia valida iniuste dissolvit. *f.* Iura ecclesiae contemnit et indifferentismum promovet, eo quod matrimonia admittit, quibus obstat impedimentum mixtae religionis, immo etiam disparitatis cultus. *g.* Falsam doctrinam promovet, qua contractus a sacramento separari possit.

2. Licet matrimonium civile quodcumque per se illicitum sit, non tamen quaevis eiusdem species aequali modo reiicienda est.

Minimus malitiae gradus convenit matrimonio civili *necessitatis relativae*; maximus matrimonio *necessitatis absolutae*; utrum magis reprobandum sit matrimonium civile *obligatorium* an *facultativum*, auctores disputant²⁾.

3. Matrimonium civile obligatorium *licite iniri potest*, dummodo matrimonium in foro ecclesiae aut iam initum aut mox ineundum sit et excludatur intentio, ipsum vinculum matrimoniale coram magistratu civili contrahendi: ex iusta enim causa permitti potest, ut ponantur condiciones, quas auctoritas civilis exigit, ut matrimonium agnoscat validum et effectibus civilibus donetur.

a. Sive actus civilis ante sive post matrimonium ecclesiasticum peragitur, monendi sunt nupturientes, ne aliud quam ceremoniam mere civilem peragere intendant, ut effectus civiles eorum matrimonio tribuantur³⁾.

b. Ubi lex civilis exigit, ut matrimonium civile contrahatur ante matrimonium ecclesiasticum, id licite fieri potest: praestat autem, ut matrimonium civile fiat, postquam matrimonium ecclesiasticum iam initum est. Nam *a.* rei natura exigit, ut principale praecedat accessorium; atqui principale est ipsum matrimonium, quod contrahitur

¹⁾ Cf. *Syllabus* n. 33. — Encyclica Leonis XIII. *Arcanum* 10. febr. 1880.

²⁾ Cf. *Schnitzer* p. 65 ss.

³⁾ Benedictus XIV. *Redditae sunt nobis* 17. sept. 1746.

coram ecclesia, accessorium sunt effectus civiles, qui matrimonio tribuntur per matrimonium civile. β . Insuper hoc modo caventur incommoda, quae inde oriri possunt, quod una pars post matrimonium civile iam initum renuit contrahere in facie ecclesiae.

c. Ubi igitur matrimonium civile iniri debet ante matrimonium ecclesiasticum, nupturientes de his moneri debent: α . ne contractum civilem prius ineant, quam certo constet eorum matrimonio ecclesiastico nullum obstare impedimentum; β . tempore, quod inter matrimonium civile et ecclesiasticum intercedit, ipsos non esse coniuges, sed sponso et proinde more sponso conversari debere; γ . eos curare debere, ut utrumque matrimonium eodem die celebretur vel saltem ut inter utrumque exigua tantum mora intercedat.

4. Ordinarie existit *obligatio indirecta* contrahendi matrimonium civile obligatorium: caritas enim tum erga se ipsos tum erga futuram prolem exigit, ut contrahentes matrimonium suum effectibus civilibus donandum curent.

Haec indirecta obligatio gravis vel levis est, prout damna et incommoda, quae ex omisso matrimonio civili oriuntur, magna vel levia sunt. Ut fideles ab his damnis praeserventur, in nonnullis regionibus e. g. in Belgio ab episcopis prohibitum est, ne parochi matrimoniis assistant, nisi constet de peracto matrimonio civili.

185. De valore matrimonii civilis. 1. Matrimonium civile initum in iis regionibus, in quibus non viget caput *Tametsi*, et quidem cum intentione contrahendi verum matrimonium, validum est, dummodo ei non obstet dirimens aliquod impedimentum, attamen graviter illicitum est, quia matrimonium clandestinum ab ecclesia prohibitum est. Quodsi eidem obstat aliquod impedimentum dirimens, matrimonium civile non est nisi turpis concubinatus.

2. Matrimonium civile initum in iis regionibus, in quibus viget caput *Tametsi*, invalidum est, quantumvis aliud non obstet dirimens impedimentum, solum quia clandestine contrahitur.

a. Qui notorie in matrimonio civili vivunt, habendi sunt ut *publici peccatores*, quia in manifesto concubinato vivunt, neque ad sacramenta admitti possunt, nisi prius aut ab invicem separentur aut in foro ecclesiae coniungantur.

b. Civiliter iuncti, quorum matrimonium coram ecclesia validum est, tenentur petere *ecclesiasticam convalidationem* seu tenentur in facie ecclesiae renovare consensum. Quodsi eorum matrimonium invalidum est nec convalidari potest, tenentur petere civile divortium, quod index iuxta leges pronuntiare potest et debet.

c. Si civiliter iuncti parochi se sistant matrimonium *in facie ecclesiae contracturi*, examini sponsorum subiici debent, et si non obstat impedimentum, eorum matrimonium, nisi petatur dispensatio, proclamandum est, quo facto in facie ecclesiae iungi possunt.

3. Matrimonium civile in iis regionibus initum, in quibus viget caput *Tametsi*, ne valorem quidem sponsalium habet, neque impedimentum publicae honestatis producit, quacunque intentione illud contrahatur, sive sponsi merum ritum civilem peragere sive sponsalia de futuro inire sive matrimonium de praesenti contrahere intendunt.

Diu multumque de hac re inter theologos disputatum est; controversiam tandem diremit decretum S. C. C. 17. mart. 1879 a summo pontifice approbatum, quo statuitur „matrimonium civile in locis, ubi promulgatum est decretum tridentinum, sive fideles actum ipsum explentes intendant, uti par est, meram ceremoniam civilem peragere, sive intendant sponsalia de futuro inire, sive tandem ex ignorantia aut in spretum ecclesiasticarum legum intendant matrimonium de praesenti contrahere, *impedimentum iustitiae publicae honestatis non producere.*“

4. Matrimonium civile in iis regionibus initum, in quibus viget decretum tridentinum, *rationem matrimonii attentati habet*, unde haec consequuntur:

a. Si concurrat cum adulterio, i. e. si una pars coniungata est, ex eo oritur impedimentum criminis.

b. Clerici in sacris constituti et regulares (vel moniales) voto sollemni castitatis obstricti, qui matrimonium civile contrahunt, excommunicationem ordinario reservatam incurrunt¹⁾.

c. Clerici, qui matrimonium civile consummant, contrahunt irregularitatem ex bigamia similitudinaria.

186. *Num magistratus et testes matrimonio civili licite assistere possint.*

a. Licite assistere possunt, quoties fideles coram magistratu civili comparentes hunc solum de matrimonio con-

¹⁾ Constit. *Apost. sedis*. III. 1.

tracto vel contrahendo certiolem reddere intendunt: actui enim licito assistunt.

b. Si constat nupturientes ex mala voluntate matrimonium ecclesiasticum contrahere nolle et solum civile intendere, nihilominus assistentia ex gravi causa licita est: nam tamquam testem auctorizabilem assistere actui malo natura sua malum non est, alias neque parochus assistere posset matrimonio eorum, qui sacrilege contrahunt¹⁾.

Causae, quae cooperationem magistratus licitam reddere possunt, pro *testibus* quidem non valent, quandoque vero aderunt aliae causae, quae etiam testium cooperationem cohonestent, ut „timor gravis offensae propinquorum, spes civiliter coniunctos postea adducendi ad matrimonium in facie ecclesiae celebrandum et similia, praesertim in magnis civitatibus, ubi matrimonia civilia saepius fiunt et parum animos commovent“²⁾

c. Maior est difficultas, si coniux valido matrimonio iunctus, obtenta civilis divortii sententia, vivente adhuc comparte, matrimonium civile inire attentat; verum assistentia syndici ne in hoc quidem casu intrinsecus mala et proinde ex gravissima causa praesertim ad damnum publicum evitandum licita esse videtur³⁾.

Auctores, qui assistentiam in hoc casu *intrinsecus malam* dicunt, ita argumentantur: α. iniuria fit matrimonio iam existenti; β. tribuunt effectus veri matrimonii nupturientibus, qui illorum non sunt capaces; γ. plura responsa congregationum romanarum assistentiam hanc prorsus illicitam declarant⁴⁾.

Pro altera sententia haec afferri possunt: α. Quod priori matrimonio infertur iniuria, solum demonstrat civiliter contrahentium peccatum in hoc casu maius esse et proinde graviorem causam requiri ad cohonestandam syndici cooperationem. β. Formalitas matrimonii civilis in se indifferens est, modo syndicus declaret illam coram ecclesia et in conscientia nullum valorem habere: syndicus enim non tribuit nupturientibus effectus civiles, sed formalitatem peragit, qua posita lex nupturientes ut legitimos coniuges considerat eisque iura civilia veri

¹⁾ Cf. *Gasparri* II. n. 1230, qui premens vestigia *Sancti* hanc sententiam tuetur.

²⁾ *Génicot* II. n. 508.

³⁾ Cf. *Gasparri* II. 1231. *Génicot* II. n. 562. *Lehmkuhl* II. n. 725. nota.

⁴⁾ *Ballerini-Palmieri* VI. n. 530 s.

matrimonii asserit. γ. Responsa congregationum assistentiam non videntur declarare intrinsicè malam, sed in particularibus illis casibus prorsus illicitam sive propter scandalum fidelium sive propter defectum causae cooperationem cohonestantis¹⁾.

Quaestio secunda.

De iure matrimoniali austriaco.

187. Ius matrimoniale, quod hodie in Austria viget, continetur in c. 2. codicis civilis (Eherecht) nec non in lege 25. maii 1868.

His legibus potestas civilis iura in matrimonia fidelium sibi arrogat, quae soli ecclesiae competunt; ideo summus pontifex (22. iul. 1868) eas sollemniter reprobavit itemque episcopi omnes contra easdem reclamarunt; iidem tamen simul pastores animarum monitos voluerunt, ut leges matrimoniales in contrahendis matrimoniis ad maiora mala vitanda tum a nupturientibus tum a parochis servarentur.

188. De sponsalibus. Lex civilis admittit quidem sponsalia, sed vim contractus eis non tribuit; quare effectum iuridicum seu obligationem ineundi matrimonii ex sponsalibus ortam non agnoscit. Id solum exigit, ut reparetur damnum, quod alteruter sponsorum passus est, eo quod alter a sponsalibus recessit. Ideo pars innocens alteram partem solum de reparatione damni, quod reipsa passa est, coram iudice convenire potest.

189. De proclamationibus. 1. Proclamationes ter fieri debent, ita ut matrimonium invalidum sit, si omnes omittantur. Si una vel etiam altera omittatur, item si quoad formam praescriptam defectus occurrat, tum parochus tum nupturientes poenam incurrunt.

¹⁾ Cf. *Schnitzer* p. 78 ss. *Gennari*, Consultazione etc. (Roma. *Monitore eccles.* 1902) I. cons. 41.

Proclamationum forma his verbis praescribitur: „Das Aufgebot besteht in der Verkündigung der bevorstehenden Ehe mit Anführung des Vornamens, Familiennamens, Geburtsortes, Standes, Wohnortes beider Verlobten mit der Erinnerung, dass jedermann, dem ein Hindernis der Ehe bekannt ist, selbes anzeigen solle.“

2. Ut omitti possit proclamatio, petenda est *dispensatio* potestatis politicae in eo etiam casu, quo sponsi in articulo mortis coniunguntur. Dispensare potest:

a. Super secunda vel tertia proclamatione praefectura circuli; in iis vero civitatibus, quae propria statuta habent, magistratus civitatis.

b. Super omnibus proclamationibus *in casibus urgentibus* eadem praefectura vel magistratus, edito tamen partium iuramento de statu libero, ipsorum nempe matrimonio, quantum sciant, nullum obstare impedimentum; in casibus *non urgentibus* solum gubernium provinciae in omnibus proclamationibus dispensare potest.

c. Potestas politica, quaecunque sit (gubernium provinciae, praefectura, circuli, magistratus), solum pro suo quaeque territorio dispensare potest; hinc si sponsi in diverso territorio habitant, dispensatio ab auctoritate utriusque territorii petenda est.

Si duae personae iungendae sunt, quae passim coniuges habentur, dispensatio a tribus proclamationibus a gubernio provinciae conceditur, edito tamen iuramento ut supra. Parochus in hoc casu dispensationem petere potest tecto contrahentium nomine.

d. Causae dispensandi fere eaedem in utroque foro civili et ecclesiastico admittuntur.

3. Proclamationes fieri debent:

a. In illa parochia, in qua nupturientes *habitant*; si ergo sponsi in diversis parochiis habitant, in utriusque parochia proclamatio fieri debet.

b. Si alteruter sponsorum in parochia, in qua contrahendum est matrimonium, nondum per sex hebdomadas commoratus est, proclamatio fieri debet etiam in illo loco, in quo immediate antea ultra sex hebdomadas habitavit, nisi sponsi in ea parochia, in qua nunc morantur, habi-

tationem ante proclamationes per sex hebdomadas continuare malint, ut proclamatio ibidem sufficiat.

c. Si agitur de matrimonio mixto, proclamatio fieri debet in parochia (in der gottesdienstlichen Versammlung) utriusque sponsi.

190. De impedimentis dirimentibus. Quatuor sunt *impedimenta dirimentia* iuris ecclesiastici, quae potestas politica non agnoscit:

1. *Affinitas ex copula illicita.*

Ex iure matrimoniali politico affinitas non oritur ex copula carnali, ut docet ius ecclesiasticum, sed ex matrimonio valide contracto, sive consummatum sive non consummatum fuit. Codex enim civilis non distinguit inter matrimonium consummatum et non consummatum, sed omne matrimonium rite initum ipse habet pro consummato.

2. *Affinitas ex matrimonio invalido, sed consummato.*

Cum enim codex civilis affinitatem derivet ex matrimonio valido, non ex copula carnali, affinitatem non agnoscit, si matrimonium invalidum est, etsi copula carnali consummatum fuerit.

3. *Publica honestas* sive ex sponsalibus sive ex matrimonio rato et non consummato orta.

Sponsalia ex codice civili nedum impedimentum matrimonii, sed neque ullum effectum iuridicum producunt. Matrimonium autem ratum ex eiusdem codicis principiis non quasi-affinitatem, sed veram affinitatem producit.

4. *Cognatio spiritualis.*

Codex civilis parum sibi constans hinc quidem cognationem spirituales non agnoscit, ne religioni catholicae quidquam deferre videatur, inde vero ordinem sacrum, votum sollemne et disparitatem cultus inter impedimenta matrimonii recenset.

191. De cognatione legali. 1. Impedimentum cognationis legalis, quod antea in iure matrimoniali politico receptum fuerat, in novo codice matrimoniali (25. maii 1868) omittitur.

2. Codex austriacus ipsam adoptionem legalem admittit eiusque condiciones accurate describit n. 179—185.

3. Dubitari nequit, quin adoptio austriaca impedimentum dirimens constituat: adoptio enim iuris gallici impedimentum dirimens constituit, sed adoptio iuris austriaci ei perquam similis est.

4. Quando adoptio iuris austriaci matrimonium dirimat, sic docet *Instructio* (29): „Quoties adoptatus (si minorennis est) paternae adoptantis potestati subiiciatur, vel (si maiorennis est saltem) in eiusdem domum filiorum-familias ad instar cohabitaturus recipiatur“. Ergo in particulari casu attendendum est, num alterutra harum conditionum verificetur.

192. Plura sunt impedimenta sive impedientia sive dirimentia utriusque potestati communia, quae tamen non eundem utrobique valorem habent, sed a potestate politica alio sensu accipiuntur.

1. Ut *crimen adulteri* matrimonium dirimat, ex codice civili necesse non est, ut adulterium coniunctum sit cum promissione matrimonii, sed sufficit solum adulterium, modo ante initum matrimonium sufficienter probatum sit¹⁾.

2. Impedimentum *consanguinitatis et affinitatis* non egreditur secundum gradum tum in linea recta tum in linea transversali secundum computationem ecclesiasticam.

3. *Matrimonium mixtum*, quod contrahitur coram ministro acatholico, ex codice civili validum est, etiam ubi viget decretum tridentinum.

4. *Disparitas cultus* ex iure ecclesiastico intercedit inter baptizatum et non baptizatum, ex iure civili autem inter christianum et personam, quae non profitetur religionem christianam²⁾.

Cum ex codice civili christianum non faciat baptismus, sed *confessio* fidei christianae, et inter christianum et non christianum ex

¹⁾ § 67: Der Ehebruch muss aber vor der geschlossenen Ehe bewiesen sein.

²⁾ § 64: Eheverträge zwischen Christen und Personen, welche sich nicht zur christlichen Religion bekennen, können nicht gültig eingegangen werden.

eodem codice validum matrimonium iniri non possit, matrimonium inter baptizatum et apostatam, qui nulli christianae confessioni adhaeret, invalidum est.

5. Consensus, qui a persona *rapta* nondum in libertatem restituta praebetur, irritus est. Ideo *raptus* matrimonium dirimit non solum inter raptorem et mulierem raptam, sed inter mulierem raptam et quemlibet virum.

193. De gradibus consanguinitatis. In computandis gradibus *lineae rectae* lex ecclesiastica a civili non differt; in computandis autem gradibus *lineae collateralis* lex civilis hanc regulam statuit: *tot sunt gradus, quot generationes* seu tot sunt gradus, quot personae ex utraque parte stipite demto; econtra lex ecclesiastica hanc regulam statuit: *tot sunt gradus, quot personae ex una parte stipite demto.*

Iuxta legem ergo civilem duo fratres in secundo et duo consobrini in quarto gradu consanguinei sunt. In schemate supra (n. 595) posito Paulus et Sempronia in octavo, Iacobus et Sempronia in sexto gradu consanguinei sunt.

194. Impedimenta impedientia codex civilis non agnoscit neque iuris ecclesiastici neque iuris naturalis, ipse vero tria alia impedimenta statuit, quae matrimonium in foro civili non irritum, sed tamen illicitum faciunt: *a.* defectum consensus politici; *b.* obligationem ad militiam; *c.* tempus luctus pro viduis constitutum.

1. *Defectus consensus politici.*

In plerisque Austriae provinciis abrogata est obligatio requirendi consensum politicum ad ineundum matrimonium; in provincia tamen *tiroloensi-vorarlbergensi* lex adhuc praescribit, ut matrimonium licite iniri non possit, nisi communitas politica sponsi consensum suum dederit.

2. *Obligatio praestandi militiam et actuale servitium militare.*

Qui ad militiam adhuc vocandi sunt, matrimonium inire prohibentur; pro iis autem, qui militiae actu inserviunt, plures condiciones requiruntur, ut matrimonium inire possint.

3. *Tempus luctus* (Witwenfrist). Determinato temporis spatio nondum elapso viduae ex hac potissimum causa novum matrimonium inire prohibentur, ne dubium sit, utrum primus, an vero secundus maritus nasciturae prolis sit pater.

Si constat viduam esse gravidam, ei ante partum ad novas nuptias transire non licet; si de graviditate non constat, matrimonium inire prohibetur sex mensibus a morte mariti nondum elapsis; et si parum probabile est eam esse gravidam, obtenta prius dispensatione, post tres menses matrimonium inire potest¹⁾.

195. *Quatuor impedimenta dirimentia* a codice civili statuuntur, quae ecclesia non agnoscit: *a.* omissio proclamationum; *b.* error; *c.* minorennitas; *d.* cooperatio ad perficiendam separationem matrimonii²⁾.

1. *Omissio omnium proclamationum*, quae ex lege ecclesiastica matrimonium facit illicitum, ex codice civili facit invalidum.

2. *Quoad errorem* notandum est matrimonium in hoc casu solvi posse, quo maritus deprehendit uxorem suam iam ante matrimonium ab alio impraegnatam fuisse.

3. *Minorenes* et qui eisdem aequiparantur, validum matrimonium inire nequeunt, nisi legitimum consensum impetraverint.

a. Minorenes sunt, qui 24. aetatis annum nondum compleverunt. *Minorennibus aequiparantur*, qui per se inhabiles sunt ad contrahendam iuridicam obligationem. Huiusmodi sunt amentes et prodigi qua tales a iudice declarati.

Attamen iam ante 24. aetatis annum filii familias consentiente patre iudiciali sententia maiorenes declarari possunt, et absque declaratione filius familias eo ipso maiorennis fit, quod ei post 20. aetatis annum propria oeconomia a patre conceditur.

¹⁾ C. C. A. § 120. 121.

²⁾ Ad haec notari debet *malefactorem* ob crimen commissum ad gravem poenam condemnatum validum matrimonium inire non posse.

b. *Consensum* ineundi matrimonium minorenni is dare debet, sub cuius potestate constitutus est. Itaque

α. Pro filio legitimo, qui patris potestati subest, requiritur et sufficit solius patris consensus.

β. Pro filio illegitimo requiritur consensus tutoris et iudicis.

γ. Pro filio legitimo, cuius pater defunctus est, requiritur consensus tutoris vel curatoris et iudicis.

c. *Forma consensus.* α. „Si pater ipse consensum praestare debet et potest, talis consensus aut coram parcho et duobus testibus, *personaliter* a patre declarandus, in matricula notandus manaque propria confirmandus est, aut *absente patre* per documentum omnimode validum a patre testibusque datum et iuxta documenta matrimonialia asservandum consignari debet.

β. Quando consensus non a patre ipso praestatur, sed a tutore et ab instantia iudiciali, tunc a foro iudiciario documentum conficiendum est, in quo consensus tutoris declaratur et consensus ipsius fori iudiciarii expresse continetur, et quod pariter asservandum est inter documenta matrimonialia¹⁾.

4. *Cooperatio ad perficiendam separationem matrimonii.*

a. Facta matrimonii separatione per iudicalem sententiam coniuges separati ad alias nuptias transire possunt, attamen neutra pars matrimonium inire potest cum illa persona, quae adulterio, incitationibus vel alio illicito medio separationi ansam dedit²⁾.

b. Ut oriatur hoc impedimentum dirimens, de cooperatione vetita iuridice constare debet ex actibus iudicialibus separationis.

Patet hoc impedimentum afficere non posse catholicos, quorum matrimonia indissolubilia sunt, sed solos acatholicos, quorum matrimonia solvi possunt.

¹⁾ *Aichner*, Compendium iuris eccles.⁹ p. 642.

²⁾ C. C. A. § 119.

196. De solutione matrimonii. 1. Matrimonium catholicorum est prorsus indissolubile, ita ut ne ratum quidem matrimonium solvi possit.

a. Invalida sunt matrimonia, quae a civibus austriacis catholicis vivente altera parte in alieno territorio contrahuntur (Siebenbürger-Ehen).

b. Si matrimonium ratum et non consummatum per dispensationem pontificiam solvitur, leges civiles separationem coniugum impedire possunt.

2. Lex civilis statuit matrimonium catholicorum esse indissolubile; sed simul agnoscit matrimonium acatholicorum ex iisdem causis, ex quibus ipsi solutionem admittunt, solvi posse; exinde oritur impedimentum, quod dicitur *impedimentum catholicismi*.

a. Si nempe matrimonium acatholicorum solvitur, pars acatholica nequit inire matrimonium cum persona catholica, quippe quae matrimonium eius tamquam non solutum considerare debeat.

b. Si duorum coniugum acatholicorum alterutra pars sive ante sive post separationem ad religionem catholicam convertatur, pars catholica aliud matrimonium [inire nequit, sed quoad vivit innupta manere debet.

3. *Matrimonium mixtum* est indissolubile; sed si duorum coniugum acatholicorum una pars ad religionem catholicam convertatur, altera pars ex causis legitimis petere potest solutionem matrimonii.



Appendix II.

I. Formula pro petenda dispensatione a proclamationibus.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,
(Si sit S. R. E. Cardinalis, scribitur: Eminentissime Princeps).

Petrus A . . . et Maria L . . . parochiani mei matrimonium inire in facie Ecclesiae exoptant; cum autem sine serio incommodo (*vel* gravissimo incommodo) differri non valeat celebratio, humillime petunt ab Illustrissima Dominatione Vestra (*vel si sit Cardinalis*: ab Eminentia Vestra) dispensationem super duabus (*vel* tribus) proclamationibus.

Causae sunt: instans oratricis partus, scandalum vitandum, matrimonium civile mox celebrandum etc.

Oratores taxam ordinariam solvent (*vel*: sunt pauperes).

L . . . die mensis . . . an . . .

J. Parochus M.

II. Formula pro petenda assistentia matrimonio vagorum.

Illustrissime et Reverendissime Domine,

Maria R . . . parochiana mea matrimonium inire cupit cum Paulo F . . . in dioecesi N . . . nato, sed qui hodie nullum domicilium vel quasi-domicilium possidet et inter vagos est reputandus. Porro diligenti facta inquisitione nihil potui reperire, quod ipsius

libertati obstet. Quare humillime peto edoceri, quid in praedicto casu peragere debeam.

III. Formula pro petenda dispensatione super tribus votis perpetuis simplicibus in aliqua congregatione religiosa emissis in ordine ad matrimonium contrahendum.

Illustrissime et Reverendissime Domine,

Maria L . . . aetatis 25 annorum. hodie parochiana mea, humiliter exponit quod die . . . anni . . . tria vota simplicia emisit perpetua in Congregatione religiosa erecta sub titulo S . . . Iamvero de consensu expresso superiorissae et, ut testatur oratrix de consilio ipsius confessarii egressa est conventum duobus abhinc mensibus, et hodie vellet nuptias inire cum quodam viro honesto et pio.

Quare humillime supplicat Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut super hisce votis Sedis Apostolicae dispensatio procuretur (*vel, si Episcopus gaudeat facultate dispensandi: benigne dispense*) quatenus matrimonium licite contrahere et consummare valeat.

Causae sunt: 1° moralis impossibilitas vitam religiosam instaurandi; 2° periculum haud leve incontinentiae; 3° bonum tam spirituale quam temporale viri quem ducere intendit etc.

IV. Formula pro petenda dispensatione super occulto voto simplici castitatis perpetuae vel ingressus in religionem approbatam.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Caia (nomen fictum) dioecesis nostrae subdita votum olim emisit perpetuae castitatis *vel* ingrediendi religionem approbatam.

At hodie melius sibi fore iudicat, si honestam quae se offert matrimonii occasionem non reiiceret. Quare humillime supplicat Ill. Dominationi Vestrae, ut super praefato voto Sedis Apostolicae dispensationem procuret (*vel, si Episcopus gaudeat facultate dispensandi: benigne dispense*.)

V. Formula pro petenda dispensatione in ordine ad matrimonium contrahendum, quando adsunt unum vel plura impedimenta, natura sua publica, consanguinitatis, affinitatis ex copula licita, cognationis spiritualis vel publicae honestatis.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Paulus A . . . parochiae s. Alberti et Maria A . . . parochiana mea matrimonium inire cupiunt. Obstat vero 1° impedimentum, et quidem duplex consanguinitatis quarti gradus lineae collateralis mixti cum secundo simul et tertio ex eo quod orator semel quidem quarto gradu, oratrix vero bis tam tertio quam secundo gradu distet a communi stipite uti ex inferius allato schemate constat; 2° impedimentum etiam duplex affinitatis ex copula licita provenientis quarti gradus lineae collateralis mixti cum secundo simul et tertio, ex eo nempe quod orator matrimonium olim contraxit et consummavit cum Ioanna D . . . consanguinea in quarto gradu mixto cum secundo et tertio oratricis quam nunc ducere intendit, uti ex schemate inferius allato constat; 3° impedimentum publicae honestatis ortum ex eo, quod oratrix olim valida contraxerit sponsalia (hodie dissoluta) cum fratre oratoris; 4° cognationis spiritualis ex eo, quod oratrix prolem oratoris ex praecedenti matrimonio genitam in baptismo suscepit.

Quare Illustrissimae Dominationi Vestrae supplicant, ut super hisce impedimentis benigne dispensare dignetur (*vel*: ut Sedis Apostolicae dispensationem procurare dignetur).

Testor insuper oratores esse plane pauperes et labore manuum suarum victum sibi comparare, unde nullam taxam solvere valent; pro expensis tamen apud me deposuerunt 10 francos. (*Vel*: Testor oratores ambos catholicos talis esse fortunae, ut simul octo millia francorum circiter in re. ac decem millia in spe possideant).

VI. Formula pro petenda dispensatione in ordine ad matrimonium contrahendum, quando adest impedimentum disparitatis cultus vel mixtae religionis.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Paulus A. (*vel* Maria B. prouti sponsus *vel* potius sponsa est pars catholica, quae sola impetrare valet dispensationem Ecclesiae),

natus (*vel nata*) die . . . mensis . . . anni . . . in parochia . . . civitatis . . . dioecesis . . . et domicilium hodie habens in mea parochia humillime supplicat, ut cum ipso (*vel ipsa*) benigne dispensetur (*vel: in eius favorem Sedis Apostolicae dispensatio procuretur*) super impedimento disparitatis cultus (*vel mixtae religionis*), ut cum Joanna C. (*vel Petro D.*) valide (*vel licite, si agatur de mixta religione*) matrimonium inire possit.

Causae dispensationis sunt: vani conatus admiſsi ad averteſſendam partem catholicam ab hisce nuptiis ineundis; spes fundata conversionis partis infidelis (*vel haereticae*); educatio catholica procuranda prolis, quam pars haeretica (*vel infidelis*) retinuit ex priori matrimonio; scandalum vitandum ex eo, quod mulier iam sit impraegnata; periculum matrimonii civilis (*vel eorum praecone protestantico, vel concubinatus*) etc. (Conferantur supra causae canonicae indicatae et serio examinetur, utrum vel quaenam ex eis in casu concreto veraciter allegari valeant).

Partes coram me promiserunt se servaturas esse omnes condiciones ab Ecclesia praescriptas, uti notanter constat ex chirographo a parte acatholica scripto et apud me consignato (*vel, si praescribant leges dioecesanæ: cuius copiam Illustrissimæ Dominationi Vestrae nunc transmittito*). Porro praemissa, quantum fieri potuit, diligenti de praemissis informatione preces veritate nituntur neque adest ratio serio dubitandi de sinceritate promissionis partium vel timendi periculum quoddam extraordinarium perversionis pro parte catholica.

Pars catholica mihi solvit (v. gr.) fr. 25 pro expensis (*vel ratione eleemosynæ*).

VII. Formula pro petenda dispensatione in ordine ad matrimonium contrahendum super impedimento, de facto publico, neutro machinante criminis sive affinitatis ex copula illicita.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Petrus A. parochiae X. dioecesis Z. et Lucia B. parochiana mea matrimonium inire cupiunt. Obstat vero duplex impedimentum dirimens: 1^o affinitatis primi gradus lineae collateralis aequalis ex copula illicita, quam Petrus olim habuit cum sorore Luciae, quod impedimentum est notum in tota parochia mea; 2^o criminis ortum ex copula carnali inter ipsos oratores habita, stante priori matrimonio Petri, et accedente promissione futuri matrimonii inter complices data et acceptata, neutro tamen machinante, quod impedimentum est etiam notum in parochia.

Quare humillime supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut super illis impedimentis Sedis Apost. dispensatio opportuna obtineatur (*vel: ut tamquam Delegatus Sedis Apost. dispensationem concedere dignetur*).

Testor oratores orthodoxae fidei esse sed adeo pauperes, ut nullam taxam solvere valeant. Pro expensis tamen Romae faciendis apud me deposuerunt fr. 10 (*vel: pro eleemosyna dederunt . . .*)

VIII. Formula pro petenda dispensatione in ordine ad matrimonium contrahendum super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita vel criminis, etiam uno vel utroque machinante.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Caia (nomina ficta) matrimonium inire cupiunt sed obstat: 1° impedimentum plane occultum neque probabiliter divulgandum affinitatis primi gradus lineae rectae ortum ex copula illicita olim habita inter Titium et matrem Caiae; facta vero diligenti inquisitione certo constat nullum esse periculum, quod Titius sit pater Caiae; 2° impedimentum etiam occultum criminis ortum ex adulterio olim admissio inter oratores, vivente scilicet priori coniuge Titii, et ex machinatione Titii in mortem uxoris, effectu secuto.

Quare Illustrissimae Dominationi Vestrae humillime supplicant, ut quam citissime Sedis Apostolicae dispensationem super his impedimentis procuret (*vel, ob urgentissimas rationes moram nullatenus patientes: ut ipsa dispensationem concedere dignetur*)

Rationes sunt: . . .

a. Si ob concurrentiam cum impedimento publico vel ex alia quacunque causa esset periculum frangendi sigillum sacramentale, transmitti deberet haec supplicatio ad Card. Poenitent. maiorem.

b. Praeterea in hoc casu modificandae essent quaedam expressiones et dicendum: Eminentissime Princeps. Eminentiam Vestram. In fine vero libelli convenienter adderetur: Sacram purpuram vestram humillime deosculans permaneo, Eminentissime Princeps, Eminentiae vestrae Revmae submiss. famulus.

Iulius X, confessarius civit. L . . .

IX. Formula pro petenda dispensatione in ordine ad revalidandum per viam ordinariam seu simplicis dispensationis matrimonium invalide contractum ob impedimentum sive naturam suam sive saltem de facto publicum.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Paulus A. parochiae L . . . dioecesis M. et Maria B. parochiana mea sine ulla dispensatione matrimonium in facie Ecclesiae (*vel clandestine*) contraxerunt praemissis proclamationibus (*vel omissis proclamationibus vel dispensatione super proclamationibus obtenta*), et bona (*vel mala*) fide utriusque (*vel unius*) consummaverunt. Iamvero hodie utrique innotuit, et est etiam notum in populo, ipsos esse detentos 1° impedimento duplici consanguinitatis talis, etc. (cf. formulam V.); 2° impedimento duplici affinitatis etc. (cf. eandem formulam); 3° impedimento publicae honestatis etc. (cf. ibidem); 4° impedimento cognationis spiritualis etc. (ibidem); 5° impedimento de facto publico affinitatis primi gradus etc., (cf. formulam VII).

Quare humillime supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut super hisce impedimentis (*vel super hoc impedimento, si unum tantum adesset*) Sedis Apostolicae dispensatio procureretur (*vel pro America septentrionali: velit ipsa benigne dispensare*).

Testor oratores, orthodoxae fidei cultores, ita pauperes esse, ut taxam nullam solvere valeant. Pro expensis vero Romae faciendis deposuerunt apud me 10 francos (*vel: pro eleemosyna dederunt . . .*)

X. Formula pro petenda dispensatione ordinaria in ordine ad revalidandum matrimonium nulliter contractum ob impedimentum plane occultum reticentem, existente alio impedimento publico, super quo dispensatio fuerat petita.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,
(vel Eminentissime Princeps),

Titius (nomen fictum) et Caiâ (nomen fictum) matrimonium bona (*vel mala*) fide olim iniverunt, servata (*vel omissa*) forma tridentina praemissisque (*vel omissis*) denuntiationibus (*vel dispensatione super proclamationibus obtenta*), et illud etiam bona (*vel mala*) fide (unius *vel utriusque*) consummaverunt, obtenta prius

dispensatione super impedimento consanguinitatis tertii gradus lineae collateralis tangentis secundum. At dictum matrimonium comperitur nullum ex eo, quod inter oratores extiterit etiam impedimentum criminis ortum scilicet ex adulterio utriusque partis accedente promissione et repromissione matrimonii, quin tamen adfuerit machinatio (*vel*: accedente etiam machinatione unius *vel* utriusque in mortem, effectu secuto), quod impedimentum est plane occultum. Quare, cum oratores facti poenitentes et conscii nullitatis parati sint renovare debito modo consensum, humiliter supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae (*vel* Eminentiae Vestrae Reverendissimae), ut super impedimento criminis *vel* (affinitatis etc.) benigne velit dispensare ac insuper declarare dispensationem olim obtentam super impedimento consanguinitatis *Perinde Valere*, ac si ab initio super utroque legitima dispensatio petita et obtenta fuisset.

Rationes sunt:

XI. Formula pro petenda dispensatione per extraordinariam viam sanationis in radice, quando occultum est impedimentum uni parti et prorsus difficile foret obtinere ab ea renovationem consensus.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius (nomen fictum) et Caia (etiam fictum nomen), servata (*vel* omissa) forma tridentina praemissisque (*vel* omissis) denuntiationibus (*vel* dispensatione super denuntiationibus obtenta) matrimonium bona fide (*vel* cum bona fide Titii vel Caiae) iniverunt et consummaverunt. At praedictum matrimonium obiective est nullum et irritum ob impedimentum *v. gr.* affinitatis primi gradus lineae collateralis aequalis ortum ex copula illicita, quam olim Caia habuit cum fratre viri sui. Cum autem gravissimum foret detegere Titio rei plane ignaro talem nullitatem et timendum esset, ne vel omnino recuset renovationem consensus vel saltem gravia dissidia in familia oriantur, et aliunde satis constet de perseverante consensu Titii, Caia impedimenti conscia humillime supplicat Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut super praedicto impedimento sanationem in radice velit concedere ob bonum eius et ob bonum prolis iam natae vel nasciturae. (*Vel*: a Sede Apostolica dispensationem procuret).

XII. Formula pro petenda, priusquam matrimonium contrahatur, convalidatione alicuius dispensationis, quae vitio quodam laborat substantiali.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Paulus A. et Maria B. huius parochiae incolae matrimonium inire cupiunt. Verum obtenta iam et fulminata (si in forma commissoria fuit data dispensatio) dispensatione super impedimento consanguinitatis secundi gradus lineae collateralis aequalis, detectum est existere inter eosdem aliud impedimentum, cognationis scilicet spiritualis ex eo quod Maria B. filium Pauli olim ex baptismo suscepit. Quare humillime supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut tam super impedimento reticito quam super alio adhuc perseverante velit benigne dispensare.

Rationes sunt:



Index rerum.

Numerus arabicus numerum marginalem indicat.

A.

Arrha in sponsalibus: num licita sit 45.

B.

Banna v. Matrimonii proclamatio.

Benedictio nuptialis: quid sit 157; num sponsi eam recipere teneantur 157; quibus concedenda sit 160.

Bigamia: licita est 27.

C.

Compenda v. Taxa.

Consensus matrimonialis: eius qualitates 5; fictus 5; simultaneus 7; per litteras, per procuratorem expressus 9; num valeat condicionatus 10; sub condicione repugnanti substantiae matrimonii 11; sub condicione servandi virginitatem 11.

D.

Declaratio benedictina: quid sit et ubi vigeat 98.

Delegatio ad assistentiam matrimonialem: quis delegare, quis delegari possit 155; num sufficiat delegatio generalis 155; num capellani indigeant delegatione 155; num expiret morte delegantis 155.

Dispensatio matrimonialis: quae sit potestas episcopi 130 ss.; quae s. pontificis 135; tribunalia, per quae dispensat 136; sine causa invalida est 137; quae causae canonicae 138; quae non-canonicae 139; quomodo petenda 140; in forma ordinaria, nobilium, pau-

perum 140: quae in supplicatione exprimenda sint 141; num valeat, si in supplicatione sit error 143; quando solvenda sit taxa 142; in forma commissoria, in forma gratiosa concessa 144; quis eius executor sit 145; quomodo exequenda, si a Dataria concedatur 146; si a Poenitentiarum concedatur 147.

Divortium: *quoad vinculum* v. **Matrimonii indissolubilitas.**

- *quoad habitationem*: fieri potest ob adulterium 173; ob haeresim 174; ob mutuum consensum 175; ob periculum animae vel corporis 176; ob molestam cohabitationem 176; quatenus ad faciendum divortium recurrendum sit ad iudicem ecclesiasticum 177.
- *civile*: num iudici sententiam divortii pronuntiare liceat 178; num coniugibus petere liceat 180; num advocatis causam divortii agere liceat 181.

H.

Hermaphroditi: qui dicantur, num matrimonium inire, ordines suscipere possint 89.

I.

impedimenta matrimonii: quis statuere possit 23; num consuetudine introduci possint 23; quos obligent 24; impedientia, dirimentia 63; num liceat matrimonium inire cum impedimento dubio 64; num cessent ob gravissimum incommodum (casus perplexus) 65; publica, occulta 134; quae sit obligatio ea revelandi 152.

- *impedientia*: quot sint 63; impedimentum catechismi et criminis 63.
- *Ecclesiae vetitum* 67.
- *Tempus clausum*: quod sit, quid hoc tempore prohibeatur 68.
- *Sponsalia* 69.
- *Votum*: quae vota matrimonium impediant 70; quod peccatum committat, qui tali voto ligatus matrimonium init 70; ad quid teneatur 71.
- *Mixta religio*: quo iure matrimonium impediat 72; quis in ea dispensare possit 73; sub quibus condicionibus 73; quando matrimonium mixtum licitum sit 74.
- *dirimentia*: quot sint 63; quomodo dividantur 66.
- *Error*: substantialis, accidentalis 76; qualis dirimat matrimonium 77.
- *Conditio*: quid sit et quatenus dirimat matrimonium 78.
- *Vis et metus*: sub quibus condicionibus dirimat matrimonium 79; num etiam metus reverentialis 79.
- *Raptus*: quid sit 81; quatenus dirimat matrimonium 82.
- *Aetas*: quae ad validum matrimonium requiratur 83 ss.
- *Impotentia*: quid sit 85; quotuplex sit 86; quatenus dirimat matrimonium 87; de matrimonio cum impotenti inito 88.

- Impedimenta Ligamen:** quid sit 90; quae certitudo de statu libero requiratur 91.
- *Clandestinitas:* in quo consistat 92; quatenus invalidet matrimonium 93; utrum lex clandestinitatis localis an personalis sit 94 s.; ubi vigeat 96; num matrimonia clandestina haereticorum invalida sint 97.
 - *Consanguinitas:* quid et quotuplex sit 99; eius linea 100; eius gradus quomodo computandi 103; consanguineorum nomina 104; quatenus matrimonium dirimat 111 ss.; quando multiplicetur 105.
 - *Cognatio spiritualis:* quid sit 107; unde et inter quos oriatur 108; quando multiplicetur 108; num oriatur ex baptismo privato 109; si pater prolem suam baptizat 109.
 - *Cognatio legalis:* quid sit 110; quatenus matrimonium dirimat 111.
 - *Affinitas:* quid sit, unde et inter quos oriatur 113; eius linea, gradus, multiplicatio 113; nomina affinium 114; quatenus matrimonium dirimat 112, 115; quid efficiat affinitas superveniens 116.
 - *Honestas publica:* quid sit, unde et inter quos oriatur 117; quatenus matrimonium dirimat 118, 119; num oriatur ex matrimonio clandestino, civili 119.
 - *Votum sollemne:* quodnam votum matrimonium dirimat 120.
 - *Ordo sacer:* quatenus matrimonium dirimat 121.
 - *Crimen:* quod matrimonium dirimat 122; num ignorantes impedimentum contrahant 123; quae condiciones requirantur ad contrahendum impedimentum 124 ss.; quando multiplicetur impedimentum 127.
 - *Disparitas cultus:* quae et quatenus matrimonium dirimat 128; quid, si dubitatur de valore baptismi 129.

M.

- Matrimonium:** quando et quomodo institutum 1; prout contractus est 2; quo differat a ceteris contractibus 1; in fieri et in facto esse 2; eius fines 3; eius bona 4; per sacramentum perficiuntur 20; per litteras, per procuratorem initum 9; sub condicione initum 10; sub condicione, quae adversatur eius substantiae 11; prout sacramentum est 14; sacramentum a contractu non differt 15; eius materia et forma 16; eius ministri 17; eius subiectum 18; eius effectus 19; eius divisio 21; morganaticum 21; conscientiae 21: s. Iosephi 11; ecclesiae in illud potestas 22; auctoritatis civilis in illud potestas 25 ss.; mixtum 72 ss.; clandestinum 92 ss.
- *civile:* quid sit; quotuplex sit 182 s.; quatenus licitum 184; quatenus validum sit 185; num magistratus matrimonio civili assistere possit 186.

- Matrimonii unitas**: in quo consistat 27; ei opponitur polyandria, polygynia et bigamia 27.
- *indissolubilitas*: interna, externa 28; solvi potest matrimonium ratum fidelium 29 s.; matrimonium consummatum infidelium 31 ss.
 - *celebratio*: quo ritu et loco fieri debeat 157, 159; quomodo celebranda sint matrimonia mixta 161; num liceat adire ministrum haereticum 162.
 - *revalidatio*: quid et quotuplex sit 163; quid confessario agendum, qui deprehendit matrimonium invalidum 163; quomodo sit facienda, si matrimonium nullum sit ob defectum consensus 164; si nullum sit ob defectum formae 165; si nullum sit ob defectum habilitatis 166; num consensus renovandus sit in forma tridentina 168; v. **Sanatio in radice**.
 - *solutio* v. **Divortium**.
 - *proclamatio*: eius finis 148; sub gravi facienda est 148; quoties, quando, ubi, a quo facienda sit 149 s.; quis ab ea dispensare possit 151; quae sit iusta dispensandi causa 151.
 - *assistencia*: activa, passiva 158; quis assistere debeat 153; quis parochus, quis parochus proprius 153; num assistere possit parochus putativus, parochus intrusus 153; quis matrimoniis vagorum assistere debeat 154; v. **Delegatio**. Quae assistencia requiratur 156; quae exhibenda publicis peccatoribus 158; in matrimoniis mixtis 161.

P.

- Parochus assistens in matrimonio** v. **Matrimonii assistent**.
- Polyandria**: repugnat fini primario matrimonii 27.
- Polygamia**: simultanea et successiva 27.
- Polygynia**: repugnat fini secundario matrimonii 27.
- Privilegium paulinum**: quid sit 31; quando per illud solvatur matrimonium 31; condiciones ad solutionem requisitae 32 s.; num pars fidelis etiam religionem ingredi possit 34.

S.

- Sanatio in radice**: quid sit 169; quid efficiat 169; condiciones ad eam obtinendam requisitae 170; quomodo petenda sit 171.
- Sponsalia**: quid sint 36; condiciones validorum sponsalium 37; num valeant inita ex metu 39; a parentibus 42; inter personas impedimento laborantes 43, 49; privatim 44; inter impuberes 46; per procuratorem 47; invitis parentibus 48; sub conditione si papa dispensaverit 49; cum persona acatholica 49; num sint necessaria 50; de poena sponsalibus addita 44; eorum effectus

51; ad quid obligent sponsalia sub condicione inita 52; quomodo solvi possint 53; quando ipso iure solvantur 54 ss.; quando rescindi possint 59 ss.; num s. pontifex in iis dispensare possit 57; quos defectus sponsi manifestare debeant 59; num solvi possint propria auctoritate 61: ad quid teneatur, qui ea iniuste solvit 62.

Sterilitas: quid sit, quo differat ab impotentia 85.

T.

Taxa (componenda) pro dispensatione matrimoniali: quid contineat et quando solvenda sit 142.

Testis matrimonii: quis esse possit et quomodo assistere debeat 156; num licite assistat in matrimonio civili 186.

V.

Vagi: actualiter et habitualiter 154; eorum parochus proprius 154; sine licentia episcopi eorum matrimonio assistere nequit 150.




Corrigenda.

Pag. 49 l. 9 536 lege 44.

Pag. 171 l. 4 n.¹⁾ *Gregorii XIV.* lege *Gregorii XVI.*

¹⁾ n. lineam notarum designat.



Index.

	Pag.
De matrimonio.	
Quaestio 1. De natura matrimonii	1
Art. 1. De matrimonio ut contractus est	3
Art. 2. De matrimonio ut sacramentum est	14
Art. 3. De matrimonii divisionibus	19
Art. 4. De potestate ecclesiae in matrimonium	22
Art. 5. De potestate auctoritatis civilis in matrimonium	24
Quaestio 2. De proprietatibus matrimonii.	
Art. 1. De unitate matrimonii	28
Art. 2. De indissolubilitate matrimonii	29
§ 1. De matrimonio rato fidelium	30
§ 2. De matrimonio consummato infidelium	32
Quaestio 3. De sponsalibus.	
Art. 1. De natura sponsalium	39
Art. 2. De effectibus sponsalium	49
Art. 3. De dissolutione sponsalium.	
§ 1. Causae, ob quas sponsalia ipso iure solvuntur	52
§ 2. Causae, ob quas sponsalia rescindere licet	56
Quaestio 4. De impedimentis matrimonii.	
Art. 1. De impedimentis in genere	62
Art. 2. De impedimentis impediens in specie.	
§ 1. Ecclesiae vetitum	67
§ 2. Tempus	68
§ 3. Sponsalia	68
§ 4. Votum	69
§ 5. Mixta religio	72

	Pag.
Art. 3. De impedimentis dirimentibus in specie	75
§ 1. Error	76
§ 2. Condicio	77
§ 3. Vis seu metus	78
§ 4. Raptus	81
§ 5. Aetas	83
§ 6. Impotentia	84
§ 7. Ligamen	89
§ 8. Clandestinitas	91
§ 9. Cognatio	100
§ 10. Affinitas	113
§ 11. Publica honestas	117
§ 12. Votum sollemne	121
§ 13. Ordo sacer	122
§ 14. Crimen	123
§ 15. Disparitas cultus	128
Quaestio 5. De dispensationibus matrimonialibus.	
Art. 1. De potestate dispensandi	130
Art. 2. De causis dispensandi	138
Art. 3. De modo petendi dispensationem	143
Art. 4. De modo concedendi et exequendi dispensationem	149
Quaestio 6. De celebratione matrimonii.	
Art. 1. De proclamationibus matrimonii	155
Art. 2. De assistentia parochi et testium.	
§ 1. De paroco proprio	161
§ 2. De sacerdote delegato	164
§ 3. De testibus	166
Art. 3. De ipsa celebratione matrimonii	167
Art. 4. De celebratione matrimonii mixti	171
Quaestio 7. De revalidatione matrimonii	173
Art. 1. De revalidatione ordinaria	175
Art. 2. De sanatione in radice	181
Quaestio 8. De dissolutione matrimonii.	
Art. 1. De divortio quoad cohabitationem	185
Art. 2. De divortio civili	190

Appendix I.

Quaestio 1. De matrimonio civili	195
Quaestio 2. De iure matrimoniali austriaco	201

Appendix II.

Formulae	209
--------------------	-----



